Digitized by the Internet Archive
in 2026 with funding from
Graduate Theological Union

https://archive.org/details/salomonisvantilv00tils

P. McCormick

SALOMONIS VAN TIL, V. CL.

S. S. Theol. Doct. hujusque facultatis in Academia Lugd. Bat. Prof.

COMMENTARIUS DE TABERNACULO MOSIS,

Ad EXOD. XXV. —— XXX.

ET

ZOOLOGIA SACRA.

Curante

HERMANNO VAN DE WALL,

Qui in Praefatione historiam Vitae Clariss. Auctoris, & Indicem Librorum ab eo editorum & ineditorum texuit,

Et suam DISSERTATIONEM

DE PILEIS SIVE TIARIS SACERDOTUM ET PONTIFICUM HEBRAEORUM

addidit.

Cum Indicibus Rerum & Verborum locupletissimis.

DORDRACI apud THEOD. & CASP. JOHANN. GORIS,

ET

AMSTELAEDAMI apud JOHANNEM BOOM,

Anno cIↄ Iↄ CCXIV.

Omnia quae in hoc Volumine continentur, edita ſunt ſecundum normam Canonum in Eccleſiis Belgicis receptorum.

HERMANNUS VAN DE WALL,

L. B. S.

EA *fuit proxime elapſi ſaeculi felicitas, ut doctrina ſacrarum Literarum ad maximum culmen evecta fuerit. Certatim enim ad hoc ſtudium omnes fere gentes ſymbolas contulerunt. Sane poſt aurea primi Chriſtianiſmi ſaecula nullum tot Viros ſacris Literis eruditiſſimos, aptoſque ad ſtrenue exantlandos multiplices labores, ad veritatem & auctoritatem ſacri Codicis aſſerendam, verumque ejus ſenſum indagandum, imo & in ipſa adyta penetrandum, quot proxime elapſum protulit. Quo factum eſt ut multa aut hactenus non tentata, aut non ſatis perſpecta, feliciter evoluta & in aprico collocata fuerint.*

Praecipua hujus felicitatis cauſſa fuit, quod Literae, quas vocant humaniores, magis excultae fuerint. Nam Hiſtoriae, Chronologiae & Geographiae, Linguarum etiam Hebraeae & Graecae, quibus ſacer Codex conſcriptus eſt, ſcientia maxime promota, & in vetuſtos ritus & mores, tam Judaeorum, quam aliarum Gentium, linguas etiam Orientales, multo diligentius inquiſitum eſt. Illo ſaeculo, Judaeorum, Samaritanorum, Syrorum, Arabum, AEthio-

pum, Graecorum & Romanorum Gazae reseratae, & maximae opes ad nos translatae fuerunt. Quae quantum lucis sacro Codici attulerint, sciunt, qui sacras Literas paulo penitius scrutati sunt, & omnium certissime probat Herculeum opus Viri immortalis memoriae SAMUELIS BOCHARTI, *ut alios taceam.*

Accessit & alia sed minus benigna caussa, quae sacrarum Literarum Interpretibus necessitatem imposuit, ad sacrum Codicem quam diligentissime perscrutandum, & ad scriptorum scopum, rerum nexum, & phrasium vim magis attendendum. Haec fuit hostium in sacrum Codicem insultus. Nullum certe saeculum etiam plures hostes sacri Codicis tulit, quam elapsum; qui nefario ausu illum ex Hominum manibus excutere tentarunt. Quidam aperto Marte in eum invehi, alii has vel illas nobiliores partes sugillare coeperunt, ut nobilioribus partibus profligatis, de toto quasi debellato, victoriam canerent. Ferax enim erat istud saeculum locuplete Atheorum & Deistarum segete. Fuerunt & alii qui Crisin in sacrum Codicem exercere ausi sunt: quidam, ut auctoritatem sacrae Scripturae Cathedrae Romanae subjicerent, alii, ut eam infra rationis humanae acumen deprimerent. Praeterea nec defuerunt qui * testimonium Jesu Prophetiae spiritum, *ex scriptis Mosis & Prophetarum eliminare in animum induxerunt. Inde de duplici sacrarum Literarum sensu, ante adventum Servatoris Judaeis incognito, commentum natum, tot egregia de Christo in scriptis Mosis & Prophetarum testimonia aliorsum deflexa, & lex Mosaica,* † *quae* παιδαγωγὸν *Judaeorum ad Christum agere, & eum suis umbris depingere debebat, ab hoc officio deturbata, & nescio ad quos AEgyptiorum & aliarum gentium ritus traducta fuit.*

His

* Apoc. XIX. 20. † Galat. III. 24.

His adverſariis, iniquis Cenſoribus, & incautis interpretibus, ſe undique oppoſuerunt viri doctiſſimi. Hinc tot eruditiſſima ſcripta ad veritatem religionis magis ſtabiliendam, & ad ſacri Codicis auctoritatem aſſerendam, in dias luminis auras edita fuerunt. Poſt enim Illuſtriſſimorum virorum PHILIPPI MORNAEI & HUGONIS GROTII *labores pro* Veritate Religionis Chriſtianae, *vidit eruditus orbis, ut ceteros taceam, duo Galliae & Angliae fulgentiſſima ſidera,* HUETIUM & STELLINGFLEETIUM, *hunc in* Originibus Sacris, *illum in* Demonſtratione Euangelica, *cauſſam ſacri Codicis ſtrenue agentes. Hinc tot Commentarii doctiſſimi in ſacrum Codicem nati, & ope ſcientiae Linguarum ſacrarum, Orientalium, & Veterum rituum, multa ab iniqua Criſi liberata, & quae obſcura antea fuerant, in lucem protracta ſunt. Studium etiam Propheticum, quod fere apud omnes neglectum jacebat, circa medium fere ſaeculum, magis excoli & in umbras rituum Moſaicorum magis inquiri coepit. Ingens volumen non ſufficeret, ſi nomina doctiſſimorum virorum tantum recenſere velimus, inter quos Belgae non minimam partem facerent. Sane Belgium, ut eſt opinionum & ſectarum feraciſſimum, ita Eruditiſſimos viros tulit, aut in gremium ſuum pellexit, qui ingraveſcenti malo ſe ſtrenue oppoſuerunt, & ſacrum Codicem doctiſſimis Commentariis illuſtrarunt, quamvis fatear exteris non omnes, quia eorum Commentarii Belgico idiomate plerumque ſcripti ſunt, aeque cognitos eſſe, quos ſi cognoſcerent, Belgarum ubertas ingenii, & doctrinae cultus, illos in ſtuporem raperet.*

Ex illis SALOMON VAN TIL, *cujus quaedam λείψανα edo, hic mihi ſolus nominandus eſt. Utinam mihi tantum eſſet flumen ingenii, tanta ſcribendi vis & copia, ut praeclaram indolem, ingentes animi dotes, exantlatos la-*

bores, & maxima ejus in Ecclesiam Dei, & Rempublicam Literariam merita, si non exornare, saltem enarrare possem!

Vir ille de studiis meis optime meritus, utpote quem in sacris Praeceptorem nactus eram indulgentissimum & fidelissimum, quique mihi & aliis facem praetulit, qua tutius in scrutando sacro Codice provehi possemus, HOLLANDIAM *Belgii ocellum patriam habuit.* Wesopum, *oppidum non inamoenum, quod unus ex veteribus Rheni alveis secat, duobus circiter milliaribus ab urbe totius Belgii Principe Amstelaedamo, distans, ipsi natale solum, cujus oppidi maximum sane decus & ornamentum est. Lucem autem adspexit ineunte anno elapsi saeculi quadragesimo tertio.*

Pater ipsi fuit JOHANNES VAN TIL, *vir pius & probus, qui cum manibus honesto opificio operaretur, adeo tamen flagrabat sacrarum Literarum amore, ut subsecivis horis se totum lectioni sacri Codicis & bonorum librorum immerserit, tantosque progressus fecerit, ut viam sibi aperuerit, ad munus Ecclesiasticum obeundum. Cathedrae enim Ecclesiasticae admotus, Ecclesiam Dei, in tractu Hollandiae Borealis,* (Zuydschaarwouw & Broek op Langendyk *dicitur*) *rexit.*

Nihil Pater omisit eorum, quae aliquid conferre possent ad teneram mentem filii formandam, sed ab ineunte aetate ipsi doctrinae & pietatis praecepta diligenter instillavit.

Pulvere Scholastico excusso, vix ex Ephebis egressus, Trajectum ad Rhenum *mittitur, ut in illo illustrissimo sapientiae & doctrinae sacrario, sapientia & doctrina imbueretur. Tradidit eum Pater in disciplinam Virorum celeberrimorum,* GISBERTI VOETII & ESSENII, *quos laudare nunquam cessavit. Verum Clarissimum & doctissimum virum* FRANCISCUM BURMANNUM, *qui magna cum lau-*

de

de ſacras Literas docebat, audire non deſtitit, & brevi tempore guſtum accepit Philoſophiae Carteſianae, quam poſtea valde deperibat, & Methodi Viri celeberrimi Cocceii, in inveſtigandis ſacris Literis, quam etiam ulterius excoluit. In lectione ſacri Codicis aſſiduus erat, & ut in ejus adyta penetraret omnes vires intendebat, tantoſque progreſſus brevi tempore fecit, ut ſub auſpiciis Cel. Burmanni Diſputationem Academicam ipſe emitteret & publice defenderet, in qua aetate jam ſenſit quorumdam aculeos, qui ei Socinianiſmi notam inurebant, ut invidia onerarent.

Tandem Lugdunum Batavorum, *illud totius orbis auguſtiſſimum & celeberrimum Muſaeum, delatus eſt. Docebant ibi Theologiam Viri Principes & omni elogio majores,* ABRAHAMUS HEIDANUS *ingenio praeſtans, aureum os,* JOHANNES COCCEJUS, *ſaeculi Apollos & ſacras Literas ad miraculum edoctus,* & JOHANNES HOORNBEEKIUS *doctrina & eruditione celebris, quos omnes ſedulo audivit. Sub ductu autem Viri celeberrimi & Linguarum Orientalium callentiſſimi* GOLII, *ſe ſtrenue in Linguis ſacris & aliis Orientalibus exercuit, & principia linguae Arabicae hauſit. Delectabatur praecipue Cocceji methodo in explicandis Scripturis, adeo ut jam tum Vir ille Eruditiſſimus bene de Salomone noſtro ominari coeperit. Narrare ſolebat Tillius noſter, ſe, cum Trajecto Lugdunum accederet, & Clariſſ. Coccejum primum ſalutaret, eique Diſſertationem Academicam, a ſe compoſitam, traderet, ab eo poſt inſpectam diſſertationem ſic compellatum fuiſſe: Mi fili quare, cum tantos progreſſus in tam tenera aetate in cognitione ſacrarum Literarum feceris (vix enim decimum octavum annum attigerat) huc ad me accedis? ſeque ſtatim reſpondiſſe: Ut a Te in penetralia ſacri Codicis, animi mei unicas delicias, ulterius introducerer. Laudabat conſilium adoleſcen-*

lescentis Coccejus, & identidem optime, optime, factum, ingeminabat, hortans eum ut strenue eo, quo coepisset, pede pergeret. Deus, inquiebat, tibi aderit, sacra Scriptura continet sapientiam ad salutem, & Te virum Dei perfectum reddet.

Circa hoc tempus methodus Cocceji in enarrandis sacris Literis quibusdam displicere, mox etiam suspecta esse coepit, unde semina feralis belli, quod post celeberrimi Viri obitum exarsit, nec cum maxime proh dolor! exstinctum est, projecta sunt. Invasit metus ex rumore ortus Salomonis Parentem, virum pium, eumque sollicitum tenuit. Quare noluit ut filius scripta Cocceji evolveret, neque sumtus ad coemendos Cocceji commentarios suppeditavit. Adeo tamen eorum amore flagrabat noster, & ad eos sibi comparandos avidus erat, ut per sesqui annum tenuissimo victu contentus genium suum defraudaret, & laudatissima parsimonia tantum nummorum corraderet, ut sibi Cocceji commentarios comparare posset. Rarissimo sane exemplo, cujus contrarium quotidie evenire videmus, cum plures, quae ad libros coemendos destinata a Parentibus sunt, ut gulae indulgeant, dilapident, & sine libris, sine doctrina, domum redeant. Coccejus facilis erat ingenii, discipulosque qui eum, ut de studiis sciscitarentur, adire cupiebant, facile admittebat. Exercuit eum noster, ut erat fervidi ingenii & semper altius penetrandi satagentis, continuis quaestionibus, non de rebus tralatitiis, sed iis quae maximi erant momenti. Cum enim studio Prophetico animum applicaret, quaesivit a Coccejo, an dicta prophetica in Novi Testamenti tabulis allegata, ex scopo Prophetarum essent adducta? an tantum, ut pluribus placet, ad hunc vel illum eventum accommodata? si ex scopo Prophetarum essent adducta, petebat, ut via aperiretur ad hoc demonstrandum ex ipsis prophetiis; haerens,

haerens praecipue in eo, quod pleraeque praedictiones de futuro Messia implexae sint promissionibus non tantum, sed comminationibus, quae statum populi externum & terrenum spectant; ut de populo ex terra sancta ejiciendo, in captivitatem abducendo, cultuque Mosaico ad tempus, vel in totum abolendo, aut populo in Terra Sancta conservando, augendo, & semel ejecto iterum reducendo, &c. Nec minus eum sollicitum tenebat, quod plurima vaticinia ut jam facta & impleta proponerentur: vulgares enim responsiones ipsius animo non satisfaciebant. Tandem quod animadverteret, in una eademque pericopa, nunc Deum, nunc alios verba facere, & plura ejus generis alia. Ut Coccejus aliquando sic fuerit ei locutus: Mi fili inspice commentarios nostros, in quibus si non invenies quae animo tuo satisfaciant, roga Deum ut tibi oculos illuminet, & diligenter excute sacrum Codicem; non omnia possumus omnes, nos quidem viam ad hos vel similes nodos explicandos stravimus, tuum erit hisce vestigiis insistere, & ad altiora assurgere; si enim haec dubia dextre enodaveris, utilem Ecclesiae Dei navabis operam. *Vides igitur quanti Coccejus eum fecerit, & Salomonem jam in principio studiorum ea animo agitasse, quae postea tanto cum applausu docuit. Nodos enim illos dextre in Isagoge ad scripta Prophetica, & Commentariis suis expedivit.*

Ut autem pro concione apte diceret se strenue exercuit sub ductu celeberrimi & facundissimi Heidani. Arridebat autem ei quam maxime in orationibus sacris pangendis, methodus Viri disertissimi PETRI SCHAAKII, *qui cum maxima eruditionis & facundiae fama, cui & immortuus est, tunc Alkmariae docebat, & divi Salomonis Proverbia auditoribus suis explicabat, cujus praeclarum ingenium & facundiam saepe & ego, cum eum Amstelaedami dicentem audirem, cum veneratione admiratus fui.*

Postilla contigit mihi eum hac in urbe Collegam habere, nec tamen diu eo honore frui, diem enim suum obiit die XII. *Kal. Octobris anni hujus saeculi* VIII. *Ingenii ubertate vir ille doctissimus abundabat, ita ut vitia & virtutes hominum quasi in tabella depictas ostenderet, & gravi & ornato dicendi modo auditorum animos demulceret & fere eos extra se raperet. Testari hoc possunt Amstelaedamenses, qui eum merito omni veneratione ad extremum vitae halitum prosecuti sunt: undique enim, quo in loco pro concione diceret, ad eum concursus, & frequens semper auditorium. Hunc ergo saepe audiebat Tillius noster, cum per ferias ab Academia redux apud Patrem degeret, cujus aedes non longe ab Alkmaria distabant, ejusque ingenium & facundiam saepe praedicabat. Itaque ex Schaakii methodo hoc ei semper adhaesit, ut quae vellet, vividis quasi coloribus, auditoribus ob oculos poneret, & quasi in tabella depingeret.*

Dum autem Lugduni haereret etiam Medicinae operam dedit, tantosque in ea arte fecit progressus, ut etiam alios erudire, & summis in ea facultate honoribus capessendis aptos reddere potuerit. Ad huic arti operam dandam maxime impulsus est, quod ita balbus esset, ut quaedam vocabula vix, & non nisi maximo conatu efferre posset. Hinc metuere coepit ut unquam aptus foret ad sacrum ministerium obeundum. Quod si accideret, Medicam artem exercere in animo habebat. Postea tamen cum sacro ministerio fungeretur, meditando non minus quam olim Demosthenes, remedium huic malo quaesivit & fere invenit, vitando nempe vocabula quae difficulter pronuntiabat, & hac ratione stylum sibi proprium, neque cuiquam facile imitandum, condidit, unde paulatim factum est, ut nemo planius eo verba facere videretur, & Dordraci saepius ita auditus sit, ut ne minimam qui-

quidem ullius haeſitationis ſpeciem praeberet: quod praeter alios multos & ego vere poſſum teſtari.

Ergo Anno ſaeculi praeteriti LXVI. *menſe Aprili ad ſacrum miniſterium obeundum vocatus eſt, cum nondum viginti quatuor annos complevіſſet. (Lex enim, quae jubebat ut vocandi ad ſacram Cathedram in Hollandia* XXV. *adimpletos habeant, nondum erat lata.) Prima quae ei obtigit ſtatio, erant Pagi duo maritimi,* Huisduynen & de Helder *Belgico idiomate dicti, ſiti in ultimo Hollandiae Borealis aut Weſt-Friſiae angulo, quibus Texelia inſula, quae per totum orbem celebratiſſimum Batavorum portum conſtituit, obverſa eſt. Inſtabat feſtum Paſchatis, quando ipſi cum alio oratio ſacra habenda erat, quibus ſpeciminibus exhibitis alteruter eligeretur ad miniſterium Eccleſiae. Verba Euangelii, quae narrant velum templi Hieroſolymitani ruptum fuiſſe eo momento, quo Servator ſpiritum Deo Patri redderet, explicuit. Qua oratione adverſarium vicit, non, ut ipſe narrare ſolebat, orationis ornatu & eruditionis delectu, ſed eo quod textum explicandum elegiſſet, temporis opportunitati convenientem, quod ut exemplum diſcipulis imitandum ſaepius proponebat.*

Undecim fere annis in hoc ſeceſſu, ab omni ſtrepitu remotus, Eccleſiae, ſibi, & Muſis ſuis vixit. Nihilque ſibi antiquius duxit, quam auditores ſuos informare & ad intelligentiam ſacrorum myſteriorum & ad ſequenda veſtigia Servatoris adducere. Reliquum tempus omne conſumebat in lectione & meditatione ſacri Codicis, & licet non omiſerit alios conſulere ſacrarum Literarum interpretes, & praecipue Cocceji commentarios, hoc tamen negotii ſibi imprimis dari credidit, ut ſacras literas ex ſacris Literis interpretarètur. Hinc Scripturam cum Scriptura ſedulo contulit, in ſcriptorum ſcopum, aetatem, ſermonis nexum quam acc-

curatissime inquisivit, & ex Scripturarum collatione regulas seu canones Hermeneuticos sibi composuit, juxta quos tutius in scrutando sacro Codice pergere posset. Hic sibi vivens sibi instabat ipse & stimulos subdebat, unde etiam immensas doctrinae opes collegit, quas postea larga manu, & cum omnium admiratione, publico donavit.

Sed ille tanto praeditus ingenio conquestus saepe est, se adeo imbecilli laborare memoria, ut quae in chartam conjecerat pro concione dicenda, non nisi maximo labore memoriae imprimere posset. Quare lachrymabundus aliquando per colles sabulosos mari objectos oberrabat. Hoc ipsum eum impulit ad inquirendum in methodum concionandi, qua res in ordinem redactae sponte se offerrent, & ut erat judicio acerrimo, invenit longe elegantissimam, & illis qui pro concione dicerent, ut apte singulas orationis partes disponerent sibique imprimerent, & auditoribus, ut dicta percipere, & animo revolvere possent, convenientissimam. Hinc dicenda mox chartae non amplius illinebat, sed brevem, ut ita loquar, analysin dicendorum lingua Latina componebat, ubi summa tantum capita cum dictis sacrarum Literarum praecipuis, & aptis periodorum transitionibus, annotavit, reliqua meditationi relinquens.

Verum, ut omne principium grave, tanta laborabat verborum penuria, ut quae cogitaret, eloqui non potuerit. Huic tamen malo invenit remedium. Inter pagi incolas erat vir quidam scientiae sacrarum Literarum avidus, sed lumine captus. Huic igitur se obstrinxit, ut singulis fere diebus ei exponeret, quae legisset & meditatus esset. Hoc praestando maximam verborum copiam sibi comparavit, omniaque quae legisset, ita sibi impressit, ut omnia in succum & sanguinem redigeret. Hinc suasit discipulis suis, ad verborum copiam acquirendam, ut saepius inter se, & ubi occasio

idonea se offerret, de rebus sacris colloquerentur, & ut stylum elegantiorem dicendi acquirerent, per tres vel quatuor annos, pro cujuslibet ingenio, dicenda chartae mandarent.

Medicinae tamen studio se iterum applicuit, praecipue quia post annum cIↃ IↃ C LXXII *ingruebant infelicia Ecclesiae tempora, ita ut quidam cogitarent omnes, qui Cocceji methodum sequerentur, sedibus exturbare & ex Ecclesia ejicere. Et sane videbantur omnia in schisma vergere, nisi provida cura Amplissimi Amstelaedamensis civitatis Magistratus huic malo prospexisset. Hac enim calida quorumdam consilia & machinationes sic eversae fuere ut in fumum abirent. Volabat per hominum manus index, qui nomina continebat eorum qui ex Ecclesia exturbandi essent; in quo etiam Tillii nomen conspiciebatur. Quare ratus melius esse impendentem evitare tempestatem, & familiae suae consulere, ad Medica studia rediit.*

Latuit in hoc angulo aliquandiu tanta virtus, tanta doctrina, sed latere semper non potuit, tandemque innotescere coepit Amstelaedamensibus, anno cIↃ IↃ C LXXIII. *Cum enim Classis Francica & Britannica Portum, quem Texelia insula constituit, tantum non obsedisset, & magnus immortalique laude dignissimus & de Patria optime meritus* RUTERUS *cum Classe Belgica hosti obviam processisset, acerrimum in conspectu Helderae praelium initum, & Classis hostium in fugam a Belgis acta est. Processerant, hoc praelium praesagientes, Helderam, viri quidam Honesti Amstelaedamenses, ut illud ex collibus arenosis mari circa Helderam objectis, adspicerent, in quorum numero etiam erat Vir praestantissimus* Nicolaus van der Hagen, *venerandi Collegae mei* Johannis van der Hagen *patruus. Hi videntes in turba adstantem Tillium nostrum, Ecce, inquiunt, Verbi Divini praeconem, qui rogandus est ut in hoc statu rerum preces fundat, ut Deus*

nostris velit adesse. Ibi omnes continuo aut in genua pro voluti sunt, aut ad templum concursus factus est. Hoc constat Tillium nostrum tanto fervore, tam aptis ad rem Verbis Dei opem implorasse, ut ipsum coelum expugnare videretur, & omnibus ingenti admirationi fuerit. Certe fassus est ipse se nunquam tanto fervore in precibus agitatum fuisse, quantum hoc in casu sensisset. Hinc magnis Theologis Bodanio, Somero, aliisque innotuit, eorumque familiaritate postilla usus est. In hoc secessu conscripsit libellum elegantissimum, quem postea in lucem dedit, cui titulus Salems Vreede, *sive* Pax Salemi. *In Patris gratiam composuerat libellum, quo ei scrupulos, quos contra Cocceji methodum conceperat, eximeret. Isagogen ad scripta Prophetica, deinde emittendam, hic etiam ad umbilicum perduxit, imo fundamenta omnium, quae postea publici juris fecit, posuit.*

Tandem ex hoc loco protractus est ad Ripensem *Ecclesiam regendam anno* CIↃ IↃ C LXXVI. *Est Ripa Pagus Hollandiae Borealis in meditullio fere situs, peramoenus, Balaenarum piscatui & omni generi mercaturae intentos habens incolas, divites & ingenio valentes. Hic nactus est auditores in religionis Christianae fundamentis multum exercitatos. Quare praeter conciones & exercitia, ut vocant, Catechetica, finita concione postmeridiana, exercitatioribus, singulis diebus Dominicis, explicuit Euangelium Matthaei, ex quo exercitio natus est doctissimus in hoc Euangelium commentarius. Memini me Virum praestantissimum* SIMONEM HELLIUM, *Pastorem olim Ecclesiae Harlemensis dignissimum, & optimum ingeniorum Judicem, narrantem audire, se aliquando huic exercitio, incognitum interfuisse, finitoque eo veniam loquendi petiisse, eaque obtenta, magna animi commotione felicem Ecclesiam praedicasse, quae tali*

Pasto-

Pastore uteretur, Tilliumque serio monuisse ut quo pede coeperat, eo pergeret, effusisque precibus Divinam opem & benedictionem ad tam salutare opus promovendum implorasse.

Ex illo inclarescere quam maxime coepit. In lucem enim emissis libris tribus, nempe eo, cui titulus Pax Salemi, *deinde* Isagoge ad scripta Prophetica, *&* Commentario in Matthaei Euangelium, *fama ejus per hominum ora ubique volitavit. Hinc* Medenblicenses *eum sibi iterata vocatione vindicarunt anno* CIↃ IↃ C LXXXII. *sed non diu eo frui licebat, vix enim per unius anni spatium in ea urbe commoratus est.*

Scilicet urbs Hollandiae prima & vetustissima Dordracum *ipsi praeparata erat in Theatrum, ut se orbi erudito ulterius ostenderet. Viri enim Amplissimi & de Civitate Dordracena & tota Patria optime meriti,* ARNOLDI MUSII AB HOLY, *tum maxime Consulis ope factum est, ut Dordracum vocaretur, & remotis omnibus obstaculis, in eam urbem appulerit, anno* CIↃ IↃ C LXXXIII. *ubi maximo applausu ab omnibus fere exceptus in consuetudinem virorum in illa urbe Principum devenit. Hic occasionem est nactus jam ditissimum eruditionis & doctrinae penum, multis accessionibus locupletandi. Blandissime enim eum excepit Vir summus* JANUS WITTIUS, *Patriae, Suis, mihi & omnibus bonis heu! nimis cito ereptus, & in ipso aetatis flore exstinctus, cujus humanitatem & benevolentiam ipse quoque expertus sum. Me enim juvenem, peregrinum, studiorum caussa Dordraci degentem in suam consuetudinem non difficulter admisit, usumque instructissimae Bibliothecae indulgentissime concessit: a quo etiam non contemnendam optimorum librorum notitiam hausi, cujus beneficii memoria nunquam ex animo meo delebitur. Vir ergo ille Bibliothecam suam, quae totius Belgii instructissima, & rarissimis libris, quos in Italia & Gallia congesserat, refertissima erat, Tillio aperuit, quosque vellet libros liberaliter utendos dedit, ex qua Bibliotheca egregium thesaurum optimarum rerum collegit.*

Interea

Interea sub Tillii auspiciis collegium quoddam eruditum institutum est, in quo singulis hebdomadibus congrediebantur quidam ex viris in illa urbe principibus, & honestissimis civibus, ut ibi sermones ultro citroque de rebus ad eruditionem spectantibus miscerent. Primariae partes Tillio nostro mandatae fuerunt, qui hac occasione cogitata sua in libros Veteris Testamenti historicos, ad eorum librorum divinitatem, auctoritatem & integritatem asserendam ipsis communicavit & scribentibus dictavit, ex quo collegio postea natus est liber, cui titulus Atrium Gentium apertum: *uti & ea quae meditatus erat* ad octo priora capita Geneseos.

Adeo jam fama ejus percrebuerat ut Amstelaedamenses *eum sibi vindicare tentarent. Nam anno* cIↃ IↃ C LXXXIV. *ab iis vocatus est ut spartam Theologicam, in Ecclesia sua, quae totius orbis, ubi intemerata religionis nostrae castimania floret, maxima est, ornaret. Sed Dordraceni tanto thesauro carere noluerunt. Quapropter ut eum honorificentissimis conditionibus sibi devincirent, non tantum stipendium honorario auxerunt, verum eum insuper sacrarum Literarum Professorem crearunt. Nec id sine fructu, mansit enim Dordraci, ibique Scholam aperuit, tanto cum successu ut undique ad illum concurrerint, qui manuductione ejus in evolvendis sacris Literis uti volebant, & ejus methodum concionandi addiscere. Hac in urbe plurima sua perpolivit, libros antea editos iterum nec sine lucro praelo subjecit, inchoata exornavit & ad umbilicum perduxit, nova singulis diebus discipulis proposuit, suo tempore edenda. Dordraceni eum merito omni honore & veneratione prosecuti sunt. Nemo erat qui non ejus consuetudinem optabat, & in rebus arduis consilium expetebat, adeoque ab omnibus amabatur, ut communi* Patris *nomine salutaretur.*

Denique merita ejus aliquatenus coronata fuerunt. Lugdunum enim Batavorum, *quod eum olim foverat & nutriverat, ad capessendam cathedram Theologicam in celeberrima Academia accersitus fuit. Hoc accidit anno hujus saeculi secundo. Hic summa cum laude docebat, & sua doctrina omnes in admirationem*

rapie-

rapiebat. Postea ab Amplissimis urbis Consulibus ut semel singulis mensibus pro concione diceret invitatus, hoc alacriter praestitit. Sed fata non siverunt Academiam tanta luce diu frui. Jam Dordraci podagra infestari coeperat orta ex vita sedentaria; quod malum cum aetate ita crevit, ut pedum usum fere totum abstulerit, & majoris etiam incommodi causa extiterit. Cum enim nihilominus studiis semper operam daret, tandem paralysi tactus est, quae memoriam ejus plane fregit, donec anno praeterito ipsis Kalendis Novembris apoplexia subito exstinctus magnam & piam animam Deo Servatorique reddidit.

Haec vitae Tillianae eruditae, ut ita dicam, summa est.

Quam ingens hic exspatiandi in laudes Viri clariss. aperiretur campus, quanta se offerret scribendorum silva, si omnia, quae de praeclaris animi dotibus, coelestis ingenii vi, diffusa doctrina, & maximis virtutibus optimi Viri enarranda restant, per partes exsequenda essent! sed vereor ne stylus meus nimis sane tenuis, tanta scribendorum mole pressus, deficiat. Delibabo ergo ex ingenti silva quaedam tantum, & ea ita enarrabo, ut si se non styli politioris elegantia, saltem rerum dicendarum veritate sint commendatura. Non scribo ex relatione aliorum, sed quae ipse vidi & expertus sum. Per quinque enim annos eum Dordraci docentem audivi, eoque, ut facillimi erat ingenii, familiariter usus sum.

Eminuit in ipso maxima & uberrima ingenii vis & acerrimum judicium. Hinc omnia, quae summa diligentia, assidua lectione, & improbo labore hauserat, sibi vividissime ob oculos ponere, & quicquid in unaquaque disciplina animadvertendum, quorsum haec & illa referenda essent, felicissime discernere & disponere poterat. Exstant tam praeclara ingenii ejus monumenta, ut nihil ex scriptis editis & ineditis proferre opus sit. Hoc ipsum quod de Tabernaculo & Anima-

libus quadrupedibus *opusculum edimus*, *facillime probat quod volumus. Hinc nodos huc usque Gordios feliciter explicuit, impiorum & amentissimorum hominum fraudes & insidias, quas religioni Christianae struebant, dexterrime detexit, explosit, & in fumum abire fecit.*

Habebat pectus omnigenae doctrinae flumine inundatum. Nihil dicam de Graecis & Hebraicis literis quibus largiter pectus impleverat. Praeteribo Chaldaicas, Syriacas, imo Arabicas ipsas quas attigerat: praeteribo Medicinae cognitionem, quae tamen magna erat.

Totius Philosophiae cognitione pollebat. Logices erat callentissimus, ut ex ordine, quem in omnibus quae edidit & scripsit, servavit, in quo nemo mihi hactenus visus est ei par aut secundus, satis elucescit. Metaphysicam valde excoluerat, quod evincunt Syntagma Theologiae naturalis, *& quae in secunda parte* Atrii Gentium &c. *Spinosae & ejus asseclis opposuit. Nec Physices rudis erat. Maximi Ethicam faciebat, & quo usque in ea processerit, ex iis quae cum discipulis, de virtutibus & vitiis in* Theologia Paracletica *communicavit, manifestum est. Matheseos prima principia non tantum attigerat, sed eo usque processerat, ut calculum Solis & Lunae ecclipsium inire potuerit.*

Ceteras disciplinas non attigerat modo, sed earum penetralia investigaverat. Quantum valuerit in Antiquitatibus tam Sacris quam Profanis, testantur quae de Musica Veterum *& praecipue* Hebraeorum *commentatus est. Quales progressus fecerit in Geographia, imprimis sacra, spectari poterit in Dissertatione de* Paradyso Terrestri, & Geographia sacra *M. S.* Chronologia *ipsi in deliciis, in qua sagacissimus fuit, ingeniique vim & ubertatem quam maxime probavit. Nodos in sacro Codice Chronologicos praecipuos ab multis tentatos, a nullis explicatos, & historias in eo con-*

ten-

tentas, dextre explicuit. De anno, menſe & die nativitatis Servatoris, *peculiarem Diſſertationem conſcripſit & publico indulſit, cui* Herodiadum hiſtoriam, *in Annalium formam redactam, ſubjunxit.* Annum quo Servator, *pro humani generis peccatis*, cruci affixus eſt, & *piam animam Patri reddidit, ex certis characteribus fixit. Initium & finem* LXX. Hebdomadum Danielis *ingenioſiſſime inveſtigavit, & certis temporis articulis alligavit. De* tempore captivitatis Johannis Baptiſtae *Diſſertationibus Academicis multa egregia diſputavit. Librum divi Lucae, quem* Acta Apoſtolorum *inſcribunt, in Annalium formam redegit, & cum Periodo Juliana aliiſque AEris contulit.* Epocham converſionis Pauli *aliter ac vulgo fiebat, certiſſimis argumentis fixit, & tempora quibus Euangelia & ſingulae Apoſtolorum Epiſtolae conſcripta fuerunt, accuratiſſime indicavit. Quod poſterius magis expolivit in* Prolegomenis, *quae ſingulis* Novi Teſtamenti *libris praefixit, in dictatis ad Celeberrimi Heideggeri Enchiridium Biblicum.*

Quantus & quam caſtus fuerit Theologus, omnibus qui eum docentem audiverunt & ſcripta ejus evolverunt, perſpectum eſt. Potens fuit in Scripturis, & maximus ſacri Codicis in his oris interpres, cum optimis comparandus, & qui omnibus palmam ambiguam reddidit, ſi non eripuit. Omnes ſacri Codicis libros enarravit & explicuit, praeter divi Johannis Apocalypſin, cujus tamen quodammodo clavem dedit in Iſagoge ad ſcripta Prophetica, & in peculiari diatriba de ſeptem Aſiae Eccleſiis, ut ex Indice huic Praefationi ſubnexo, patebit. Prophetico ſtudio valde deditus erat, maximoſque in eo fecit progreſſus. COCCEJI *methodum quidem ſequebatur, Virumque ſane maximum, de ſacro Codice, de Eccleſia & Republica Literaria optime meritum, magni faciebat : nec tamen erat ex vilioribus illis animabus,*

bus, quae in Verba Magistri jurant, & nihil quod a Magistro non est dictum proponere audent. Laudabat Coccejum ubi laudandus erat, sed liberrime, modeste tamen, ubi ratio suadebat, ab eo & aliis dissentiebat. Licet in adornandis Commentariis suis veteres & novos Interpretes consuleret, ab aliis recte dicta non descripsit. Ubique enim nova, hactenus aut non proposita, aut saltem non satis eruta & stabilita, aut hinc inde absque ordine sparsa, eleganter disposita & in ordinem redacta invenies. Sagacissimus fuit in investigando scopo sacrorum scriptorum, felicissimus in resolvendis argumentis iisque ad scopum deducendis. Ut sua sagacitate & judicii acumine omnes in admirationem raperet. In omnibus quae dedit spectanda praecipue sunt ordo, & methodus dispositionis, in qua parte summus erat. Probant hoc quam certissime, non tantum omnia quae edidit, sed praecipue concionandi Methodus & Isagoge ad scripta Prophetica.

Auctoritatem sacri Codicis, contra Hostium & Cavillatorum criminationes & cavillos omni ope sartam & tectam conservare annisus, & in eum finem Divinam sapientiam in ea, instar jubaris, coruscantem, in maximam lucem omnibus viribus protrahere conatus est. Haec ipsi prae omnibus cordi erant, huc omnes plerumque collimant quos in sacrum Codicem dedit Commentarios. Pentateuchum peculiari libro, cui Atrium Gentium apertum &c. *titulus, omnemque religionem & cultum Mosaicum, ab iniqua crisi & cavillis impiorum hominum vindicavit. Vias Dei tam in condendo humano genere, & lapso conservando, & ad aeternae salutis spem adducendo, tam in primo mundo, quam in renovato post diluvium, per omnes sacrorum librorum Codices investigavit quam diligentissime, & quae faciunt ut ostendatur vias illas esse rectas & justas, contra iniquos Censores in maximam lucem*

cem protraxit, ut inſpicienti ejus Commentarios facile patebit.

Sacra myſteria nunquam niſi cum maxima reverentia & ſacro tremore attigit, quia didicerat intellectum reddere captivum in obſequium Chriſti. *Nec ſatis duxit ſuos ad intelligentiam ſacrorum myſteriorum adducere, verum etiam eos ad ſequenda veſtigia, quae a Chriſto Servatore noſtro impreſſa ſunt, ad vitam ſanctam in terris degendam ut beatioris aliquando compotes fierent, impellere omni conatu ſtuduit. Hinc Syntagma Theologiae, ut dicunt, moralis, quod ipſe* Theologiam Paracleticam *indigitavit, componere animo volvebat. Nova in digerendo Syntagmate methodo uſus eſt, ut ex Sciagraphia in indice operum edendorum cerni poteſt. Quamvis autem inchoaverit modo hoc Syntagma, nec ad umbilicum perduxerit, tamen ex fragmentis ſatis ſuperque patet, eum mentis humanae latebras perſpectas habuiſſe, & quae vitia in ea regnare ſoleant, quibus mediis ad vitia illa debellenda & exturbanda opus ſit, & quibus virtutibus Chriſtiani ornandi ſint, penitus cognoviſſe. Ex limpidiſſimis ſacrarum Literarum fontibus omnia deduxit, quae ratio dictat non neglexit, imo hoc ſibi credidit in hiſce negotium dari, ut quae ſacrae Literae de hominum officiis jubeant, ea cum inſitis boni honeſtique principiis apprime conſentire oſtenderet.*

In omnibus ingenii monumentis, quae plurima literis conſignata memoriae & poſteris prodidit, mirifica Divinae ſapientiae reconditaeque ac ſanae doctrinae vis elucet. Hinc libri ejus cum prodirent, direpti quaſi fuerunt. Nullus eorum vernaculo ſermone ſcriptus exſtat, qui non minimum bis typis deſcriptus ſit; quin & in linguam Germanicam plurima ejus monumenta tranſlata leguntur.

Brevis eſſe ſemper laborabat, non tamen ita ut obſcurus fieret, (perſpicua enim & plana omnia) ſed ut Lectoribus

in tanta librorum copia consuleret. Nunquam excurrebat in ea quae aliena erant ab iis quae enarranda & explananda sibi sumserat; neque omnia quae afferri poterant & ipse in ditissimo doctrinae penu in promptu habebat, afferebat, verum ea tantum quae plane ad intelligentiam dicendorum necessaria erant. Hoc & observabat cum pro concione verba faceret, ut methodus ejus etiam hac parte admiranda sit.

Ceterum in cathedra Ecclesiastica regnabat. Si Orationem spectares, majestas cum venustate in omni ejus oratione certare videbatur, omnia ad persuadendum erant disposita. Eminebat singularis dicendorum ordo, & omnium membrorum orationis aptissima cohaerentia. Nunquam ejus oratio turgide intumescebat, nunquam hiulca erat, nec frigebat aut penuria laborabat, sed lectissimorum verborum copia & efficacissimarum sententiarum ubertate abundabat. Pingere eum aliquando non dicere putasses, adeo vivide quae volebat, ob oculos ponebat. Actio naturali pulchritudine se commendabat, ad majestatem praecipue composita, cui inserviebant decus faciei, oculorum plus quam aquilina acies, & vox grandis & sonora. Suavis erat cum Divinae clementiae fontes aperiendi, & jacentes animi erigendi essent, sed cum in vitia insurgeret, & indignationem Numinis impiorum criminibus infesti excandescens denunciaret, tonare & fulgurare videbatur. Hinc non tantum omnium ordinum, omnis sexus & aetatis homines, ad Templa ubi Verba faciebat, confluebant, quos extra se rapere consueverat; sed ipse merito inter primos hujus orae Oratores judicatus est.

Adolescentes qui se ejus curae & disciplinae crediderunt, maxima cura fovit, non contentus eos publicis institutionibus erudire, verum etiam viam iis monstrans ad studia sua feliciter promovenda, & quae audirent & legerent ad usum revocanda. Ad diligentiam & pietatem eos quotidie hortabatur,

batur, ipsisque calcar & stimulos subdebat. Amabat illos qui pectus Literarum & Philosophiae flumine largiter inundaverant, antequam animum ad Theologiae studium applicarent. Objurgatione dignos existimabat illos qui studiosae juventuti auctores sunt, ut statim cum in Academiam venerint, absque praevia Philosophiae & interiorum Literarum scientia, ad Theologiam convolent. Neque ferre illos poterat qui laboris compendia faciebant, & ut ad vota properarent cruda studia in Ecclesiam propellebant. Severa lege suos proficere volebat, & laborum gradus fieri, ut severa lectione sacri Codicis & optimorum tam veterum quam recentiorum auctorum, juvenes initiarentur, deinde sensim ad sublime Theologiae studium & sacrarum Literarum penetralia introducerentur, diuque audirent quae recte percipere, & deinde aliis tradere cuperent. Summa ingenii facilitate erat praeditus, & discipulos facile & maxima cum benevolentia admittebat, si quando scrupulos sibi movere, aut de studiis sciscitari vellent. Non erat ex avaris, ut ita dicam, ingeniis, quae inventa sua in pectore servant, & rarissime thesauros suos aliis explicant: sed ut omnibus utilis esse cupiebat, ita nihil sibi servabat, verum omnia cum omnibus quos desiderio proficiendi teneri videbat, benignissime communicabat.

Hinc undique studiosae juventutis ad eum concursus non tantum ex Belgio, sed etiam ex Germania, Helvetia, Britannia. Tanta nempe erat viri fama ut antequam in illustrissimam Academiae Lugdunensis scenam produceretur, ad ejus Scholam, quam Dordraci aperuerat, ingens multitudo juvenum, ut ab ore ejus penderet, & divina sapientia & doctrina imbueretur, ad eum convolaverit.

Huncce laborum suorum fructum tulit, ut omnia ejus ingenii monumenta magno cum plausu & admiratione fuerint excepta, & discipulorum numerus quotidie creverit. Nam praeter eos, qui eum Dordraci & Lugduni docentem audiverunt, libri ejus tam editi, quam inediti qui per doctorum manus volabant, ingentem

mul-

multitudinem discipulorum ei pepererunt, ut magna pars eorum, qui cum maxime in Belgio inter Theologos principatum tenent, aut eum audiverint, aut se ejus discipulos esse, qui ex scriptis ejus multum profecerint, publice & privatim fateri non erubescant.

Si ad virtutes ejus animum advertamus, maximae in eo fulgebant. Infucata Deum pietate colebat, ejusque gloriam omnibus viribus propagare & gliscenti impietati & nequitiae se opponere, quotidie studebat. Pro Ecclesiae eheu! satis afflictae salute ingens cura animum ejus dies noctesque sollicitabat. Maxima in eo conspiciebatur contentio ad insidias omnes & petitiones hostiles avertendas, maxima etiam vigilantia, fides & assiduitas in ornanda Provincia sibi commissa. Nullis laboribus ut populi & juventutis fidei suae concreditae rationibus & negotiis prospiceret, pepercit. Probant hoc quam certissime, tot rerum divinarum Commentarii, tot ardentissimae pro Ecclesiae & Patriae necessitatibus preces, & labores fere infiniti. Cum Dordraci docebat, ubi munus Ecclesiasticum totius Belgii erat onerosissimum, muneris sui partibus diligentissime & fidelissime defunctus, per quatuor praeterea hebdomadis dies, tres, singulis his diebus, horas discipulis, ut eos erudiret, impendebat, & semper nova quaedam scribentibus dictabat. Omnibus utilis esse cupiebat, neminem qui ejus operam & consilium expetebat, rejiciebat, sed unicuique pro facultate sua inserviebat. Morum antiquitas & vitae simplicitas eum maxime ornabant. Ingenuus, apertus & omnium patriciarum & parasiticarum artium prorsus rudis erat & osor. Ficti in eo nihil nec falsi nec fucati, mens semper fronti similis erat.

Placidi porro erat ingenii, rixas, pugnas, cane & angue pejus exosus. Neminem unquam scriptis suis lacessivit, nec cum aliquo altercationis serram reciprocavit, imo ipsos adversarios blande satis excepit. Errare humanum esse norat, rationibus, non dicteriis aut scommatibus pugnandum, nihilque veritati magis obesse, quam, quod propugnatores ejus dicteriis & scommatibus utantur, hostesque sacrorum nostrorum non irritandos, sed blande alliciendos esse ajebat.

ajebat. Viros eruditos quacunque demum ſecta eſſent, magni faciebat, laudabat, honorabat, & ubi recte ſentiebant, eos ſequi non erubeſcebat. Fidem faciunt Commentarii ejus in ſacras Literas, quos ab omnium ſectarum hominibus abſque offenſione legi poſſe, certum eſt. Rixas, praecipue inter fratres, abominabatur. Quanti pacem Sionis fecerit, primum ejus ſcriptum in lucem emiſſum, cui titulus Pax Salemi, *abunde demonſtrat. Quam aureae in hoc libro occurrunt regulae ad pacem firmam inter fratres ſanciendam & retinendam! quae rationum vis & copia, ſuaviter & fervide tamen propoſita, ut hominum animos ad pacis ſtudium adduceret! Quas autem regulas aliis praeſcripſerat, eas ipſe in omnibus quae in lucem dedit, & cum diſcipulis ſuis communicavit, ſanctiſſime obſervavit. Inſurrexerunt quidam in ea quae in Iſagoge ad ſcripta Prophetica diſſeruerat, & ut ea tempora ferebant, ipſi cum aliis qui Cocceji methodum ſequebantur, haereſeos dicam ſcripſerunt, in alienum ſenſum detortis ejus verbis & ſententiis, quibus maſcule, ſed tamen modeſte & placide, reſpondit, vindicatis tantum iis quae in alienum ſenſum praeter ejus mentem detorta eſſent, idque unice curavit, ut crimen inique inuſtum a ſe amoliretur. Exinde in alta pace per omne id tempus, quo Dordraci degebat, vixit. Lites enim jam deferbuerant inter Fratres, omneſque jam de ejus orthodoxia erant ſecuri. Imo cum Lugduni degeret, placide etiam inter fratres commoratus eſt, unde ſpes non vana ipſi affulſit ad extremum vitae halitum in hac quiete perſeverandi, & ea quae in ſcriniis affecta habebat magis perpoliendi. Sed fruſtra: nam ſubito exorta procella eum de ſpe quam conceperat, dejecit. Prodierant enim Dialogi, jocis, dicteriis, & ſcommatibus, quibus non tantum Theologi Belgae & praecipue Manes celeberrimi Cocceji, & ejus docendi methodus, diſcipulique, accerbiſſime & petulantiſſime, &*

ipsa quoque Ecclesiae doctrina de Typis petebantur, refertissimi, scripti a viro qui illotis manibus ad haec sacra accesserat, & sub persona εἰρηνοποιῦ, *gliscentem sub cineribus feralis litis inter fratres ignem, omnibus animi viribus, inflare velle, ut in flammam rursus erumperet, videbatur. Sibi & genio suo hominem illum relinquere Tillius primo statuebat, quia non rationibus, sed jocis & dicteriis pugnabat. Sed cum ille inde ferocire inciperet, victoriam caneret, & Tillium in arenam provocaret, Vir Clar. nec sibi, nec Ecclesiae deesse potuit; sed omnibus contentendum viribus ratus est, ne Ecclesiae doctrina detrimenti aliquid caperet, gliscensque ignis rursus in flammam abiret, & Ecclesiam turbaret. Hinc* Antidotum viperinis ejus morsibus oppositum, *ut titulus fert, in lucem edidit, scriptorique Dialogorum imprudentiam, & quam impar esset ad hoc negotium peragendum, sedulo ob oculos posuit & eum monere non destitit, ut eum ad meliorem mentem adduceret, & pacem in Ecclesia stabiliret. Displicuit hic titulus & quaedam alia in libro contenta, rigidis quibusdam Catonibus, qui patrocinium caussae Dialogistae suscipere si non omnibus, saltem in quibusdam in animum induxerunt; durius quam Christiana charitas patitur, eum exceptum caussantes. Caussam Tillii agere non est opus, cum ipse eam strenue egerit in notis quas editioni* Antidoti *vernaculae, subjunxit, & in* Paraenesi ad Dialogistam *eidem subnexa. Verebatur praecipue Tillius, quod tamen accidit, ne inquieta ingenia ansam sumerent litem fere sepultam iterum eruendi. Quare omnibus viribus in ipso libro in id incubuit, ut fratrum animos demulceret, & ostenderet in fundamentis doctrinae Propheticae & Typicae, nullum inter fratres esse discrimen, nec unquam fuisse. Nec hunc belli sacri Tubicinem cum fratribus, quibus ceteroquin Cocceji methodus displiceret,*

sen-

ſentire, ſed bellum omnibus ſimul indixiſſe. Hoc ipſum tamen ei vitio verſum eſt, quaſi voluiſſet fratrum odio Dialogiſtam objicere, & eos in eum concitare, cum illi alia mens non fuerit, quam ut pacem inter fratres diſſentientes conſervaret, id ſolum annitens, ne tubae clangore infauſti Buccinatoris, ad arma convolarent. Utinam felicia ea tempora adeſſent, ut finis litium ſpectaretur & dextrae dextris jungerentur illorum, qui in fundamentalibus, ſit venia verbo, doctrinae Chriſtianae capitibus, conſentiunt & amice conſpirant! ut arma non in propria viſcera, ſed verſus hoſtes Chriſtiani nominis verterentur, ad ſanam doctrinam propugnandam, ad hoſtium inſultus arcendos, & regnum Servatoris ad ultimos Indos propagaudum. Sed quam longe ab felicibus hiſce temporibus abſimus, triſtis eheu! docet experientia. In propria enim viſcera ſaevimus & noſmet ipſos laceramus. Sane tempora quae vivimus, Proteſtantium concordiam quam maxime poſcunt, quia ſi Roma unquam metuenda fuit, jam metuenda eſt. Placuit mihi conſilium pacificum quod Clariſſ. Jägerus *Theologus Tubingenſis, Theologis Belgis & omnibus Proteſtantibus dedit, in libro* De Foedere Gratiae ejuſque OEconomia ſub periodis ſeptem V. & N. Teſtamenti. *Ita ille pag.* 146. *poſtquam moderationem ſuaſiſſet Theologis Belgis, pergit:* Si Proteſtantes porro arma inimica contra propria viſcera gerere pergant, tum triumphabit ſuperba Roma, atque omnes ſub jugum & ſpiritum ſervitutis graviſſimum rediget. Certe Roma ſupercilium jam ſuperbe erigit, ita ut actum videatur de libertate Chriſtiana, qua nihil majus, ſanctius, & nobilius, niſi Anglia, Hollandia & Septentrio Euangelicus oculos aperiat, & fraenum hodierno imprimis Pontifici imponat. *Cui conſilio ex animo ſubſcribo, & ut omnes faciant precor. Caeteroquin dolendum Virum hunc clariſſimum in hoc libro, in quo, ſi*

cetera ſpectes, ſatis placide inquirit in ſententiam Cocceji, eam quam fovet de ſponſione Servatoris, non bene aſſecutum fuiſſe. Hinc ipſi exciderunt verba quae nollem ipſi excidiſſe. Ea habentur pag. 65. ejuſdem libri: Supponunt ergo Coccejani, quod Chriſtus, quia tantum fuerit Fidejuſſor potuerit vadimonium ſuum deſerere: & quidem tam firmiter ponunt, ut ex fundamento eo jus datum fuerit Deo, ad ſatisfactionem a fidelibus Veteris Teſtamenti ſemper exigendi, imo exinde deducunt, quod ſub perpetuo metu Patres Veteris Teſtamenti vixerint, ne ſcilicet Meſſias vadimonium deſerat, atque officium Mediatorium & ſatisfactorium reſignet: *cum Coccejus & qui methodum ejus ſequuntur, totidem verbis affirment, Servatorem nunquam vadimonium potuiſſe deſerere, quod ex illis quae Vir clar. ipſe citat* pag. 63. *abunde patet, neque ex eorum hypotheſi qua ſtatuunt, ſponſionem Servatoris magis ad Fidejuſſionem quam ad Expromiſſionem accedere, talis ſententia profluit quam Vir clar. ipſis adſcribit. Melius fuiſſet ſi nunquam verba* Expromiſſionis *&* Fidejuſſionis *in hoc negotio fuiſſent adhibita, & contenti fuiſſemus verbo quo ſacrae Literae utuntur, qui Chriſtum* Ἔγγυον Sponſorem *dicunt, cum Chriſti Sponſionem, neque* Expromiſſionis, *neque* Fidejuſſionis *ſignificatio, plene exhauriat. Utinam Vir clariſſimus vidiſſet aureum libellum, quem nuper vernacule edidit de Sponſione Chriſti, Vir Reverendus & doctiſſimus* Gerhardus Perizonius, *V. D. M. in Pago* Groot Ammers, *Viri celeberr.* Jacobi Perizonii *frater, ſane mihi perſuadeo eum quo pollet ingenio & aequitate ſententiam ſuam mutaturum. Adeo enim Vir ille, meliori, in Eccleſia Dei, ſtatione dignus, totum hoc negotium explicavit & in aprico collocavit, adeo erudite contra omnes motos ſcrupulos vindicavit, ut doctius id fieri non poſſit, & aſſenſum vel invitis extorqueat.*

Sed

Sed ut e diverticulo in viam redeam, ex dictis satis constat quantus vir fuerit Tillius Quantam jacturam fecerit ejus familia, tanto Patre orba, ex duplici enim conjugio reliquit tres liberos, ex priore duas filias, quarum una Maria *nempe nupsit Viro Reverendo & doctissimo* Benjamino van Heez, *V. D. M. in Zeelandiae pago cui nomen* de Burgt, *quem pro meritis ejus in ampliorem scenam productum ex animo vellem. Ex posteriore filium unicum, cui vere apprecor ut Patris vestigiis insistens, doctrina sua Patriae & Ecclesiae utilis evadat, & ad illud honoris fastigium ad quod Pater evectus fuit, evehatur. Neque minus certe damnum fecit, Academia Lugdunensis, Ecclesia Belgica, Respublica Literaria & optima Christiani orbis pars. Sane mors ejus non potuit non esse omnibus bonis & sacrarum Literarum amantibus acerbissima. Quod ad ipsum attinet, sibi satis vixerat, & ingenii, doctrinae & virtutis ejus monumenta facient, ut semper victurus sit apud omnes quibus sacrae Literae cordi sunt. Et nomen Tillii inter Heroas, qui pro sacro Codice, qui pro religione tuenda tot labores exantlarunt, tot certamina subierunt, semper vigebit, quam diu ipsa vigebit Religio.*

Quod ut ulterius pateat addam huic narrationi Indicem omnium librorum ab eo editorum & edendorum, de iis quae Belgico idiomate scripta sunt, in gratiam exterorum, & praecipue Germanorum meorum pauca quaedam dicturus, ut sciant qua methodo usus fuerit in enarrandis praecipue sacris Literis.

INDEX LIBRORUM

A Viro Clarissimo editorum, secundum seriem temporis qua editi sunt.

I. SALEMS VREEDE, in Liefde, Trouw en Waarheit behartigt: Waar in de Vreede-weg tot beslissing der hedensdaagsche Kerk-geschillen wordt afgebakent, der Broederen eensgesintheit in het noodige vertoont, de weg om in het overige tot een verstand te komen, bereyd, en de redenen tot voortsetting van soo heylsaam wit met alle beweginge worden aangebonden.

Hier agter is nog aangehegt een Missive des Christelyken Synodi des Hartogdoms van Gulik, aan de Kerkendienaren der Geunieerde Nederlanden, ten zelven eynde gerigt. Dit laatste is uit het Latyn vertaalt.

PAX SALEMI, *in Charitate, Fidelitate & Veritate asserta, &c. In quo libro via monstratur ad lites in Ecclesia ortas consopiendas, Fratrumque concordia in capitalibus ostenditur, & denique via ad concordiam in ceteris praeparatur.*

Cui adnexa est Epistola Synodi Ducatus Juliacensis, ad Ecclesiae in Foederato Belgio Ministros in eundem finem.

Hic liber aureus plane est, dignusque ut ab omnibus Protestantibus legatur, propter aureas ad pacem & concordiam tendentes regulas in eo contentas. Historicus quodammodo est, historiam vitae studiorum & laborum Celeberrimi Cocceji, continens; deinde Theologicus, confert enim opiniones & placita Cocceji quae maxime a fratribus ut nova, inaudita, & hinc suspecta traduceban-

bantur, cum placitis non tantum Patrum veteris Ecclesiae, sed etiam Celeberrimorum inter Protestantes Theologorum, ut ostendat non adeo nova nec inaudita esse, & cum nova videantur tamen non esse noxia, sed maxime conducere, ad auctoritatem sacri Codicis asserendam, & verum ejus sensum ex ipsis fontibus investigandum, & Adversarios omnes, praecipue Judaeos, Pontificios, Socinianos & Remonstrantes, debellandos.

Prodiit primo in forma ut vocant octava, sed dein auctior Dordraci apud Gorisios, *in 4. ubi bis recusus est.*

II. INLEYDINGE TOT DE PROPHETISCHE SCHRIFTEN, waar in de algemeene pligt der Christenen tot het ondersoeken der Prophetien, mitsgaders de nuttigheden des selfs tot de ware Godsaligheyd wert getoont, het regte gebruyk van de gaven des Geestes daar toe geschonken aangewesen, de grond-regulen voor een propheteerend Christen opgestelt, de leere van de seven Perioden der Kerke grondig bevestigt, en de consideratien van de Classis van de Seven Wouden tegens deze stoffen in haar genaamde Waarschouwinge zediglyk werden wederleyt, en tegens de uytvlugten van *D. Brink* verdedigt.

Hier agter is by gevoegt seker oudt Geschrift, Anno 1555. geschreven, *Van de Seven Tyden der H. Kerke*, door JOHANNES SASKERIDES van Warmenhuisen, in syn leven Professor der H. Theologie en Hebreeusche sprake in de Koninklyke Academie tot Koppenhagen.

ISAGOGE AD SCRIPTA PROPHETICA, *in qua officium omnium Christianorum ad investiganda Vaticinia divina, ejusque utilitas ad veram Pietatem urgetur, & verus usus donorum Spiritus eum in finem datorum, ostenditur, Regulae etiam Hermeneuticae,*

in

in usum eorum qui Prophetica scripta evolvunt, traduntur. Denique considerationes Classis Septem Sylvarum (in Frisia) in ejus sic dicta Admonitione modeste refutantur.

Huic libro subnexus est vetus Scriptum anno 1555. *datum,* De Septem Ecclesiae Periodis, *per* JOHANNEM SASKERIDEM Warmenhusanum, *dum viveret S. S. Theolog. & Hebraeae linguae Professorem in Academia Regia Hafniensi.*

Prodierat hic liber etiam in octavo, sed postea auctior, & cum interspersa responsione ad exceptiones D. Brinkii, *& bis vel ter recusus est Dordraci apud* Gorisios, *in Quarto.*

Liber insignis & omnibus qui Prophetias inquirere amant, utilissimus. Continet enim regulas Hermeneuticas ad scripta Prophetica recte evolvenda non tantum propositas, sed ita exemplis ex sacris Literis demonstratas, ut ipse Brinkius in libro quem Lapidem Lydium veritatis *insignivit fassus sit,* Reformatam Ecclesiam allegata exempla semper ut Prophetica contra Judaeos & Romanam Ecclesiam ursisse. *Quaestio etiam de septem Ecclesiae Periodis dilucide aperitur, & contra exceptiones defenditur.*

III. Het EUANGELIUM des heiligen Apostels MATTHAEI, na een beknopte ontleding, door kortbondige Aantekeningen geopent, en kragtige Demonstratien tegens alle on-Christenen en Twyffelaars betoont.

Waar by gevoegt is een kort en bondig Vertoog van de Harmonie der Evangelische historien.

EUANGELIUM *sancti Apostoli* MATTHAEI, *post succinctam Analysin brevibus Notis apertum, & validissimis*

mis Demonstrationibus contra hostes Christiani nominis & Scepticos assertum.

Cui subnexa Brevis Harmonia Euangeliorum.

Hic liber prodiit primo Amstelaedami, & postea auctior & emendatior Dordraci apud Gorisios, *ubi aliquoties recusus est.*

Liber sane Eruditissimus, & inter scripta Tillii maxime desideratus, & ni fallor etiam in linguam Germanicam transfusus. Ut autem exteri sciant qua methodo usus fuerit in resolvendis scriptis Euangelicis, paucis methodum, quam tenuit in enarrando hoc Euangelio, aperiam.

Attendens ad nexum & Scopum hujus Euangelii animadvertit, illud quidem esse scriptum Historicum, sed eo modo adornatum, ut se divinus Scriptor praejudiciis Judaeorum, circa Jesum Nazarenum, quem pro Messia Patribus promisso agnoscere noluerunt, opponeret, seligens eum in finem historias ex vita & doctrina Servatoris, quae ad avellenda illa praejudicia facere possent: ut ex collatione istarum Historiarum cum scriptis Propheticis illucescat Jesum illum esse Messiam quem Prophetae indigitarunt. Hinc in texendo Euangelio, non semper ordinem historicum & quo res gestae sint sequitur, sed rerum, quae ad eam demonstrationem faciunt, Jesum esse Christum. Hinc saepius res diversissimis temporibus licet gestas, in unum compingit, ut argumentum fortius stringat. Ex. gr. ut demonstraret Jesum esse Christum ex doctrina ejus; Conciones ejus & quae docuit, licet diversis temporibus, conjungit. Idem facit circa miracula; &c. Hinc evicit, ordinem Matthaei in texenda harmonia Euangelica non esse sequendum, quod unicuique, qui, quae a Cap. quarto ad decimum sextum enarrantur, cum Luca & Johanne conferre voluerit, facile patebit. Quod tamen plerique Harmoniarum Concinnatores ante eum fecerunt.

Methodus ipsa in enarrando Euangelio talis est.

Praemittit Isagogen ad hoc Euangelium: ubi agit,

§ 1. De testimoniis quae in scriptis Judaeorum & Gentilium occurrunt, de vita & morte Jesu, ut extra dubitationis aleam ponat, Jesum exstitisse & crucis supplicio affectum fuisse.

§. 2. De Historia Euangelica in genere & ejus veritate.

§. 3. De Antiquitate hujus Euangelii.

§. 4. De Scriptore hujus Euangelii.

§ 5. De ejus integritate.

§ 6. De lingua qua scriptum fuit.

§. 7. De occasione hoc Euangelium conscribendi.

§. 8. De modo quo exceptum fuerit.

§. 9. De Scopo Matthaei singulari.

§. 10. De statu controversiae inter Apostolos, & Judaeos Gentilesque incredulos

§ 11. De ordine in texendo Euangelio observato.

§. 12. De modo & vi demonstrationis.

Deinde ad Euangelium ipsum accedit. Hoc pandit brevi uniuscujusque partis Analysi, succincta verborum & rerum explicatione, deinde addit demonstrationem, unamquamque pericopam ad scopum suum reducentem. Demus hujus rei specimen ex Capite primo. Euangelium in tres partes divisum est.

I. Pars prima continet ea quae observanda sunt circa adventum Jesu in hunc mundum.

א. Pericopa prima per tabulas Genealogicas indicat genus unde ortus est, vers. 1. - 17.

Hanc Genealogiam succincte explicat, & difficultates quae in ea inveniuntur, in verborum explicatione removet.

Deinde demonstrationem ad Scopum subjungit.

Scopus in hac pericopa est demonstrare, Jesum ex tali familia ortum suum duxisse, ex quali Prophetae praedixerunt Messiam oriundum esse. Hinc ita pergit:

§. 1.

§. 1. Character indubius & inter primarios est, ex quo Messias agnoscendus erat, eum fore ex domo Davidis & proinde ex semine Abrahami.

I. Propter expressa testimonia quae ex Mose & Prophetis citantur.

II. Propter Judaeorum in hac re sententiam universaliter receptam, ubi Judaeorum sententias refert.

§. 2. Tabulae Genealogicae a Matthaeo productae demonstrant Jesum familiam duxisse ex Davide & Abrahamo.

§. 3. Judaeorum exceptionibus respondetur.

§. 4. Vis hujus argumenti ad probandum Jesum esse Christum ostenditur.

In digerendo hoc Euangelio videbis rarum judicii acumen. In explanatione rerum & verborum, patebit immensa eruditio. hinc multa felicissime detecta quae antea obscura erant, multi nodi expliciti, qui inexplicabiles habebantur. Inter alia in hoc libro occurrit dissertatio de anno Θανασίμῳ *Servatoris Mathematice demonstrato. Ex indubiis characteribus, observat*

I. Jesum fuisse crucifixum, cum Pontius Pilatus Procurator Caesaris cum imperio erat in Judaea, & Josephus Cajaphas Summus Judaeorum Pontifex. Ex historia vero patet Pilatum eo ipso anno, quo Tiberius mortuus est, fuisse remotum, postquam Cajaphas anno praecedenti a Vitellio de Pontificatu esset depulsus. Jam Tiberius mortuus est anno imperii sui XXII. hinc ultra annum XX. Tiberii, mors Servatoris protrahi non potest.

II. Jesum anno XV. imperii Tiberii a Johanne fuisse baptizatum, post quem Baptismum minimum tria Paschata celebravit, hinc necessario sequitur eum non fuisse crucifixum neque anno XV. XVI. neque XVII. Tiberii. Remanent proinde anni Tiberii XVIII. XIX. & XX.

III. Jesum fuisse crucifixum feria Hebdomadis sexta, qua feria Judaei, qui neomeniam figebant secundum Lunae

phasin, Pascha comedebant. Jam calculo Astronomico adhibito invenit hunc characterem tantum convenire anno Tiberii XIX. qui est Period. Jul 4746. hinc concludit hunc esse annum Θανάσιμον, quae fusius cum eruditis observationibus ad ultimum Christi Pascha deducit ad Cap. XXVI. In *demonstrationibus autem multa dicta Prophetica egregie illustrat.*

IV. METHODUS CONCIONANDI *juxta praecepta artis Hermeneuticae & Oratoriae concinnata, quam in usum studiosae juventutis delineavit.* Dordraci apud Gorisium.

Hic libellus mole quidem est exiguus sed variis cimaeliis refertus. Occurrunt in eo non tantum doctissimi & accuratissimi canones inventionis & dispositionis ad quodlibet genus Textuum felicissime enucleandum & ad Pietatem urgendum, verum etiam quae faciunt ad sacras Literas rite explicandas, & quae in omnibus partibus observanda sunt, in Propheticis, Typicis, Emblematicis, Historicis, Didacticis, Paracleticis. Illud Vir clariss in hac methodo singulare habet, quod inculcet, in textibus Propheticis nulla argumenta ex Novo Testamento esse adducenda, verum omnia probanda ex scopo, nexu, & vi verborum textus, & collatione cum aliis dictis Propheticis, ut ita viam sternat ad convincendos Judaeos, qui nulla argumenta ex Novo Testam. admittunt. Sed quae ex Novo Testamento adducenda sunt, rejicit in finem, per modum impletionis, ubi dicta Prophetica cum dictis Novi Test. & historia rerum confert. In Historicis Novi Test. ordinem invertit, argumenta in explicatione ex Novo Testam. petit, sed per modum ἀποδείξεως prophetias cum dictis Novi Testamenti confert, ut probet hanc vel illam rem ita evenire debuisse juxta Prophetarum vaticinia. Ut discipuli methodum succincte propositam melius intelligerent; in privatis Collegiis non tantum obscura explicuit, sed specimina vel paradigmata uniuscujusque generis tex-

tus

tus dedit. Sic scribentibus dictavit, ut specimina textus Emblematici & Prophetici ad manus haberent, Homilias in benedictiones Judae Jacobi filii ad Genes. XLIX. &c. Postea typis describendas dedit Homilias in omnia anni Festa, & in Catecheseos Heidelbergensis maximam partem, discipulis tantum distribuendas, quae ad Viri clar. methodum intelligendam apprime conducunt.

V. DIGT- SANG- en SPEEL-KONST soo der OUDEN, als byzonder der HEBREEN, door een naawkeurig onderzoek der Oudheyd uyt syn voorige duisterheyd wederom opgeheldert: dienende om, by wege van een Voorloper, den Leezer tot een beter verstand der Goddelyke Psalmen, en netter begryp van haar ware gebruyk onder beide de Testamenten op te leiden. In 4. te Dort by *Goris.*

ARS POETICA & MUSICA, *tam Vocalis quam Instrumentalis* VETERUM, *praecipue* HEBRAEORUM, *diligenti disquisitione Antiquitatis ex tenebris quibus involvebatur in lucem protracta: ut tanquam Prodromus Lectorem in intelligentiam Divinorum Psalmorum, & verum usum eorum sub utroque Testamento introducat. Dordraci apud* Gorisium, *in* 4. *bis jam recusus.*

In hoc libro multa erudite de Veterum Musica & praecipue Hebraeorum traduntur. Ut autem Lector sciat quae hic liber contineat, dabo brevem totius Operis tabellam. Dividitur in tres partes:

I. Pars prima agit de Veterum Musica & Poësi in genere.
- א. De Cantu ejusque origine & progressu, *Cap.* I. & II.
- ב. De Arte Poëtica Veterum, *Cap.* III.
- ג. De Musica Instrumentali, & Instrumentis Musicis Veterum.

A. De Instrumentis quae inflato spiritu sonum edunt, *Cap.* IV.

B. - - - - - - quae instructa sunt chordis, *Cap.* V.

C. - - - - - - quae pulsu aut concussu sonum edunt, *Cap.* VI.

ד. De Viribus Musices Veterum, *Cap.* VII.

ה. De usu Musices in sacris Gentilium, *Cap.* VIII.

ו. Digressio de cultu Rheae vel Cybeles, *Cap.* IX.

II. Pars secunda propius ad Scopum accedit, & ostendit quae circa Poësin divinorum Psalmorum observatu digna sunt, ubi agit:

א. De Inscriptione libri Psalmorum generaliori non tantum, sed & de titulis Psalmorum ipsis, quare quidam, *Psalmi*, alii *Hymni*, alii *Cantica*, alii simul *Psalmi* & *Cantica* dicantur, &c. *Cap.* I.

ב. De sodalitio Musicorum tempore Davidis, & praecipuis Musicis, *Cap.* II.

ג. De Poëtis & auctoribus Psalmorum, *Cap.* III.

ד. De occasionibus ad Psalmos pangendos, *Cap.* IV.

ה. De collectione Psalmorum & ordine in ea servato, ubi de conservatione & integritate Psalmorum sacrorum, *Cap.* V.

ו. De Hebraeorum metro, *Cap.* VI.

ז. De sapientia Poëtica quae in Psalmis ubique se exserit. *Cap.* VII.

ח. De maximo hujus libri pretio; ubi elegans Syntagma Theologiae, tam Propheticae quam Didacticae & Paracleticae ex Psalmis delineatur, *Cap.* VIII.

ט. De divina origine libri Psalmorum, *Cap.* IX.

III. Pars tertia delineat ordinem, qui in Musica Templi Hierosolymitani observari debuit, & agit:

א. De

א. De Muficis Hebraeorum eorumque ordine in obeundo munere in Templi Atriis, *Cap.* I.

ב. De locis ubi Mufici non tantum in populo habitabant, fed & ubi ftabant in Atrio, *Cap.* II.

ג. De temporibus ad Muficam deftinatis, *Cap.* III.

ד. De Veftitu Muficorum, *Cap.* IV.

ה. De electione materiae ad Muficam ftatis temporibus, *Cap.* V.

ו. De Inftrumentis Muficis quorum ufus apud Hebraeos in cultu facro, *Cap.* VI.

ז. De melodiis Pfalmorum, ubi de titulis *Gittith*, &c. *Cap.* VII.

Vidit haec eruditiffima ad Pfalmos Introductio lucem Dordraci cIↄ Iↄ c xcii. *inftructa figuris aeneis, ex veterum Nummis & faxis erutis, ad inftrumenta Mufica Veterum difcernenda, & una ex ingenio Viri clar. ad Muficam Templi rite perfpiciendam aptiffima.*

VI. HET BOEK DER PSALMEN des Konings en Prophete Davids, in haar Goddelyke wysheit ontvouwt, en der zelven waar gebruik ten kortften aangewezen, V. *Vol. in quarto.* Waar agter by gevoegt is het zelve Boek, op het nieuw (behoudens den trant van *Dathenus*) berymt, het eerfte Boek door *Nicolaus van der Meer*, Predikant te Zutphen, de overige door *Matthaeus Gargon*, Predikant te Vliffingen. Te Dort en Leiden by verfcheiden, en op verfcheiden tyden.

LIBER PSALMORUM *Regis & Prophetae* Davidis, *explicatus & enucleatus, ut fapientia Divina in eo corufcans animadvertatur, & verus Pfalmorum ufus breviter oftenfus. V. vol. in* 4.

Bis jam editus eft hic liber, & forfan totus in linguam Germanicam tranflatus. Certe ego ipfe clariff. Auctori

pri-

primum Volumen ex Germania ante aliquot annos redux in has oras, translatum attuli.

Est Commentarius egregius in libros Psalmorum hac methodo elaboratus. Praemittit unicuique Psalmorum brevem & perspicuam Isagogen. In qua inquirit in auctorem Psalmi, in titulum & rationem Musicam, an usus fuerit privatus, an publicus in Templi cultu; deinde summam totius Psalmi breviter proponit, occasionem pangendi Psalmum & scopum, etiam an Propheticus sit? an secus? Si Propheticus sit, quodnam sit Psalmi subjectum & ad quod tempus referendus, diligenter investigat. Tandem expendit artem Poëticam in unoquoque Psalmo observatam, &, si drama sit, ut plerique Psalmi, quinam sint personae colloquentes aut cantantes.

Ab Isagoge ad Psalmum ipsum accedit, hunc pandit & resolvit eleganti Analysi, secundum praecepta artis Poëticae. Postea verba Psalmi brevi & perspicuo Commentario illustrat. Si Propheticus est Psalmus, impletionem Historicam subjungit. Et tandem quem usum Psalmus unusquisque praestiterit sub Veteri Testamento & quem praestet sub Novo addit.

Huic Commentario adjuncta est rythmica Psalmorum explanatio, ita concinnata, ut mentem Tillii exponat, & tamen cantari possit eo modo quo Psalmi in Ecclesiis Belgicis cantantur. Primi voluminis auctor est Nicolaus van der Meer, *Vir Reverendus, Pastor olim Zutphaniensis; posterioris Clar.* Matthaeus Gargon, *Verbi Divini Minister Flissinganus, Vir doctus, & Poëtica facundia florens.*

VII. HET VOORHOF DER HEIDENEN voor alle Ongelovigen geopent, om de zelve aldaar, door een klare beschouwinge van de betoogde Goddelikheit van Mosis

Mosis Wet-boek, tot een eerbiediger ingang in 't Heiligdom van Gods Wet toe te rusten.

Vervolg op het VOORHOF DER HEIDENEN, waar in de grond-stellingen van Mosis Wet en Wet-boek met de Reden-leer wordt vereffent, en haar vastigheit tegens de Ongodisten nader, tot versterkinge des Geloofs, betoogt. Te Dordrecht by *Goris*.

ATRIUM GENTILIUM *omnibus Infidelibus apertum, ut ibi, per claram perceptionem demonstratae divinitatis Pentateuchi Mosaici, praepararentur ad ingressum cum veneratione in sacrarium Divinae Legis.*

Cui additur SUPPLEMENTUM AD ATRIUM GENTILIUM, *in quo demonstratur fundamenta Legis Mosaicae & Pentateuchi apprime sanae rationi convenire, & firmitas eorum contra Atheos, ad confirmandam Fidem fidelium demonstratur.*

Bis jam & hic liber recusus est Dordraci apud Gorisios, *egregius certe, & multa eruditione refertus. Cum in eo esset ut Commentarios ad Psalmos praepararet, antequam illos ad umbilicum perduceret, reficiebat animum enodandis in usum discipulorum suorum aliis sacri Codicis libris: nam laboris mutatio ei fuit animi refocillatio, ut alibi in Praefatione quadam loquitur. Hinc quae olim collegerat ad libros Historicos Veteris Testamenti, in ordinem redigere coepit, sed antequam aliquid horum emitteret, Divinitatem sacri Codicis & praecipue librorum Mosis, qui sub Pentateuchi nomine vulgo veniunt, contra nostri temporis Atheos, criticos cavillatores, & pseudo-philosophos stabilire necesse duxit, quod praestitit in hoc volumine. Cujus prima pars tota occupata est in asserenda divinitate, veritate & integritate librorum Mosis, & destruendis argumentis Spinosae, Hobbesii, & illius, qui*

ſub perſona Theologorum Batavorum impie ludere voluit, aliorumque. In hoc libro doctrinam Typicam, contra Nobiliſſimos & ceteroquin Eruditiſſimos Anglos Marshamum & Spencerum, ſolide vindicavit, & multa egregia vaticinia, & inter illa etiam nobiliſſimum illud de LXX. Hebdomadibus Danielis, illuſtravit. Principium harum Hebdomadum multis rationibus fixit in menſe Niſan anni XX. *Artaxerxis Longimani, qui eſt Periodi Jul.* 4263. *cui ſi addas* 483 *annos pro* LXII *&* VII *hebdomadibus, in quarum fine Meſſias exſcindendus erat, incides in anni Periodi Jul.* 4746. *menſem Niſan; quo anno & menſe, ut ſupra jam notavimus, Vir clariſſ. in notis ad Euangelium Matthaei, Mathematice demonſtravit Jeſum fuiſſe mortuum & ex terra viventium exciſum. Quod vaticinium novo & eruditiſſimo Commentario illuſtratum, & ſententiam Tillii novis & ſolidiſſimis argumentis ſtabilitam, & ab exceptionibus egregie vindicatam, tibi brevi exhibebit ſolertia Viri venerandi, Cognati & Symmiſtae mei conjunctiſſimi,* HIERONYMI VAN ALPHEN.

Secunda pars tota Philoſophica eſt, ubi de uſu & abuſu Philoſophiae in rebus ſacris, de eſſentia & exiſtentia Dei, aliarumque rerum, contra Spinoſam & alios fuſe & doctiſſime agit. Sed nolumus in hiſce prolixiores eſſe.

VIII. EERSTE WERELDS OP- EN ONDERGANG, na Moſis oogwit en beſchryving ontvouwt, betoogt en verdedigt, zynde een grondige verhandelinge over de VIII. eerſte Hoofd-ſtukken van Moſis I. Boek, waar in alles word ontleed, de text geopent, en der ongelovigen grieven opgeloſt. Dordrecht by *Goris*, 1698.

PRIMI MUNDI ORTUS ET INTERITUS, *ſecundum Moſis ſcopum & deſcriptionem enucleatus, demon-*

monstratus & defensus, sive Commentarius amplissimus in VIII. priora Capita libri Mosis primi, ubi omnia analysi resolvuntur, verba & phrases enucleantur, scopus descriptionis demonstratur, & infidelium objectiones contra Mosis Historiam diluuntur. In quarto, Dordraci apud Gorisium, 1698.

Eximius quoque est hic liber, continens specimen qua methodo Historiae Veteris Testamenti legendae & enucleandae sint.

Praefatio loco Prolegomenων in totum librum Geneseos est, ubi inquirit in rationem denominationis, Libri praestantiam, scopum Mosis in hoc libro, & methodum descriptionis.

In enarrandis octo prioribus Capitibus, hac utitur methodo:

I. Inquirit in scopum quem Moses sibi in enarrando ortu & interitu primi mundi proposuit.

II. Divisione libri facta in Pericopas quasdam, indagatur

1. In uniuscujusque pericopae scopum.
2. Textus Mosis analysi resolvitur.
3. Verba & phrases textus explicantur.
4. Demonstratur historiam scopum antea detectum ferire.
5. Et tandem respondetur objectionibus & cavillis infidelium.

IX. PHOSPHORUS PROPHETICUS, *seu* MOSIS & HABAKUKI *Vaticinia, novo ad istius* * *Canticum & hujus librum Propheticum Commentario illustrata, & cum justa rerum historia accuratius collata.*

Hisce accedit Dissertatio Paradoxa, Theologica, Chronologica, de ANNO, MENSE ET DIE NATI CHRISTI. *Lugd. Batavorum apud* Luchtmans, 1700.

* Deut. XXXII.

X. MALACHIAS ILLUSTRATUS, *seu novo Commentario analytico & exegetico ad planiorem sensus evolutionem elucidatus, & justa historiae cum vaticiniis collatione assertus.*

Cui accedit Dissertatio singularis Geographico-Theologica, de SITU PARADYSI TERRESTRIS. *Lugduni Batavorum apud* Luchtmans, 1701.

Duo doctissimi libri, sed quia lingua Latina scripti sunt, & eruditissimi Actorum Lipsiensium scriptores eos recensuerunt, de iis nihil dicam.

XI. THEOLOGIAE UTRIUSQUE COMPENDIUM *cum Naturalis, tum Revelatae, una cum Appendice de origine Controversiarum nostri temporis & necessariis Indicibus, in usum privatorum Collegiorum.*

Parvus est hic liber, sed propter ordinem in eo servatum, magni pretii.

XII. ANTIDOTUM VIPERINIS MORSIBUS D. J. OPPOSITUM, *quod, ad pacem & concordiam in Ecclesia Belgica (Illustr. Ordinum Edicto feliciter in eam introductam) integre conservandam: hominisque iniqua consilia in tempore dispellenda in publicum edit auctor provocatus.* Lugduni apud Luchtmans.

Hunc librum postea Vir clar. in linguam Belgicam transtulit, diversis Notis & Paraenesi ad Dialogistam auxit.

XIII. DISPUTATIONES ACADEMICAE, de

I. *Initio Euangelii cum anno imperii Tiberiani* XV. *componendo & connectendo. Pars prima & secunda.*

II. *Johannis Baptistae ministerio ejusdem temporibus.*

III. *Johannis Baptistae incarceratione fictitia, Herodiana vincula antecedente.*

IV. *Johannis Baptistae incarceratione unica, ministerio ejus publico finem imponente.*

V. *Sab-*

V. *Sabbathi Deuteropoti vero & justo tempore.*

VI. *Tempore Johannis Baptistae ex Herodis Antipae itinere Romano eruendo. Pars prima & secunda.*

VII. *Duplici ministerii Christi Prophetici Epocha.*

VIII. *Paschate Johan. VI. vers. 4. memorato, ab ultimo vitae Christi Paschate distinguendo.*

Inedita & brevi edenda.

I. *Homiliae in omnia anni Festa, & Catechesin Heidelbergensem.*

II. *Tota sacra Scriptura Analytice resoluta a Genesi ad Apocalypsin Johannis, sive Collegium Biblicum in Heideggeri Enchiridium.*

III. *Vaticinia Jesaiae, Danielis & Hoseae, uberiori Analysi reserata.*

IV. *Commentarii in Epistolas Pauli ad Romanos*, idiomate Belgico, *ad Corinthios primam, Ephesios, Philippenses & Colossenses*, Latine.

V. *Acta Apostolorum in Annalium formam redacta.*

VI. *Oratio D. Pauli ad Antiochenses Pisidiae, explicata, ad* Actor. XIII. 16. - 47.

VII. *Diatriba de septem Asiae Ecclesiis, ad* Apoc. II. & III.

VIII. *Ecclogae Chronologicae.*

IX. *Theologia Paracletica.*

Utinam ad umbilicum hoc Opus potuisset perducere, cum sit inter desiderata. Pro concione omnia quae calamo excipientibus postea dictavit, primo dicebat: hinc Homiletice omnia proposita sunt. Ut autem innotescat quem ordinem tenuerit & quousque Opus perduxerit, ex Prolegomenis Sciagraphiam excerpam, & ipsius clariss. Auctoris verbis proponam. Eo magis, ut calumniam abster-

ſtergam qua quidam illos qui Cocceji methodum ſequuntur conſpurcare in animum induxerunt, ac ſi pietatis praxin inculcandam negligerent.

Diviſit totum opus in tres partes.

1. *Pars prima agit de convictione hominis peccatoris, una cum praxi reſipiſcentiae & fidei, ut traducatur ex ſtatu peccati in ſtatum gratiae. Ac proinde peccator reſpicitur ut cum Deo conciliandus, Deus autem ut eum ad communionem ſuam invitans, atque ita reſpondebit Reſipiſcentia Vocationi efficaci, Fides vero Juſtificationi.*
2. *Pars ſecunda de ſtudio Pietatis & Sanctitatis fidem & reſipiſcentiam conſequente.*
3. *De fiducia & ſpe ſanctificationis in πληροφορία πίστεως & reſtipulatione fiduciali manifeſtanda. Reſpondebit obſignationi ſeu glorificationi praeliminari, qua in hac vita fovetur gaudium fidelium.*

Primam partem iterum diviſit in duas partes ſeu ſectiones.

I. Prima ſectio tradit convictiones peccatoris ſub ſervitute peccati laborantis, & reſpicit

ℵ. In genere peccatorem ſub dominio peccati laborantem, & certis quibuſdam vinculis vitae peccati implicitum, atque ita impugnat

α. Dominium peccati ſuadens illud deſerendum, *Cap.* I. ad *Rom.* VI. 12.

β. Ἐπιθυμίας carnis, quas concipit ut vincula ſervitutis, *Cap.* II. ad *Gal.* V. 16. quae hominem retinent

A. Per κοσμοφιλίαν ſpecie boni decipientem, *Cap.* III. ad 1 *Joh.* II. 15. cujus ſpecies ſunt,

a. Vita in voluptatibus, *Cap.* IV. ad 1 *Tim.* V. 6.

b. Vita in avaritia, *Cap.* V. ad *Luc.* III. 15.

c. Vita

c. Vita in ambitione & ſuperbia, *Cap.* VI. ad 1 *Joh.* II. 16.

B. Per amorem inturbatae poſſeſſiois perverſum, qui infert

a. Iram, *Cap.* VII. ad *Jac.* I. 18, 20.

b. Vindictae cupidinem, *Cap.* VIII. ad *Rom.* XII. *verſ.* 28.

ב. In ſpecie peccatorem certis quibuſdam affectibus ſub dominio peccati conſtrictum, concipitur enim peccator

α. Ut omni modo inſenſatus,

A. Profanitate, *Cap.* IX. ad *Heb.* XII. 16. cui ſubordinatur

a. Atheiſmus & infidelitas maligna, *Cap.* X. ad *Hebr.* III. 12. quibus conjunguntur

a. Incuria ad verbum gratiae, *Cap.* XI. ad *Hebr.* II. 3.

b. Rejectio reprehenſionis, *Cap.* XII. ad *Proverb.* I. 25, 26.

c. Irriſio promiſſionum & comminationum, *Cap.* XIII. ad *Deut.* XXIX. 19, 20.

d. Σκληροκαρδία, ſive inſenſatio ſub judiciis Dei, *Cap.* XVI. ad *Jer.* V. 3.

e. Perſecutio piorum, *Cap.* XV. ad *Gal.* IV. 29.

b. Impudentia, cui adhaeret

a. Impudica peccatorum profeſſio, *Cap.* XVI. ad *Jeſ.* III. 9.

b. Gloriatio in ſceleribus, *Cap.* XVII. ad *Pſ.* LII. 3.

B. Socordia, quae ἀνοησίαν habet matrem & nutricem, *Cap.* XVIII.

β. Aut aliquo boni aut mali futuri ſenſu tactus aut affectus, & cum eo colluctans.

A. Cum

A. Cum ſpe vana ſibi adeptionem boni futuri pollicente, aut amolitionem mali quadantenus ſpondente, quod fieri ſolet,

A. Sine errore viae vitae, quando peccator procraſtinatione reſipiſcentiae converſionem in aliud tempus differt, *Cap.* XIX. ad *Hebr.* IV. 2.

B. Cum errore medium ſalutis perverſum ſibi proponente, ubi

a. Hypocriſis, quae continet errorem aut circa ſpiritualitatem legis quam negat, ut juſtitia externa ſeu civili poſſit videri juſtus, aut circa rigorem legis, dum peccata certis quibus obſervantiis expiari poſſe cenſet, *Cap.* XX. ad *Matth.* XIX. 10. & ad *Job.* VIII. 13.

b. Idololatriae, qua ad falſos accedit mediatores, *Cap.* XXI. ad *Jer.* II. 11. - 13.

c. Ἐθελοθρησκεία cum ſuperſtitione, *Cap.* XXII. ad *Col.* III. 23.

C. Cum ſpe mitigandi malum, ubi locum habet

a. Magia, *Cap.* XXIII. ad *Exod.* XXII. 8. *

b. Conſultatio diaboli, *Cap.* XXIV. ad 1 *Sam.* XXVIII. 6. - 8. *

B. Sine ſpe, ubi peccator concipitur colluctans cum conſcientia exprobrante, eumque condemnante, ubi oritur deſperatio, *Gen.* IV. 13.

II. Sectio ſecunda tradit praxin Reſipiſcentiae, & Fidei, ubi

א. Reſipiſcentia conſideratur ut averſio a via peccati, quae poſcit,

α. In genere viam peccati deſerendam eſſe, *Cap.* I. ad *Jeſ.* LV. 7.

β. In ſpecie averſionem a peccatis, quae ſe oſtendit

A. In

A. In vera poenitentia, *Cap.* II. ad *Jer.* XXXI. 19. Part. 1.

B. In ſancto pudore, *Cap.* III. ad *Jerem.* XXXI. 19 Part. 2.

C. In triſtitia ſecundum Deum, *Cap,* IV. ad 2 *Cor.* VII. 10.

D. In lachrymis poenitentiae, *Cap.* V. ad *Luc.* VII. *verſ.* 35.

E. In peccatorum confeſſione, *Cap.* VI. ad 1 *Joh.* I. *verſ.* 9:

F. In odio peccati, *Cap.* VII. ad *Pſal.* XCVII. 10.

G. In paupertate ſpirituali, *Cap.* VIII. ad *Matth.* V. 3.

ב. Fides, in qua obſervanda ſunt

α. Cognitio veritatis, *Cap.* IX. ad *Prov.* XXIII. 23.

β. Fames & ſitis juſtitiae, *Cap.* X. ad *Matth.* V. 6.

γ. Confugium ad Chriſtum, *Cap.* X. ad *Pſal.* II. 12.

δ. Ὁμολογία fidei, *Cap.* XI. ad *Hoſ.* II. 19.

ε. Subjectio ad novam obedientiam, *Cap.* XII. ad *Pſal.* CXIX. 106.

ג. Reſipiſcentia, conſiderata in converſione ad Deum & virtutem, & vitae emendatione, ubi occurrit,

α. Delectatio in lege Dei, *Cap.* XIII. ad *Rom.* VII. 22.

β. Cupiditas incrementi, *Cap.* XIV. ad 1 *Petr.* II. 2.

Pars ſecunda proponit praxin ſanctificationis & peccatoris inſtitutionem, ut ferat fructus fidei & reſipiſcentiae dignos. Cumque haec ſanctitas duplicem ineat relationem, prout conſideratur aut ſimpliciter, aut in certamine ſpirituali, prout ſe habet aut ad incrementum, aut ad conſtantiam in lucta: haec pars etiam duabus abſolvitur ſectionibus.

I. Sectio prima officia ſanctitatis praeſcribit ſimpliciter, ubi occurrunt

א. In genere, quaedam officia pertractanda.

α. De officio ſanctificationis, *Cap.* I. ad 2 *Cor.* VII. 1.
β. - natura virtutis, *Cap.* II. ad 2 *Petr.* I. 5.
γ. - interna ſpiritualitate, *Cap.* III. ad *Rom.* I. 9.
δ. - vera pietate, *Cap.* IV. ad *Mich.* VI. 8.
ε. - ambulatione cum Deo, *Cap.* V. ad *Geneſ.* V. 24.

ב. In ſpecie officia,

α. Quae *Deum* ſpectant, ubi de pietate in Deum, *Cap.* VI. ad 1 *Tim.* IV. 7. qui ſub quadruplici relatione conſideratus, varia officia poſcit.

A. Ut optimus conſideratus Deus, amandus eſt: agit ergo de amore Dei, *Cap.* VII. ad *Matth.* XXII. 13.

B. Ut maximus, ei debetur

A. Honor, *Cap.* VIII. ad *Mal* I. 6.
B. Timor, *Cap.* IX. ad *Eccl.* XII. 13.
C. Humilitas, *Cap.* X. ad *Mich.* VI. 11.

C. Ut potentiſſimus univerſi moderator conſideratus, oportet, ut homo habeat,

A. In adverſis patientiam, *Cap.* XI. ad *Luc.* XXI. *verſ.* 19.
B. In proſperis gratum animum, *Cap.* XII. ad 1 *Theſſ.* V. 18.
C. In futuris fiduciam, omnia ſua Deo commendando, *Cap.* XIII, ad *Prov.* III. 5.

D. Ut Legiſlator, qui voluntatem ſuam obligantem legibus definivit, amor & pietas exigunt,

A. In privato, obedientiam, *Cap.* XIV. ad 1 *Sam.* XV. 23. cum

a. Spontaneitate, *Cap.* XV. ad *Pſal.* CX. 3.
b. Sinceritate, *Cap.* XVI. ad *Geneſ.* XV. 11.
c. Laetitia & alacritate, *Cap.* XVII. ad *Pſ.* C. 2.
d. Conſtantia, *Cap.* XVIII. ad *Apoc.* XI. 10.

B. In publico ſeu ſocietate Eccleſiaſtica, exigit pietas cultum publicum. Ubi alia ſunt officia

a. Prae-

a. Praesulum, quales sunt,

I. Doctores, quorum est verbum Dei pure explicare, & ad usos suos revocare.

II. Gubernatores, quorum est Ecclesiam regere cum disciplina Ecclesiastica.

III. Pauperum inspectores, quorum est eleëmosynas colligere & dispensare.

b. Membrorum particularium, quorum praxis est,

I. Preces fundere,

II. Psalmodia.

III. Auditus verbi.

IV. Usus Sacramentorum, ubi de praxi

1. Baptismi.

2. Sacrae Coenae.

β. Officia quae *Nosmet ipsos* spectant, jubet quidem pietas nos ipsos abnegare & perversam φιλαυτίαν excutere, ita tamen ut caveamus nosmet ipsos negligere. Est enim legitimus aliquis amor nostri, quo omnia ista nobis cupimus, quae, cum animam, tum corpus aptare possunt, ut Deo fruamur, aut utile ei servitium praestemus, continetque haec pars:

A. Εὐζωίαν, seu praxin exornandi nosmet ipsos ad officium debitum.

A. Animam,

a. Scientia.

b. Sapientia spirituali.

c. Prudentia.

B. Corpus, quod pietas curare jubet, sed cum moderamine requirens.

a. In acquirendis rebus, diligentiam sine avaritia.

b. In possidendis, contentationem.

c. In utendis, temperantiam, quae excludit,

I. Respectu victus, comessationes & ebrietates.

II. Respectu amictus & aliarum necessitatum, luxum, adeo ut rebus hisce omnibus non frui velit, sed uti, & quidem ut corpus aptum evadat mentis organum ad obligationes suas solvendas.

C. Utrumque simul quatenus in operando concurrunt, sensibus externis & internis utendo, ubi praxis pietatis exigit.

a. Sensuum externorum gubernationem providam, in applicatione eorumdem ad objecta, cavendo ne se convertant ad res vanas & ad vanitates sollicitantes, quae gubernatio est,

I. Oculorum.

II. Aurium, &c.

b. Sensuum internorum gubernationem, quae versatur in moderamine passionum animi, quae hic singulatim excutiendae sunt.

c. Sermonis gubernationem, ubi vitia linguae sunt fugienda, quae tantummodo relationem ad nosmet ipsos habent.

B. Εὐθανασίαν, quae continet praxin bene moriendi, sive ea curandi, ut quis cum certa salutis persuasione animam Deo tradere possit.

γ. Officia quae *Proximum* spectant, quae comprehenduntur sub ea pietatis lege quae jubet proximos diligere sicuti nosmet ipsos, atque hic pietas sive amor proximi secundum varias relationes, varias quoque praescribit obligationes seu virtutes quibus proxi-

mi

mi bene esse curare oporteat, consideramus autem proximum.

A. Ut ejusdem Domini peculium, qui cum nobis undique similis sit, sub iisdem quoque obligationibus communi Domino subest, unde amor proximi hic exigit *justitiam*, quae jubet nolle illi detrahere quae Deus ipsi voluit addicere, verum jus suum cuique tribuere. Cumque omne jus fundetur in divina largitione, hoc ipsum quislibet justo titulo possidet, quod divina munificentia cuique concessit, qui vero quid contra molitur, is dominium illud supremum Dei abnegat. Proin justitiae est, conservare proximi

A. Vitam, cujus oppositum est homicidium

B. Castitatem, cujus opposita sunt scortatio, adulterium, incestus, &c.

C. Opes, cujus oppositum est furtum, cum apertum, tum clandestinum & fraudulentum.

D. Honorem & bonam famam, cujus opposita, calumnia & falsum testimonium.

B. Ut peregrinationis hujus comitem, cum quo eadem calcanda via, quod comitium a nobis exigit,

A. Pacis studium, omnesque conatus ad eam sine ullo dissidio conservandam.

B. Tolerantiae studium promovendum,

a. Mansuetudine.

b. Longanimitate.

c. Reconciliabilitate, quae virtutes locum habent, quandocunque injuria afficimur, aut affici putamus.

C. Ut quandoquidem miserum & tamen conservum ejusdem heri, in quo casu amor praescribit, *miseri-*

ricordiam, exigitque animum ad omne auxilium promtum. Verum cum miſeria alia ſit corporalis, alia ſpiritualis, opra in utroque caſu navanda hic concipitur, ut opus

A. Oris, & quidem
   a. Interceſſionis, cum apud Deum, tum apud homines.
   b. Solatii, animos oppreſſorum erigendo.
   c. Conſilii, dum ſecundum chariſmata nobis conceſſa, cum iis communicamus quicquid prudentia dictat.

B. Operis,
   a. Liberando proximum a periculis.
   b. Erogando eleëmoſynas, abeſſe autem debet, ἐπιχαιρεκακία, multo magis oppreſſio & tyrannis.

D. Ut amicum cum quo arctius conjuncti ſumus aut nos conjunctos cupimus, ubi virtus *Amicitiae* locum habet, atque hic conſiderare operat, ut requirens
   A. In amici electione prudentiam,
   B. In amicitiae conſervatione fidelitatem,
   C. In amicitiae confirmatione humanitatem & promtitudinem. Amico opponitur inimicus, quem tamen amandum eſſe ex lege Chriſti conſtat, cujus oppoſitum eſt odium inimici.

E. Ut ſingulari foedere & pacto nobis conjuncto, quod foedus vel eſt
   A. Politicum. Ubi amor praeſcribit,
   a. Officia ſuperiorum Regis nempe aut Magiſtratus cujuſlibet, quorum eſt ſubditos fovere, regere & defendere, omneſque pravos ordi-

ordinem, & tranquillitatem turbantes, arcere, punire, armisque avertere.

b. Cujuscunque subordinationis, sive sint,

1. Aulici & Ministri Magistratus, quorum est jussis parere & mandata stricte exsequi.
2. Privati, quorum est Superioribus exhibere
   1. Reverentiam.
   2. Legibus obedientiam.
   3. Tributorum pensionem, &c.

B. Ecclesiasticum, ubi personae correlatae quoque sunt considerandae secundum officia & munera sua, suntque hic

a. Πρεσβύτεροι, quorum est Ecclesiam pascere.

b. Populus, cujus est Episcopos

I. In honore habere.

II. Ut legatos Christi audire.

III. Sustentare.

C. Oeconomicum, variae hic quoque sunt relationes,

a. Mariti & uxoris cum debitis suis officiis,

b. Parentum & filiorum.

c. Tutoris & pupilli.

d. Domini & servi.

D. Bellicum, ubi spectanda sunt, Ducis & militum, quae omnia recensere nimis longum foret.

II. Sectio secunda praescribit officia sanctitatis in lucta observanda. Nam cum sanctificatio in hac vita sit imperfecta, & homo multis tentationibus expositus, & per carnis imbecillitatem variis lapsibus sit subjectus, studium perseverantiae hic venit promovendum, quod sub duobus capitibus continetur, ut exigat

א. Stre-

א. Strenuam resistentiam, atque hic locus est agendi
 α. De tentationibus Diaboli, mundi & carnis.
 β. De gymnastica spirituali, quae explicabit, qua methodo, quibusve armis spiritualibus tuto & feliciter cum hisce hostibus sit certandum.
ב. Resurrectionem ex lapsibus quotidianam, quae requirit,
 α Quotidianam conscientiae excussionem.
 β. Resipiscentiam renovatam.

Pars tertia est consolatoria, & indicat quomodo fidelis consolandus sit in hac vita, & ad πληροφορίαν fidei adducendus, ita ut certus esse possit, se post hanc, vitae beatioris in coelis compotem fore, ubi indicatur,

I. Via perveniendi ad πληροφορίαν, ubi describuntur,
 א. Quaedam virtutes, ut
  α. Spes vitae.
  β. Πληροφορία fidei.
  γ. Gaudium spirituale.
 ב. Quaedam media obsignationis in legitimo usu Sacramentorum Novi Testamenti.

II. Tandem indicantur fundamenta cui consolatio inaedificanda est, ubi agendum
 א. De firmitate fundamenti Dei.
 ב. De certitudine divini auxilii, fundata
  α. In Patris fidelitate qua se obstrinxit infirmis.
  β. In speciali gratia Filii,
   A. Qui misericors est erga miseros.
   B. Qui intercedit pro afflictis.
  γ. In auxilio Spiritus Sancti.
 ג. De certitudine boni exitus, in diversis casibus, &c.

Cum ego Dordraco abirem opus perductum fuit ad secundae partis Cap. XV. de obedientia Deo debitu, sed pro

con-

concione ulterius perduxerat, quae deinde aut Lugduni dictavit, aut inter schedas ejus reposita manserunt.

X. *Isagoge ad scripta Prophetica more Mathematico proposita.*

XI. *Sciagraphia Syntagmatis Antiquitatis sacrae.*

XII. *Genealogia sacra.*

XIII. *Geographia sacra.*

XIV. *Notae ex ore ejus excerptae ad Methodum Concionandi. Si Haeredes, aut hi qui eorum nomine inedita scripta edent, ex paradigmatibus, quae Vir clar. multo numero ad quaevis textus genera recte explicanda dedit, quaedam cum judicio seligerent, & hisce notis subjicerent, utilem sane Reip. Literariae navarent operam.*

XV. Tandem hi, quos jam edimus libelli.

Praeterea etiam alia in scriniis Viri cel. latere constat, quae si cum delectu edantur, utilia publico esse possint.

Quod ad libellos quos Tibi sisto, B. Lector, attinet, sunt mole exigui, sed auro pretiosiores, ingenii Tilliani praestantissimam vim, & doctrinae cultum abunde demonstrantes. Possunt ii speciminis loco esse, utpote ex quibus conspici poterit, qua methodo Typi & Emblemata sacra sint enucleanda. Observaverat Vir clar. inter rationes, quibus Typicae & Emblematicae expositiones impugnantur, has esse praecipuas. Quod hae expositiones nullis sint circumscriptae limitibus, hinc quidlibet ex quolibet secundum luxuriantis ingenii lusum deduci, & convenientias in infinitum augeri, vulgo queritur. Deinde, quod in ritibus Mosaicis explicandis statim ad spiritualem sensum convoletur, neque indicetur quem usum hi ritus habuerint inter Israëlem, pro ratione illius oeconomiae sub qua vivebant. Denique in explanandis Tabernaculi partibus offendebat, quod diversae Tabernaculi partes unam eandemque rem adumbrarent, ex.

gr. quod Arca, Velum, Altaria, *&c. sint umbrae Christi. Ut hisce difficultatibus obviam iret, & Sapientiam Dei in Emblematibus & Typis ludentem, omnibus ostenderet; canones hermeneuticos pro sua sagacitate sibi composuerat, quos utinam publico commisisset, sed damnum aliquo modo resarciri potest, si inspiciantur canones, quos in* concionandi Methodo, *ad textus Emblematicos & Typicos rite enarrandos, praescripsit, ac ea quae Joncourtio opposuit, & hi denique Libelli adhibeantur.*

In Emblematibus eruendis hac methodo usus est. Literam primo pensitavit, ex litera naturam rei investigavit & exposuit, tam ex sacris Literis, quam ex observationibus Veterum & Recentiorum: quaenam in bonam aut malam partem accipiebantur, & proinde aut laudabantur, aut vituperabantur, ob oculos posuit. Deinde inquisivit, cujus rei haec vel illa proposita res Symbolum haberetur, aut in sacris Literis, aut apud Veteres; quare voluit ut evolverentur Horus Niliacus *& alii Auctores veteres, imo & Scriptores rei Numismaticae, quia nummi varia emblemata depingunt. Denique de analogiis aut convenientiis inter signum & rem significatam deliberavit; sed antequam ad illas indicandas se accingeret, basin & fundamentum quoddam jecit, & ad relationes rerum, & respectum quem ad alias habent, quam maxime attendit. Ex illa basi convenientias in suis relationibus ad basin deducebat, quo effecit ne quis exspatiari posset, & convenientias pro lubitu & ingenio luxurianti augeret. Exemplum nobis sit* Leo. *In litera proponit nomina Leonum in sacris Literis obvia, eorum naturam, & quae tam ad corpus, quam ad qualitates spectant, quae tandem in Leonibus laudantur & vituperantur, ex observationibus Veterum, Recentiorumque, & sacris Literis. Deinde observat quarum rerum Emblema sit Leo in sacris Literis,*

ris, & *indicat Leonem esse Emblema, si bonae ejus qualitates spectentur*, Principum, Dei, Christi, & Bonorum. *Si malae qualitates spectentur*, Tyrannorum aut Ecclesiae hostium, Diaboli & Hominum se Deo opponentium. *Basis generalis, si in bonam partem Leo spectetur, in eo sita est, quod omnium animalium facile sit Princeps, qui odio habet lupos & simias, & eos & alia noxia animalia in silvis & desertis diripiat, & feras cohibeat. Hinc & in sacris Literis & apud Veteres, Leo Emblema fuit Regum & Principum. Jam Regum & Principum est gubernare populum, & bello, si opus, eum defendere: in ambabus hisce partibus Leoninae virtutes eminere debent, ut in* Gubernatione, *Leonina vigilantia, justitia rigida, & clementia: in* bello, *fortitudo, generositas, calliditas, sagacitas, &c. Ast in sacris Literis* Deus, & Christus *Leo audiunt. Basis relationem habet ad basin generaliorem. Quia Deus fuit Rex Israëlis, & Christus Rex est Ecclesiae; hinc quae ipsis in sacris Literis, ad Leones spectantia, adscribuntur, in relatione Gubernationis & Belli ipsis attribuuntur. Deus suos ut Leo* gubernat, *severis castigationibus & judiciis. Cum illa judicia annuntiat, aut castigationes, praesagia severiorum judiciorum, immittit, ei* Rugitus *Leonis adscribitur. Si judicia ipsa, dicitur* discerpere. *In* defensione & bello *Fortissimus est, & maximas edit Hostium strages. Ita in hac relatione Christo tribuuntur Leoninae virtutes, in* gubernatione, *majestas, vigilantia, severitas in pravos. In* bello *Fortitudo & hostium oppugnationes. Sed Leones etiam sunt emblemata servorum Dei & Christi. Basis est quod Reges aliquando usi sint Leonibus mansuefactis & cicuratis, ad corporum aliarumque rerum custodiam, & ut judicia exercerent in malos. Sic servi Dei & Christi sunt tanquam Leones mansuefacti, quorum est gloriam Regis sartam*

tectam servare, bonos defendere & malos cohibere, quod ut rite faciant, Leoninae virtutes in iis spectandae sunt. Si Leonis vitia spectemus, ubi, ut diximus emblema Tyrannorum, Diaboli &c. est. Basis est. Quod Ecclesia sit grex, & Leones sint gregibus infesti, ita Tyranni, Diabolus, &c. & erga Ecclesiam omnia vitia Leonum ostendunt. Et sic emblemata suis limitibus sunt circumscripta, & non possunt esse opus ingenii luxuriantis.

In Typicis observavit, omnia in litera, ut ita dicam, habuisse usum in populo Israëlis, neque statim ad spiritualem sensum esse convolandum optimo jure censuit, sed antequam spiritualis sensus indagetur, inquisivit in usum quem ritus praestiterint in illa oeconomia. Hinc usum quem habuerunt ut Basin assumebat, unde alia, imo ipsum spiritualem sensum deduceret. Statuebat, ut apud omnes fere in confesso, Regimen Israëliticum fuisse Theocraticum, Deumque fuisse Regem Israëlis. Iste Rex signo glorioso, quod Judaei Schechinah *vocant, inter suos habitare voluit, sed quia Israëlitae, antequam terra sancta potirentur, considerabantur ut exercitus habitans in tentoriis, Deus voluit in Tabernaculo tanquam Imperator in praetorio habitare, hinc oportebat omnia esse regia, & majestati regiae convenientia, unde in Tabernaculo omnia pretiosa & regia, &c. Reges habent Ministros, Internuntios, Satellites, qui omnes decoris vestibus erant induendi, &c. sic etiam Deus Rex habuit suos Ministros: Pontifex intimae admissionis, Sacerdotes secundae admissionis, Levitae Satellites erant, &c. In hac relatione omnia, quae ad cultum & ritus Mosaicos pertinent, spectanda esse demonstravit. Haec* Oeconomiam literalem *vocare solebat, & pro basi & fundamento ponebat, ut iis inaedificaret sensum spiritualem sive mysticum. Optimis rationibus etiam probavit, Regimen Israëliticum fuisse umbram regiminis Christi in Ecclesiam Novi Testamenti,*

ti, ubi Christus Rex est. Schechinah, *sive* Gloria Dei, *Tabernaculum inhabitans, ipsi est Christi divinitas. Tabernaculum vero figura sive typus Ecclesiae est, in quo Christus habitaret. Tabernaculum dividebatur in* Sanctum Sanctorum, Sanctum & Atrium. *Teste Paulo*, Sanctum Sanctorum *est typus coeli, Ecclesiae proinde triumphantis & in coelum introductae:* Sanctum, *Ecclesiae verae, sed adhuc militantis in terra*; Atrium, *Ecclesiae exterioris, ubi mali mixti bonis. Hisce observatis variae profluunt relationes, quibus vasa quae erant in Tabernaculo & omnia quae ad Tabernaculum constituendum pertinebant, pro loco ubi erant posita, diversos habebant respectus, & maxime variebantur. Sic* Arca *ex ligno, erat typus humanae naturae Christi, sed auro obducta & in Sancto Sanctorum posita, Christi in coelis glorificati, &c. Sic* Velum *etiam erat typus humanae naturae Christi, sed alio respectu, nam obpansum significabat, viam ad Sanctuarium nondum fuisse apertam quam diu Christus in carne ageret, sed velum ruptum indicabat, per mortem Servatoris aditum fuisse apertum, ut illi qui in Sancto, id est, Ecclesia vera degerent, per meritum mortis Servatoris haberent accessum ad thronum gratiae, ad Christum glorificatum, ut tandem ipsi glorificentur. Et sic aliae Tabernaculi partes Christum adumbrabant, sed semper diverso respectu & diversis relationibus, quas relationes Vir clariss. pro sua sagacitate optime discrevit, & sic Virorum doctorum objectionibus abunde & solide satisfecit.*

Tandem monendum, hos Libellos esse ex posthumis, quos si ipse Auctor edere potuisset multo ornatiores prodiissent. Dictavit eos discipulis suis ante viginti fere annos. In animo tunc volvebat Systema Antiquitatum sacrarum elaborare, secundum ordinem Sciagraphicae descriptionis quam suis dedit. Per libros quatuor totum Opus dispescuerat. Pri-

mum librum destinabat Chorographiae, *in quo enarraret, Judaeorum Patriam, Colonias, gentes vicinas, incolas, animalia, plantas, mineralia, metalla, &c. Secundum,* Politiae & Historiae *gentis Judaeorum. Tertium* Religioni. *Quartum* Oeconomiae *tam Judaeorum quam vicinarum gentium, sed deinde sententiam mutavit. Specimen tamen dedit, nam ex libro primo cum discipulis communicavit* Geographiam sacram, Zoologiam & *denique* Genealogiam, *ex quibus Zoologiam ideo selegi, quia non tantum Animalium Historica descriptio in ea occurrit, sed etiam Emblematica, ne quis putet me divulsisse quae conjungenda essent, cum nullum cum Genealogia & Geographia nexum habeat. Ex his ratio apparet quare Vir clar. ad libros de* Sacrificiis & *alios provocet, quia eos nempe moliebatur, sed non perfecit. Ceterum in edendis hisce libellis omnem quam potui adhibui fidem & diligentiam. Tria imo quatuor & plura exemplaria inter se contuli, ut verum sensum qui vitio Amanuensium aliquando obscurior erat, in lucem protraherem. Loca sacrae Scripturae veterumque Auctorum quae eorundum vitio saepius erant turbata, & perperam posita, ipse evolvi & restitui, quaedam, sed pauca, meam diligentiam effugere potuerunt. Vitia Typographica, quae sensum morantur sub calcem Indicis annotavi. Indices autem hos debes diligentiae Viri optimi & doctissimi* Arnoldi Borstii. *De mea Dissertatione nihil hic praefari animus est, habet illa suam Praefationem, quae evolvi poterit. Omitto etiam ea quae me impulerunt ad hos libellos edendos. Quodcunque autem laboris hic praestitum est, id nec lucri caussa, nec honoris spe, sed in Tuum commodum & ad bene de Republica Literaria merendum suscepi. Vale. Dabam Amstelaedami* VI. *Kal. Augusti Anno AErae vulgaris* CIↃ IↃ CC XIV.

SALO-

SALOMONIS VAN TIL, V. Cl.

COMMENTARIUS CRITICO-TYPICUS DE TABERNACULO MOSIS,

AD

EXOD. CAP. XXV. --- XXX.

INTRODUCTIO IN SECUNDUM PENTATEUCHI LIBRUM.

Articulus Primus.

Libri Nomenclatura.

LIber, cujus aliquot capita pro viribus illuſtrare ſuſcepimus, majoris operis pars eſt, & hiſtoriæ de rerum primordio continuatio, quæ tantam cum antecedenti volumine & ſequentibus connexionem & ſtyli convenientiam agnoſcit, ut dubitari nequeat quin ſit ejuſdem ſcriptoris opus continuum, ſub communi nomine libri תורה comprehenſum. *Eſræ* ſeculo in LIV. Sectiones diviſum, ut Sabbatinis reſponderet lectionibus; ab aliis in V. vol. diſcretum, quod uno Pentateuchi nomine innotuit. Præſens hic liber, nobis ex parte excutiendus, ſecundum conſtituit volumen, quod

α. Judæi nomine שמות denotant, deſumpto à prima voluminis voce, quæ gentis conſuetudo eſt.

β. Græci autem Ἔξοδον appellarunt à primario hujus voluminis argumento, quo traditur ſtupendum illud eductionis populi Iſraëlitici ex Ægypto opus, quo ex ſervitute Ægyptiaca liberata, gens & uſque ad montem Sinai deducta, legibus divinis ita formanda venit, ut in fœdus cum Deo tranſire poſſet.

ARTICULUS II.

Argumentum Libri.

Argumentum hujus libri planè historicum est, Reip. simul ac Ecclesiæ Judæorum origines exhibens: refert enim populi primam à reliquis gentibus separationem ad tempora Ducatus Mosis, explicatque distinctius, quo pacto dilectissima hæc Patriarcharum progenies in Ægypto quondam oppressa, libertati non tantum restituta fuit, ut singularem Rempublicam constituere posset, verum legibus divinis ita fuerit adornata & instructa, ut gratum uni Deo cultum, à cultu reliquarum omnium gentium valde distinctum, Deo Regi & populi patrono præstare valeat. Notandumque igitur leges divinas huic libro inseri per modum historiæ, quatenus Deus repræsentatur, ut qui aliquando inter illos apparuerit, & certis quibusdam intervallis cum Mose agendo, novo huic populo voluntatem suam manifestaverit.

ARTICULUS III.

Hujus Libri Scriptor.

Dubitari nequit quin Moses referendus sit inter antiquissimos Legislatores, cum id quoque admiserint ipsi gentiles, qui seculis illis fuere viciniores, inter quos *Pythagoras* & *Plato*, nec non *Polemon*, *Artapanus*, aliique quorum testimonia adduxit *Grotius* in erudito de *veritate Religionis Christianæ* opusculo. Accedit *Judæorum* testimonium in hac causa nequaquam spernendum, utpote qui volumen legum plurimis seculis ostentarunt tanquam calami Mosaïci opus, & annuatim in solemnitatibus perlegerunt. Quod si nemo sanus Laconibus fidem deneget qui *Lycurgum* celebrant Legislatorem, aut Atheniensibus qui *Solonem* eo nomine venerantur, non est cur quis traditionem Judaïcam sublestæ fidei esse præsumet; ipsa enim ratio dictat ut, cui Respublica originem debet, illi quoque debeat primordiales ejus leges, secundum quas regimen administratum jam olim fuit: adde quod primordiales illæ leges, quibus resp. omnem quoque salutem debet, ut κειμήλια asservari soleant ut pote gloria gentis. Hæc majorem con-

confirmationem accipiunt ex ipsa *Tabernaculi* antiquitate; opus in eo populo antiquissimum & cum prima origine natum, cui omnis forma cultus alligata fuit. Jam vero si attendamus ad causam structuræ *Tabernaculi*, pellucebit totum hoc tentorium Arcæ causa erectum, Arcamque ipsam conditam fuisse propter tabulas fœderis lapideas, quarum erat reconditorium, & propter volumen Legis quod illi adjectum erat à latere: unde evidentissime liquet leges ejusdem antiquitatis esse ac ipsum *Tabernaculum*; unde & Arca vocatur *Arca Testimonii*, utpote recondens opus legum divinarum, & ipsa sua sollicita conservatione probans ejus originem. At non sufficit, originem legum deduxisse à Mose, verum considerandum est penitius adversus nuperum aliquem * *Gallum*, num Moses fuerit quoque historiæ Legislationis Scriptor & Promulgator: eo enim impudentiæ pervenit suspicax hoc nostrum seculum, ut quidam concedant leges fuisse à Mose scriptas, verum historiam legislationis, cui leges illæ insertæ sunt, & adhærent, dudum postea adornatam & compositam fuisse ex antiquorum fama & traditione; verum cui hoc studium adscribere illi velint, ipsi inter se non consentiunt, hisce *Esram*, aliis *Sacerdotem* aliquem *Bethelicum* assignantes, qui id moliti fuissent, verum quam lubricis id fiat fundamentis facile constat attendenti

α. Ad mandatum Dei *Exod.* XVII. 14. ubi Mosi jussit rem cum Amalekitis gestam libro quoque inserere, ut ejus memoria maneat: quo mandato præsupponit Deus aliquas res gestas à Mose conscribi ac proinde & hanc historiolam reliquis adjiciendam esse.

β. Ex *Samaritanorum Pentateucho* colligimus omnem historiam legislationis conscriptam fuisse ante illud divortium quod inter Judam & X. Tribus intercessit. Fieri enim nequit ut duæ nationes se mutuo cane pejus & angue odio prosequentes, consentiant in eandem historiam, post divortium adornatam. Solent enim divisa pectora semper in alia abire, & critico calamo distringere, quæ vel ulla specie carpere possunt.

γ. Accedit quod *Regius Psaltes* variis in Psalmis historiam eductionis populi ex Ægypto & legislationis ita indigitet, ut satis evidenter hinc colligere possimus, illa omnia non tantum sub Mose gesta, sed & scripta esse.

* Sentiment de quelques Theologiens de Hollande.

ARTICULUS IV.

Scribendi neceſſitas.

Hanc hiſtoriam Legiſlationis divinæ, extorſit ipſa neceſſitas, & ſeculi facies; erat enim populus Iſraëliticus ad idololatriam pronus, pervicax & Moſis authoritatem ſæpius in dubium revocans, poſt inventam ſcribendi artem non potuit tuto traditionibus committi, quæ ſcribendi cauſa etiam ſub finem *Deuteronomii* allegatur, ſcil. legum divinitas ex ſola hiſtoria legiſlationis innoteſcere potuit, cum quæ erant morales ex lumine naturæ poſſent deduci, quæ vero cæremoniales ab arbitrio alicujus Legiſlatoris pendebant, ut proinde nullum argumentum divinitatis ex ipſis legibus deduci poſſit, ſed omnis probatio profluat ex modo tradendi.

ARTICULUS V.

Scopus hujus Libri.

Hæc ſcribendi neceſſitas & ἀφορμὴ nobis facile ſuppeditat ſcopum ſcribentis, qui duplex eſt,

α. Ne leges divinæ oblivioni tradantur aut hominum perfidia in alienum ſenſum detorqueantur; Scriptura enim rei geſtæ σύγχρονος ſeu coæva & publice tradita non potuit in poſterum obſcurari, quoniam in omnium manibus verſabatur, & qui ex manu Legiſlatoris acceperant, abinde primæ puritatis teſtes conſtituti fuerunt, quod validum fuit remedium ad refrænandam poſteritatis audaciam, ſi quiſpiam auderet adverſus legum divinitatem & ſinceritatem moliri aliquid.

β. Ne in poſterum aliquis dubium moveret adverſus legum divinitatem & irrefragabilem authoritatem, omnem Legiſlationis hiſtoriam adjecit Moſes, quæ ſcil. ipſa valida eſt ad divinitatem legis adſtruendam: tanta enim ſigna & miracula comitabantur eductionem populi ex Ægypto, conſervationem in Eremo, & primordialem legis promulgationem; ut nemo non agnoverit divinam præſentiam, & convictus fuerit ſe eſſe oculatum & auritum teſtem; coacti enim ſæpius ſunt fateri, quod ipſum Deum ex monte Sinai audierint verba

fœderis pronunciantem, & quod Seniores una cum primoribus viderint Symbolicum illud majeſtatis divinæ emblema, cujus repræſentamen poſt ſolemnem fœderis ratificationem illis exhibitum fuit *Exod.* XXIV. quod argumentum pro divinitate legiſlationis ideò magis ſtringit, quatenus rei geſtæ hiſtoria reſpondet antiquæ promiſſioni Abrahamo datæ *Gen.* XV. 13.—17. qua Deus Abrahamo ſpem fecit non tantum ſeminis ſecuturi, verum etiam in Ægypto aliquandiu opprimendi, ſed ſingulari gratia inde liberandi & in peculiarem Deo populum ſecernendi, à quo coli vellet, & quem ſingulari politia gubernandum ſibi ſubjiceret.

ARTICULUS VI.

Stylus Moſaicus.

Stylus Moſaicus hic ſimplex eſt & hiſtoricus rem omnem ſecundum temporum ſeriem digerens, maximaque Dei opera ſine encomiis ſimpliciter exhibens, ut non videretur præoccupare hominum animos proprii judicii interpoſitione; verum quid de omnibus illis judicandum eſſet cujuſque meditationi relinquens, unde prætumida verba cothurno incedentia, qualia oratores amant, ut animi παθήματα excitando homines prius in admirationem quam ad attentionem abripiant, procul eſſe voluit.

ARTICULUS VII.

Oeconomia hujus Libri.

Ut autem conſtet quo loco & ordine ſingula collocata ſint, animadvertendum bipartitum fere eſſe hoc opuſculum, comprehendereque

A. Hiſtoricam enarrationem liberationis populi ex ſervitute Ægypti, cujus notatur

- א. Occaſio, quæ fuit injuſta populi ab Ægyptiis oppreſſio *cap.* I.
- ב. Præparatio & quidem
  - *α.* Inſtrumenti quo Deus uti vellet in maximo hoc opere, Moſem indigito cujus deſcribitur

 1. Na-

1. Nativitas *cap.* II.
2. Vocatio *cap.* III.
3. Confirmata authoritas *cap.* IV.

β. Ipsius operis, ubi conspicitur Mosis cum Pharaone multifaria transactio, non sine perpetua lucta regis desideratam dimissionem populi nunc concedentis, nunc denegantis, *cap.* V. —— *cap.* XI.

ג. Executio ubi

α. Populi migratio ex terra Gosen, quæ

1. Promota est, primogenitorum in Ægypto occisione, dum Angelus occisor Israëlitis parceret, *cap.* XII.
2. Memoriæ commendata, lege agni Paschalis commemorationem annuatim præcipiente, *cap.* XIII. 1. —— 16.

β. Deductio usque ad mare rubrum, addita ratione, cur non deducerentur per viam Philistæorum, *cap.* XIII. 17. —— 22.

γ. Trajectio maris rubri, unde Judæis

a. Salus, Ægyptiis interitus accedit, *cap.* XIV.
b. Gaudium quod singulari cantu testati sunt, *cap.* XV. 1. —— 21.

ד. Continuatio dum Deo duce Eremum ingrediuntur, ubi experti sunt Dei.

α. Curam illis obmurmurantibus omnia necessaria exhibentem, qui

a. Aquas amaras correxit, *cap.* XV. 22. —— 27.
b. Mannam loco panis substituit, *cap.* XVI.
c. Aquam ex rupe illos assequentem suppeditavit, *cap.* XVII. 1. —— 7.

β. Defensionem satis validam præstitit adversus Amalechitarum insultum, *cap.* XVII. 8. —— 16.

ה. Politiæ peculiaris constitutio, dum ex Jethronis consilio populo dantur judices, *cap.* XVIII.

B. Historiam legislationis & originis cultus divini in hac partè agitur,

א. De fœdere Dei cum populo erecto, cujus confœderationis notantur

α. Præmissa quæ consistebant

a. In populi invitatione ad πανηγύριν, cum debita animorum & corporum præparatione, *cap.* XIX. 1. —— 15.

b. Dei

b. Dei ipſius majeſtuoſa apparitione ad tranſigendum cum populo, *cap.* XIX. 16.

β. Norma fœderis ore tenus explicata, ubi ſtipulatio divina alia facta fuit,

a. Deo ipſo loquente & immediate populum compellante, *cap.* XX. 1. —— 17.

b. Mediate per Moſem dum populus præ tremore Deum loquentem non amplius ferret, ſed Moſem internuncium peteret, qui illis dedit præcepta ſpectantia,

1. Cultum externum, *cap.* XX. 18. —— 26.
2. Mutuum populi commercium & concivium converſationem, *cap.* XXI. & XXII. 1. —— 17.
3. Venerationem ſuperioribus debitam, *cap.* XXII. 18. —— 31.
4. Ad forum & juſtitiæ exercitium, *cap.* XXIII. 1. — 9.
5. Ad publicas ſolemnitates annuatim celebrandas, *cap.* XXIII. 10. —— 19.
6. Ad bella legitime gerenda, ubi commendatur veneratio Angeli in bello ducis, *cap.* XXIII. 20. —— 32.

γ. Ratificatio fœderis cum omnibus ejus ſolemnitatibus, & ipſius numinis ſymbolica viſione, *cap.* XXIV.

ב. De erectione tabernaculi, cujus ſtructura

a. Commendatur & divino præſcripto indicatur, *cap.* XXV. —— *cap.* XXXI. 1. —— 17.

b. Interrumpitur aliquantiſper propter populi peccatum cum vitulo aureo, donec Deus populo reconciliatur, *cap.* XXXI. 18. —— *cap.* XXXIV.

c. Conſummatur, *cap.* XXXV. —— *cap.* XL.

CAPUT XXV.

Analysis.

OMittentes illa, quæ ad populi deductionem ex Ægypto ad montem Sinai ducunt, & ad legislationem seu fœderis promulgationem & ratificationem pertinent, accingimus nos ad Tabernaculi erectionem. Præsenti *capite* XXV. exhibet nobis Moses nobilissimum illud colloquium seu potius alloquium quo Deus ducem populi edocuit,

α. Quæ ad congestionem materiæ in Tabernaculi structuram inpendendæ requirebantur, *vers.* 1. — 9.
β. Formam Arcæ in Sancto Sanctorum collocandæ, *vers.* 10. — 22.
γ. Delineationem mensæ, cui panes propositionis imponerentur in primo adyto collocandæ, *vers.* 23. — 30.
δ. Faciem Candelabri aurei in eodem primo adyto erigendi, *vers.* 31. — 40.

MANDATUM GENERALE

De colligenda materia & struendo Tabernaculo.

Analysis.

Alloquium Dei primum
α. Designat modum quo collectio materiæ instituenda foret, *vers.* 1, 2.
β. Definit materiam coacervandam, desumendamque
  1. Ex metallis, *vers.* 3.
  2. Ex filamentis, *vers.* 4, 5. p. pr.
  3. Ex rebus solidis, *vers.* 5. p. altera.
  4. Ex odoriferis, *vers.* 6.
  5. Ex lapidibus pretiosis, *vers.* 7.
γ. Explicat in quem usum ista collectanea erant impendenda, ibique exponitur
  a. Quid ex iis fabricandum foret, *vers.* 8.
  b. Quanta cum cura prototypon exprimere debebant, *vers.* 9.

Scho-

Scholia.

Verſ. 1. *Et locutus eſt Jehova cum Moſe*] Judæi hoc alloquium Dei ad Moſem exiſtimant incidiſſe in ſeptimum diem menſis Sivan : ſtatuunt enim promulgationem & ratificationem fœderis uno die abſolutam fuiſſe, quod ſane veriſimile eſt, non tantum quia omnia facile uno die abſolvi potuerunt, verum etiam quia illa tranſactio non videtur in plures dies divellenda, quæ tam arcte cohæret, cum annua legiſlationis illius memoria celebrata fuerit ipſo die Pentecoſtali, qui ſemper incidit in 6. menſis Sivan, & ſolemnitatis illius unicus tantum dies fuerit feſtivus, Judæorum traditio videtur ſententiæ favere ; qua data hypotheſi ſequitur neceſſario hoc alloquium in ſequentem diem referendum eſſe, quia redeuntibus à monte Senioribus Moſes ponitur ibi manſiſſe per 40. dies, qui terminantur in 17. menſis Tamous, quo Judæi jejunium fractarum tabularum cauſa annuatim quoque obſervant, à ſeptimo enim menſis Sivan uſque ad 17. menſis Tamous 40. dies intercedunt. Incidit proinde alloquium hoc in tertium ab exitu Ægyptiaco menſem, ut Deus non diu cunctatus fuerit, quin præſcripſerit populo omnem colendi modum.

Verſ. 2. *Loquere ad filios Iſraël*] Mandatum obligatorium devincit omnem populum ad ſuppeditandam materiam tabernaculo requiſitam, quia omnes filii Iſraël tranſierant in fœdus, & illis ut fœderatis incumbebat quibuſdam muneribus Deum fœderatum agnoſcere. Accedit quod Deus concipiendus fuerit ut populi rex, & in Oriente reges ſine munere nemo ſalutat.

Capietis mihi oblatum] Capere hic eſt proprie ſeparare à proprio peculio quædam Deo tradenda: vocabulum hebræum תרומה à themate רום in hophal הורם ſignificat aliquid de acervo & cumulo tollere, vnde Græci appellant ἀφαίρεμα, ſecundum hanc etymologiam ſignificat donum de ſumma ablatum, ſed cum radix exaltandi ſignificationem qnoque agnoſcat, nonnulli *elevationem* interpretantur, quod Belgæ eleganter exprimunt *een hef-offer*. Conjiciunt viri docti donum hoc ita appellatum fuiſſe à ritu quodam adhærente, volentes quod Sacerdotes qui iſta donaria excipiebant ab offerentibus, ea cœlum verſus attollerent, quaſi Deo repræſentantes & elevatione ſignificantes, illa nunc Dei eſſe.

Cujus cor erit voluntarium] Verbum hebræum נדב significat spontaneum animi motum, scilicet non erat præscribendum populo, quæ quisque daret, verum illud cujusque arbitrio committendum erat, ut quilibet teneretur hoc dono testari amoris maguitudinem, & quanti faceret Dei amicitiam, quam si quis pluris faceret, eo ampliorem quoque mensuram attulit.

Vers. 3. *Capietis aurum*, &c.] Metallorum tres enumerantur species tum in vasorum confectionem, tum etiam in investituram quorundam utensilium impendendæ. Nulla *ferri*, *stanni* aut *plumbi* fit mentio, utpote metalla corruptioni magis obnoxia & minoris pretii, cum hic omnia debeant pretiosa esse & regiæ, imo divinæ majestati, respondentia.

Vers. 4. *Hyacinthina*] Color pro re colorata metonymice ponitur, indicaturque lana cærulea, & quidem pretiosissimi coloris. Notant Philologi ex concharum speciebus unam fuisse, quæ apud *Plinium* aliosque nomine *Conchilii* innotuit, animalculum ostreatum, sanguine nigricante refertum, cui intincta lana cæruleum colorem referret, de qua re multis agit clar. *Bochartus Hieroz. lib.* V. 11. nec non clar. *Braunius de vestitu Sacerdotali lib.* I. *cap.* 13.

Purpurea] Aliud genus tincturæ denotat colore purpureo, nomenque habet ab alia concharum specie, cui nomen purpura, ejus captura olim frequens Tyriis, qui lanam sanguini purpuræ intingentes, magnum inde quæstum faciebant conf. *Braunium lib.* I. 14.

Coccinea dibapha] Belgæ *Scharlaken*, rubri coloris erat, cujus tinctura ex vermiculis granis cocci innatis accipiebatur. Sanguinei fuisse coloris probant testimonia *Thren.* IV. 5. *Jes.* I. 18. additur vox שני ad augmentum pretii, denotatque lanam binis vicibus intinctam. Plura dabit Præstantiss. *Braunius lib.* I. *cap.* 15.

Byssus] Belgæ *fyn lynwaat*, quotiescunque ejus in Scriptura fit mentio, indigitatur linum majoris pretii. Philologi nomen שש subindicare existimant linum hoc ex filamentis septuplicibus contortis compositum fuisse, unde texturæ singularis soliditas, qua de materia *idem* eodem *lib. cap.* 6.

Pili caprarum] In textu hebræo ועזים phrasis elliptica est, ut vocabulum pilorum subintelligatur, quod evidentissime probant collata testimonia *Exod.* XXVI. 31. & XXXI. 26. ubi *capræ* i. e. pili caprarum *colo subjiciuntur*, jubenturque etiam Israëlitæ nere pilos ca-

pra-

prarum & inde aulæa conficere, confer *Bochartum Hieroz. lib.* II. *cap.* 51.

Verſ. 5. *Pelles etiam arietnm rubefactæ*] Arietum ſc. vellera præparata & rubicundo colore tincta tabernaculo inſervire debebant velamenti loco, ut aëris injuria arceretur, conf. *cap.* XXVI. 14.

Et pelles תחשים] Dubitant interpretes num vocabulum תחשים ſit nomen coloris an animalis, *Junius & Tremelius*, quos *Noſtrates* ſequuntur, ut nomen animalis accipiunt, vertuntque *pelles melium*, *Daſſevellen.* Vocabulum autem coloris tantummodo eſſe *Bochart. Hieroz. lib.* III. *cap.* 30. urget, cujus veſtigiis inſiſtit *Bynæus* in tractatu de *Calceis hebræorum lib.* I. *cap.* 3. qui rubrum quoque ſeu coccineum colorem in iis agnoſcit. Hæc vellera etiam tabernaculum obtegere debebant, & immediate aëri exponenda fuerunt, ut collatio loci *Exod.* XXVI. 14. evincit.

Et ligna Sittim] Multum hic laborant interpretes & Philologi, cujus ſpeciei hoc lignum fuerit, atque ob rei obſcuritatem *Belgæ* hebraicum nomen retinuerunt, dum vertunt *Sittim-hout*, ſcil. locus unus & alter occurrit in Scriptura ſub nomine *Sittim*, ut *Abel Sittim*, nec non *Nahal Sittim*, vide *Numer.* XXV. 1. *Joſ.* II. 1. & III. 1. *Numer.* XXXIII. 49. *Joël* III. 18. unde exiſtimant hæc ligna allata fuiſſe: verum quia vocabulum hoc in ſingulari שטה occurrit *Jeſ.* XLI. veriſimilius eſt nomen ſpecificum arboris eſſe. Quidam ſpeciem *Cedri* fuiſſe inde conjiciunt quia in ſtructura templi Salomonis hujus loco lignum cedrinum fuit adhibitum. Multis fabulantur Judæi, unde in deſerto hanc ſpeciem ligni cedrini accipere potuerint Iſraëlitæ, quorum nugas libenter omittimus, quæ videri poſſunt in diſputatione *Friſmuti de Arca teſtimonii*; ſed rem expedire doct. *Urſinus* videtur in *Arboreto Biblico lib.* I. 22. qui ex *Hieronymo*, *Bellonio*, aliiſque animadvertit in deſerto Sinaitico reperiri arborem quandam ſpinoſam & valde nodoſam, *Acaciæ* genus referentem, cujus lignum admodum ſolidum eſt, & ſatis aptum ad omnia illa conficienda quæ in tabernaculi ſtructura requirebantur, obiterque annotat lignum *Sttim* à *Cedrino* citato *Jeſ.* loco evidenter diſtingui.

Verſ. 6. *Oleum ad luminare*] Scil. candelabri, de cujus ſtructura infra verſ. 31. conf. *Exod.* XXVII. 20.

Odoramenta ad oleum unctionis] Scil. ungendi erant Sacerdotes & nonnulla tabernaculi vaſa, inque eum finem maſſa aliqua mollior com-

ponenda fuit ex variis odoramentis quæ compositio tota describitur *Exod.* XXX. 31.

Et ad suffitum aromata] Quæ singulatim etiam enumerabuntur *Exod.* XXX. 34.

Vers. 7. *Lapides Sardoniches*] Tandem accedit enumeratio rerum offerendarum ad lapides pretiosos, quorum alii destinabantur ad ornamentum Ephodi, alii ad ornamentum Pectoralis. Ephodum ornabat Sardoniche lapis utrique humero imponendus.

Lapides implentes] Id est, inserendi pectorali: debebat enim pectorale XII. lapides recipere pro XII. tribubus Israël, eique omnes inter se distincti, de quibus infra agendum erit.

Vers. 8. Pergit nunc Legislator, jubetque ut faciant *Sacrarium.* Hebr. מקדש à sanctitate tabernaculi nomen obtinuit, quia Deo Sancto consecratum non tantum fuit, verum & actionum sanctissimarum theatrum, nec non rerum & personarum sanctarum receptaculum foret.

Habitabo inter eos] Ita primarium Tabernaculi usum subinnuit, ut nempe Deum ibi habeant præsentem, quem omni in casu, si necessitas id flagiraret, in consilium adhibere possent, ut proinde tabernaculum inter tentoria Israëlitarum fuerit instar *Prætorii* quo Romanorum Imperatores & Duces utebantur quando cum exercitibus castra metabantur.

Vers. 9. *Omnino prout ostendo tibi ideam*] Vel, *prout videndum tibi objicio.* Vocab. Hebr. תבנית est vocab. mechanicum à radice בנה *ædificare*, significatque exemplar, cujus accuratiorem expressionem curare debet artifex, aliàs adspectabilem corporis humani formam denotat quoque, *Jos.* XXII. 28. *Psal.* CVI. 20. *Deut.* IV. 16, 17. uno verbo, cujusque rei repræsentamen, formæ tabernaculi & vasorum ejus, Mosi objecit, ut præstaret usum normæ aliquo opere exprimendæ.

Ratio OEconomiæ.

§. 1. *In littera* Tabernaculum hoc condendum concipi debet instar palatii regiæ majestatis aut prætorii, in quo Deus se populo præsentem sistere voluit sub symbolo aliquo significativo, quæ præsentia Judæis שכינה vocatur, quod maximum gentis Judaicæ fuit privilegium, Deum scil. ut regem sibi habere tam propinquum, vid. *Deut.* IV. 7. quem in omni casu accedere possent, ut responsa referrent: verum

ne

ne glorioſiſſimus ille inquilinus minoris fieret, omniaque regiæ majeſtati reſponderent, voluit

α. Ut omnia *pretioſa* forent, majeſtatemque referentia, quod enim ſubditi regibus debent in teſtimonium æſtimationis, ſc. efficere, ut cum manifeſtatione gloriæ habitent, atque omne eorum decus ſervetur, hoc ipſum jure exegit Deus ab Iſraëlitis, dum per ſymbolicam & aliquatenus viſibilem præſentiam inter illos habitare voluit.

β. Ut ex *ſpontaneis* materia colligeretur: cum ſpontaneitas donorum uberiorem teſtetur amorem, & æſtimationem, legitima fuit & hæc ſtipulatio.

γ. *Humanam opem* poſtulavit in conficiendo tabernaculo, in teſtimonium Iſraëlitas regi debere quoque manuum operam.

δ. A *norma deflectere* prohibet, quo teſtatum dedit ſubditos ſibi debere humilem ſubjectionem & ſtare ejus arbitrio.

§. 2. Quod ſi *Typicum repræſentamen* conſideremus, Tabernaculum fuit typus Eccleſiæ N. T. tam militantis quam triumphantis, in qua שכינה præſens foret, conf. *Joh.* I. 14. *Hebr.* IX. 1. — 14. In qua Eccleſia notandum

α. Quod omnia forent *pretioſa* per divinam gratiam, ſc. creaturarum optimi & divina gratia exſatiati debebant conficere materiam ex qua ſpiritualis domus conficienda fuit vid. 1. *Petr.* II. 4, 5, 6. unde fideles electi inter pretioſa quoque numerantur, *Pſal.* CVI. 15. & alibi.

β. Dona debuerunt eſſe *Spontanea*, ita & populus Chriſti recenſetur inter munera *ſpontanea*, *Pſal.* CX. 3. amandus enim eſt Deus amore voluntario & ſpontanea cordis allubeſcentia.

γ. *Hominum* miniſterium ad ſtructuram tabernaculi requirebatur, quod etiam in Eccleſia N. T. locum habet, dum omnes & ſinguli fideles obligati ſunt facere ea, quæ ad Eccleſiæ ædificationem valent, quamvis præciquus hic miniſtrorum verbi Dei locus ſit, qui hac in parte reſpondent viris ſpiritu Dei imbutis, Tabernaculi ſtructuræ præfectis; adeoque alii materiam congerunt, idque pro viribus, dum hic aurum, alius lignum ſuppeditat, alii autem ſtruunt, dum miniſterio Verbi & Sacramentorum fideles ſibi invicem conjungunt.

δ. *Norma* ſtructuræ inſtar ideæ operis conficiendi propoſita fuit, quam ſequi debebant architecti, ita quoque verbi Euangelii præcones nil docere debent præter id quod traditum eſt, Eccleſiæque ædifica-

ficationem dirigere ad normam verbi Dei, nihilque agere ex proprio cordis consilio.

ε. Cumque opus Tabernaculi dicatur singulari polluisse *sanctitate*, sequitur Ecclesiam N. T. adumbrari ut sanctam, per sanguinem Christi sanctificatam, omnesque cœtus extra illam communionem habendos esse, ut communes & communionem cum Deo non habentes.

§. 3. Notandum interim quoque aliud mysterium adhuc subesse, quod Deus structuram tabernaculi non commiserit hominum arbitrio, aut architectorum artibus leges mechanicas sequentibus, hoc enim tacite innuebat arcanum aliquod Dei consilium homini natura non notum, sed à Deo revelandum & non nisi cœlitus manifestum antecedente peculiari revelatione, ac proinde hisce externis elementis mysterium subesse determinata aliqua structura subindicandum; quod ut aptius eloquamur; nihil aliud est quam omnia externa elementa significativa esse rei spiritualis aliquando præstandæ, ne quis putet Deum sibi complacere in externis illis rebus materialibus, alias enim cultus rationalis diceret,

Dicite pontifices in sacris quid facit aurum?

Nunc autem monebantur omnia esse *hieroglyphica cœlestia*, quarum minima pars magni momenti esset æstimanda, ac proinde non negligenda, ne mysterium significatum aliquid detrimenti capiat.

DE ARCA FOEDERIS.

Analysis.

Structura Arcæ fœderis nunc sequitur, principium hoc operis esse debuit, quia nobilissimæ dignitatis foret supellex, adeo ut propter solam hanc arcam fere tabernaculum struendum fuerit, cujus ope ab injuria aëris defendi posset. Methodus præceptorum Dei sequitur ordinem historicum, ut quod primo faciendum erat, primo loco ponatur: itaque

α. Receptaculum hic definitur Sanctissimum conficiendum cum singulari delectu.

a. Materiæ, *vers.* 10. pr. p.

b. Dimensionis, *vers.* 10. p. altera.

c. Ornatus incrustatione auri curandi, *vers.* 11. p. pr.

β. Lym-

β. Lymbus depingitur receptaculo condito imponendus, *verſ.* 11. p. altera.

γ. Inſtrumenta adhærentia receptaculo portando inſervientia, ubi numerantur

a. Annuli, *verſ.* 12.

b. Vectes, *verſ.* 13.—15.

δ. Contentum receptaculi futurum, ubi commendatur tabularum in arcam depoſitio, *verſ.* 16.

ε. Operculum, cujus definitur

a. Structura, *verſ.* 17.

b. Ornamentum conſiſtens in figura duorum Cherubim, quorum depingitur

1. Materia, *verſ.* 18. p. pr.
2. Artificium, *verſ.* 18. p. alt.
3. Locus, *verſ.* 19.
4. Forma, *verſ.* 20.

c. Situs, *verſ.* 21. p. pr.

d. Uſus, qui duplex indicatur

1. Obtegendi, *verſ.* 21. p. alt.
2. Thronum exhibendi, *verſ.* 22.

Scholia.

Verſ. 10. *Arca* hebr. ארון tria in ſacra Scriptura ſignificat,

α. *Loculum* in quo mortui conduntur & ſepeliuntur, *Gen.* L. 26.

β. *Gazophylacium*, cui pecunia aut theſauri aſſervandi commendantur, 2. *Reg.* XII. 9, 10. 2. *Chron.* XXII. 8.

γ. *Arcam fœderis*; facile enim ex prioribus ſignificationibus conficitur ad ſecundam alludi, ut proinde Arca fuerit reconditorium & receptaculum peculiaris theſauri, ſingulari cura conſervandi.

Diſceptant Philologi à quo themate vocabulum ſit derivandum, veriſimilis nobis *Ludovici de Dieu* videtur ſententia, ille enim monuit verbum ארה olim ſignificaſſe quoque *colligere*, eamque ſignificationem adhuc obtinere in lingua *Æthiopica*, quod rei convenit, ut arca dicatur in quam res colliguntur aſſervandæ. Aliorum ſententias annotavit doct. *Friſmutus* in diſſertatione Philologica de *Arca fœderis capite* 2. Gentiles quoque per κακοζηλίαν in fanis ſuis arculas quaſdam in veneratio-

ratione habuisse in quibus sacras reliquias habebant inclusas idem author l. c. monuit. plura tamen suppeditat *Spencerus lib.* III. 1.

Ex lignis Sittim] Vid. ad *vers.* 5. Notandum hic eandem ligni speciem structuræ tabernaculi & arcæ impensam fuisse.

Longitudine sua, &c.] Hæc mensura formam simul ac capacitatem arcæ definit; quoad formam fabricata fuit oblonga & quadrangularis, cujus altitudo latitudini fuit æqualis : proportio autem longitudinis se habuit ad latitudinem, ut tota dimensio ad 3. quintas; capacitas vero respondebat duarum tabularum dimensionibus, quibus verba fœderis inscripta erant.

Vers. 11. *Auro puro obduces eam*] Aurum nobilissimum est metallum colore rutilo, lucem valde reverberans, ærugini non subjectum. *Purum* dicitur quando ab alieno metallo quampote repurgatum est: non enim ab omni mixtura destitui potest, quia alias malleo obtemperare nequit. Laminæ igitur auri tenuiores materiam ligneam obducere debuerunt ne ab aliqua externa causa lignum erodi posset. *Plutarchus* animadvertit Ægyptios in sacris Osiridis quodam die sub nocte ad mare descendisse & Stolistas una cum Sacerdotibus τὴν ἱερὰν κίστην extulisse χρυσοῦν ἐντὸς ἔχουσαν κιβώτιον. Apud Babylonios in Apollinis templo auream miræ vetustatis arculam quondam repertam fuisse ex veteribus annotavit Clar. *Spencerus*, qui tamen inde non recte colligit Deum id à Gentibus mutuo sumpsisse, & Israëlitis ob eorum σκληροκαρδίαν concessisse: cum res ipsa flagitet maxima κειμήλια apto reconditorio includenda esse, id postulante humana œconomia, & rei dignissimæ conservatione. Accedit multum differre gentium ritum ab hoc divino instituto, & longe aliam gentibus fuisse rationem istiusmodi arculas condendi à divina ratione, profani illi enim homines imagunculas & reliquias Deorum, imo & nonnunquam pudenda his arculis includebant. Divina è contra institutio respexit commodam conservationem tabularum fœderis, & repræsentamen throni divinæ majestatis.

Intrinsecus & extrinsecus obduces eam] Ut proinde universa lignea structura tantopere auro inclusa fuerit, ut ne quidem hilum ligni conspici potuerit.

Faciesque super eam lymbum aureum] Vocab. Hebr. זר quod *lymbus* transfertur à radice זור quatenus eandem cum אזר habet significationem scil. à *cingenda* nomen obtinuit, architecti *cimacium* appellarent :

erat-

eratque opus à receptaculo diſtinctum & munimenti loco illi ſuper impoſitum, ejuſque pars elatior operculum includens poſtea inſerendum, atque ita coarctans ne huc vel illuc dimoveri poſſit. Vir rei architectonicæ peritus, qui nuper Cunæi rempublicam Hebr. continuavit, exiſtimat ex auro elaborato hoc cimacium confectum fuiſſe, ornatum foliis & florum germinibus, quod inde colligit, quia talia cimacia ornamenti loco impoſita hunc vel ſimilem ornatum requirunt.

Verſ. 12. פעמות] Conf. *Exod.* XXXVII. 3. Non eadem eſt interpretum ſententia, circa hujus vocis ſignificationem, dum alii quos Belgæ ſequuntur *angulos* vertunt, alii vero *impages*, quæ *Feſto* interprete à fabris in tabulis figi ſolebant, quo firmius cohæreant, qui *angulos* vertunt, extremas partes laterum intelligunt, ubi latitudinis & amplitudinis fieri ſolet commiſſura, veriſimilior tamen eſt poſterior ſententia, definiri hic ſcilicet anſulas quibus annuli inhærerent, quæ lateribus arcæ erant infigendæ ut operis moles valde ſuſtineri poſſit.

Ut duo annuli ſint in latere uno, &c.] צלעו על צלע· quamvis in ſtructura corporis humani coſtam, in diſciplina tamen architectonica ædificii aut ſtructuræ latus ſignificat, *Exod.* XXVI. 26. & 35. & alibi. Uſus eorum fuit, ut vectes ſuſciperent, quibus arca portanda fuit, dubitant Judæi an vectes ſe porrexerint juxta latera latitudinis vel potius longitudinis, an vero juxta latera extremitatum. Poſteriorem ſententiam quidam ſuſcipiunt, quia ſpatium ſeſqui cubiti putabant non ſatis amplum ad bajulos introrſum admittendos: ſed vana ratio eſt, quia bajuli ab exteriore vectium latere manus admovere & potuerint & debuerint. Accedit etiam ratio quod annuli attribuantur lateribus non extremitatibus arcæ, quæ duæ partes diſtinctis nominibus denotantur, ut conſtat ex collatione *verſ.* 19. Non indicat Moſes num annuli inſereudi fuerint circa baſin aut cimacium, num vero circa medietatem laterum, quia ſupponitur plura vidiſſe in idea quam audiviſſe, ac proinde circumſtantiæ nonnullæ minores rationem hieroglyphicam non habentes aliquando omittuntur. Probabile tamen eſt, annulos illos præter propter circa medium altitudinis laterum locatos fuiſſe propter leges mechanicas, requiritur enim ut rationem haberent æquilibrii oneris geſtandi, ne moles inter portandum, in hanc aut illam partem inclinando facile evertatur. Saltem minus probabile eſt, annulos circa inferiora lateribus inſertos fuiſſe, quia vectes in annulis manere debuerunt immobiles, ſi ergo ad inferiora ſpectaſſent,

C pavi-

pavimentoque fuissent viciniores, pedibusque ingredientis pontificis fuissent offendiculo.

Vers. 13. Annotatur hic vectes ex eadem materia cum Arca confici debuisse, & eodem modo auro obduci.

Vers. 15. *Ne amoventor inde*] Rationem istius præcepti non incongruam dedit R. *Abarbanel*, scil. ne arcam ipsam attingerent, necessarium erat ut moneretur vectes non removendos esse, constat enim quid *Usæ* evenerit, qui arcam vacillantem manu tetigit, unde divino judicio cecidit, quamvis vir esset ex tribu Levi oriundus, 2 *Sam.* VI. 6.

Vers. 16. *Collocabis in ea testimonium*, &c.] Usus arcæ denotatur, quod nempe præstaret officium reconditorii tabularum fœderis העדות, LXX. τὸ μαρτύριον, articulus ille denotat rem aliquam specificam, phrasi ellipsis subest, subintelligitur enim vocabulum *tabularum*, tabulæ enim fœderis vocantur *tabulæ testimonii*, & inde sæpius *arca* quoque *arca testimonii.* Ratio denominationis est, quia cum ipsæ tabulæ essent divinum opus, Dei digito quasi sculptæ, habebant vim argumenti & testimonii confirmantis Deum cum populo fœdus iniisse, & quasi propria manu subscripsisse, illudque subsignatum exemplar authenticum populo servandum tradidisse, ut haberent quo veritatem fœderis probarent, & ad quod in repostulatione responderent.

Quod daturus sum tibi] Scil. promulgata jam fuerant verba fœderis, nondum tamen digito Dei conscripta. Hoc opus enim Moses à Deo retulit, quando elapsis 40 diebus è monte ad populum rediit. Verum cum Deus binis vicibus has tabulas conscripserit, primo ante μοσχοποίαν, deinde illis fractis propter populi apostasiam, Deo denuo cum populo suo reconciliato; inquiritur primæne an secundæ scriptæ tabulæ in arca reconditæ fuerint: quidam enim imprudenter statuerunt tabulas fractas in arca reconditas fuisse, quod est Judæorum quorumdam somnium, verum Scriptura satis evidenter definit, arcam suscepisse tantum tabulas integras, secunda vice à Deo relatas, vid. 1 *Reg.* VIII. 9. coll. *Deut.* X. 1. — 5. Quæritur num etiam alia in arca fuerint recondita, dubitandi causa oritur ex loco ad *Hebr.* IX. 3, 4. ubi *Paulus* affirmare videtur, *urnam Mannæ* & *virgam Aaronis* inibi quoque fuisse, quod tamen non consentire videtur cum loco 1 *Reg.* VIII. 9. ubi asseritur præter duas tabulas lapideas nihil in arca fuisse, quam ἐναντιοφανείαν plus quam uno modo tollunt viri docti, dum alii

α. Re-

α. Relativum ἐν ᾗ non ad propinquius nempe τὴν κιβωτὸν, ſed ad remotius σκηνὴν referunt, atque ita mens Pauli fuiſſet aſſerere duas illas reliquias non quidem in Arca ſed in Sancto Sanctorum fuiſſe aſſervatas.

β. Alii in arca fuiſſe latiori ſignificatione admittunt, conſiderantes lateralia receptacula arcæ fuiſſe adjuncta in Sanctuario, inque iis aliquot Scripturæ volumina depoſita fuiſſe, conferentes loca *Deut.* XXXI. 26. 1 *Sam.* VI. 8. atque adeo volunt urnam quoque cum virga Aaronis ſimili in loco repoſitam fuiſſe.

Verſ. 17. כפורת denotat tertiam fabricæ partem à vaſe & cimacio ſeu corona diſtinctam, cujus uſus eſſet operire arcam, verum cur operculum hoc ita nominatum fuerit diſceptant Philologi. Radix enim pluſquam unam ſignificationem admittit, dum & illinire & expiare ſignificat. Ad primam ſignificationem reſpicientes volunt operculum ita appellatum, quia ut pix ligno illinita illud obtegit, ita quoque operculum tegendi munus exercuerit, qui expiandi ſignificationem conſiderant, rationem denominationis referunt ad alium operculi uſum, quo pertinuit ad thronum inhabitantis Dei majeſtatis & juvenci ſanguine conſperſum Deum repræſentavit ut populo conciliatum mediante ſanguine expiarorio. LXX. utramque ſignificationem conjungentes reddiderunt ἱλαστήριον ἐπίθημα χρυσίου. Ad ultimam ſignificationem reſpexit Paulus *Rom.* III. 25. quam etiam præferimus propter Paulinam authoritatem & rei evidentiam.

Ex mero auro] Unde pars hæc vaſis conditorio fuit pretioſior, quippe lignum non recipiens.

Duorum cubitorum & dimidium, &c.] Scil. longitudo & latitudo propitiatorii plane reſpondebant dimenſioni arcæ, debebat itaque intra limbum inſeri & arcte includi, lateribus limbi ſen cimacii prominentibus.

Verſ. 18. *Et facies duos Cherubinos aureos*] Circa originem & etymolog. vocis כרבים non eadem eſt Philologorum ſententia, de quo diſſenſu videri poteſt diſſertatio *Friſmuthi de Arca*. Probabilior communiter videtur ſententia eorum, qui ad rad. כרב, quatenus idem fere quod רכב ſignificat, referunt. Hoc ſolummodo notandum exiſtimamus, quod non ſit nomen proprium Angelorum aut hominum, ſed potius nomen officii, quo tam Angeli qnam homines fungi poſſunt, qui enim throno majeſtatis inſerviunt, Deumque ſeſſorem vehunt,

 jure

jure כרבים vocantur dum officium vectorum præstant. De forma Cherubinorum non minor lis est. Non male interim *Josephus* animadvertit animalia fuisse sed volucria simul, nulli eorum, quæ ab hominibus visa sunt, similia. Probabile est corpus humanum, vitulinis pedibus sustentatum, & aquilinis alis ornatum, caput admisisse quadriforme, quatenus vultus humanus, leoninus, bovinus & aquilinus in omnes oras prospexerint, qualia vulgo colliguntur ex *Ezech.* I. 10. X. 14.

Ex auro continente facies eos] Tota itaque massa materiæ aurea fuit, & corpus solidum, nullibi commissuras admittens.

In duabus extremitatibus operculi] Quod ita videtur concipiendum, ut pedes conjunctim cum extremitatibus operculi limbi margines fere attingerent, genuaque inflexa haberent, quibus operculo incumberent.

Vers. 20. *Sintque Cherubini illi unus ad alterum*] In textu originali *viri ad fratrem suum*, qui linguæ idiotismus vulgaris est.

Alis passis sursum versus] Ita *Junius* quem *Belgæ* sequuntur; attamen minus recte nostra sententia, quia alæ sursum erectæ non potuerunt operculum obtegere, ut dicitur in sequentibus, rectius ergo alii superne, hebr. למעלה, quam significationem *Noldius* vir eruditissimus in concordantia partic hebr annotavit; itaque alæ Cherubinorum se efferentes inflectebant ad se mutuo, ut quasi majestati inhabitanti formam sedilis præstarent, qua flexura commodissime universum propitiatorium obtegere potuerunt

Versus ipsum operculum facies Cherubinorum sunto] Ita ut vultus anteriores utriusque Cherubini non tantum se mutuo respexerint verum etiam inclinatis intra alas quasi capitibus oculos ad propitiatorium direxerint.

Vers. 21. *Impones autem hoc propitiatorium arcæ superne*] Id est, Supra oras nonnihil prominentes ipsius reconditorii.

Postquam in arca posueris testimonium, &c.] Intelligit iterum tabulas fœderis ut *vers.* 16. vidimus, ante arcæ occlusionem ei imponendas: scil. lapideæ erant tabulæ natura sua fragiles, hic recondendæ & occludendæ ut nunquam frangerentur, quem usum arca conclusa præstitit.

Vers. 22. *Ubi conveniam tecum*] Hic designatur secundus propitiatorii usus, innuitque Legislator fore, ut illic loci velit habitare & sedere

dere inter Cherubinos *Pſal.* XCIX. 1. quod conſilium implevit dum ſymbolo nubis tabernaculum ingredientis inter Cherubinos locum occupavit. Sed denotat & aliud beneficium, Deum nempe inde ſe velle populo manifeſtare, oracula conſulentibus fundere, precibuſque accedentes recipere, eorumque deſiderio reſpondere.

Et loquar tecum] Scil. reliqua præcepta pro varia temporis opportunitate promulganda inde quoque tibi communicabo, ut proinde tanquam Rex medio in populo adeſſe voluit, regnum variis placitis adminiſtrans.

Quæcunque præcipio tibi de filiis Iſraël] Scil. cum Moſe agere voluit, qui voluntatem Dei interpretis loco ad populum referret.

Ratio OEconomiæ.

§. 1. Ratio externa & litteralis hujus œconomiæ eſt, quod Deus qui tabernaculum condi juſſit propter arcam, nunc quoque arcam condi voluit propter tabulas fœderis. Cumque pro dignitate fœderis inſtrumentum illud verba fœderis recipiens putandum & æſtimandum fuit, oſtendit

α. Quanti hæc fieri debebant *à parte populi*, qui pignus illud debebant ſtudioſe non tantum conſervare, ne per incuriam inſtrumentum illud lapideum frangerent, verum etiam auro carius habere, ac proinde operculum auro includere, theſaurum operculo ex auro confecto obtegere, inter portandum prudenter gerere, manus abſtinendo, teſtari quod ſanctum non profanatum velint, verum etiam ornamento Cherubinorum condecorare, ut teſtatum darent, cœleſtes creaturas dignitatem fœderis cum ſtupore animadvertere, quod proinde ipſis imitandum incumbebat. Fuit igitur hæc gloria populi, utpote facti jam regnum ſacerdotum, qui gaudebant jure accedendi ad Deum ſupra arcam habitantem.

β. *A parte Dei* publice hac fabrica conſtabat, quanti faceret & ille fœdus ſuum cum populo, qui voluit thronum gratiæ ſupra arcam erigere, adeo ut reconditorium hoc tabularum fœderis ſpeciem retulerit ſuppedanei & fundamenti throni, Deuſque ipſe conſpici voluit ut fœderis iſtius non tantum lator ſed & rator & protector. Angelique ſymbolice adſtant ut fœderis illius teſtes, admiratores, defenſores ac vindices.

§. 2. Verum in *typica ratione* altius ascendendum est, considerandumque universi repræsentaminis basin inveniendam esse in fœderis gratiæ administratione in regno cœlorum, curanda per Christum glorificatum, & ad thronum majestatis admissum. Huc respexisse arcam Testimonii docent testimonia Novi Testamenti, *Rom.* III. 25. *Hebr.* IX. & seq. & præcipue *Apoc.* XI. 19. ubi in cœlo arca Dei visa fuit tanquam in templo Dei.

A. *Arca* itaque est repræsentamen Christi,

a. Respectu *materiæ*, sicuti enim illa confecta fuit ex ligno Sittim & auro, ita quoque humana Christi natura ex rebus creatis desumpta fuit.

1. *Lignum Sittim* ex arbore spinosa excisum referebat carnem Christi ex hominibus assumptam, qua in similitudine peccati carnis visus est, *Rom.* VIII. 3. jure enim filius hominis concipitur repræsentatus, ut qui pro nobis maledictionem tulit & maledicti speciem retulit, si arborem spinas ferentem concipimus habere aliquid maledictionis, vid. *Gen.* III. 18. Hoc lignum concipitur & excisum & in reconditorium capax paratum, quod notare potest antecedaneam Christi mortem, qua ex terra viventium excisus capax demum redditus est ad suscipiendam fœderis & gratiæ dispensationem omnem, non aliter ac arca ad susceptionem tabularum fœderis.

2. *Aurum* accessit, quo confectum conditorium undiquaque erat involvendum: hoc omnes fere interpretes concipiunt ut divinitatis symbolum, quibus tamen adstipulari non possumus, quia & Cherubini ex auro conflati fuerunt, quibus tamen honor Deitatis non competit, imo plurima fuerunt ex auro conflata vasa, quæ tantummodo membrorum ecclesiæ repræsentamina erant. Accedit quod omnes asseres tabernaculi intrinsece auro obducebantur, qua in re tamen nemo symbolum Deitatis quæsivit. Nos itaque auro denotatam fuisse gloriam qua Christus à resurrectione sua fuit indutus, quæ omnem speciem humilitatis & maledictionis ita obtegit, ut nihil ejus post resurrectionem comparuerit amplius, ab eo tempore enim *gloria quasi unigeniti* à Patre conspecta fuit, cum hac gloria ingressus est Christus *Sanctuarium*, h. e. *cœlum* ipsum; neque ratio deest cur auro assimiletur, quod metallorum pretiosissimum est,

eſt, nam pretium non tantum conſideratur in opere ſed & in præmio, gloriam enim, quam ipſe referebat, promeruerat & ſuis, eamque accepit quoque ſuorum nomine, concipimus ut rem digniſſimam & pretioſiſſimam non ſine pretioſo lytro acceptam, ſi quis Deitatis requirat ſymbolum, illud poſtea aſſignabimus in שכנה, neque conveniens putamus duo diviſa repræſentamina Deitatis in una eademque re velle admittere.

b. Reſpectu *formæ*, arca fuit quadrangula & accommodata ad tabularum intromiſſionem, earumque defenſionem ab omni injuria læſionis. Hoc mihi denotat Chriſtum interceſſorem & ſponſorem, quatenus capax fuit omni ex parte ad ſuſcipiendam fœderis gratiæ adminiſtrationem, adeo ut inter illum ſolum, & fœderis gratiæ pondus atque amplitudinem æqua fuerit proportio, poſtquam exciſus & dedolatus fuit morte crucis: nemo enim alias in *Apocalypſi* dignus videbatur in cœlo & in terra accipiendi volumen oblatum & referendi ſigilla ejus, præter *agnum* hunc *mactatum*.

c. Reſpectu *uſus*, qui erat recipere tabulas fœderis & intra ſuam capacitatem ſuſceptas ſecum adducere in Sanctuarium, ibique conſervare, quod ipſum & Chriſti opus, qui eſt מלאך הברית, cui adjudicata omnis poteſtas in cœlo & in terra, ejus opus erat poſtquam legem habuerat in viſceribus ſuis, totam cauſam fœderis ſuſcipere, & conſilium pacis defendere, ſtabilire, conſervareque ſua gubernatione, ut ne hilum deficiat, à cujus patrocinio & defenſione eſt, puod *fœdus pacis* dicatur *nunquam vacillaturum*, *Jeſ.* LV. 10.

d. Reſpectu *inſtrumentorum*, quibus portanda erat arca, quorum mera ratio fuit, ne ſanctius vas illud attingeretur, quod mihi denotat Chriſtum à reſurrectione in cœlum ipſum provehendum, ita ſeparandum fuiſſe ab humano conſortio, ut amplius manibus male feriatorum hominum profanari non poſſet, unde & *Mariæ* dixit, ne *attingito me*, *nam nondum aſcendi ad Patrem meum*, ſcil. nunc non amplius venturum ita contrectandum, hominumque oculis uſurpandum ac nuper; non enim, teſte *Paulo*, *Chriſtum* nunc *cognoſcimus* amplius *ſecundum carnem*, ſed *ſecundum ſpiritum*.

B. *Oper-*

B. *Operculum* ad idem repræſentamen quoque facit, quamvis novum induat reſpectum, habet enim relationem ad Chriſtum interceſſorem, qui in cœlis coram Patre hoc agit, ut paſſionum & meritorum perpetuo repræſentamine gratiæ fœdus ſartum tectumque conſervet, & thronum gratiæ ſtabiliat.

α. *Structura* quæ erat lamina aurea quotannis ſanguine aſpergenda, Chriſti mediatoris juſtitiam activam & paſſivam adumbrat, cujus pretium denotabatur infiniti valoris fuiſſe, eo quod lamina ex mero auro confecta erat, *confer.* teſtimonia pretium ſanguinis Chriſti exaggerantia.

β. *Limbus* operculum ambiens & arcæ inſertus coronæ formam habens, denotabat potentiſſimam juſtitiæ ejus defenſionem jure regiæ majeſtatis. Chriſtus enim non tantum poteſtatem, ſed & potentiam habet in cœlis, qua jus ſuum ſibi vindicat atque aſſerit, valetque longe abarcere qui in animum inducerent jus ſuum involare.

γ. *Cherubini* operculo impoſiti ſymbola fuerunt miniſtrorum regis, alas illi porrigentium, ut illis ſellæ loco inſideret, & pro libitu quaſi circumveheretur. Vana nobis videtur virorum doctorum diſſertatio, Angeline an homines ſanctificati his ſymbolis denotentur, cum utrumque ſignificare poſſint, & pro ſubjecta materia ſignificent. Nemo dubitat Angelum, qui primores ex Paradiſo expulit hoc nomine indigitatum, nec quiſpiam dubitare poteſt quin quatuor Animalia, *Apoc.* V. 11. ſint repræſentamina hominum, utpote qui profitentur ſe *ſanguine Chriſti redemptos*, *Apoc.* V. *verſ.* 8, 9. erroris fons eſt quod viri docti habuerint hoc nomen ut appellativum, ſpeciem quandam creaturarum ſignificans, cum potius, ut monuimus, ſit nomen officii atque muneris, quod Angelis & certis quibuſdam hominibus variis in caſibus poſſet eſſe commune. Hoc loco ubi Cherubini repræſentantur in Sancto Sanctorum, non poſſum non intelligere Angelos & homines glorificatos, quotquot throno Chriſti inſerviunt, cum glorificando tùm agnoſcendo ejus majeſtatem.

1. *Ex mero auro fuerunt*, quod denotat incorruptibilem & glorioſam eorum in ſtatu confirmationis conditionem.
2. *Forma quadruplex* ſignificat omnes qualitates & virtutes in ſanctis illis miniſtris divinæ gloriæ requiſitas, & in iis pellu-

cen-

centes, humanam ſcil. ſapientiam, bovinam conſtantiam, leoninam magnanimitatem ſeu generoſitatem, aquilinam celeritatem, & prudentiam in perficiendo miniſterio.

3. *Duo numero* fuerunt, ita ut quilibet Cherubinorum corpus conflatum ex quatuor animalibus repræſentaret, cum alibi animalia illa quatuor ſeparata & diſtincta occurrant, cujus rei cauſam exiſtimamus, quod quilibet Cherubinus repræſentet hic ſyſtema miniſtrorum & miniſtrantium quaſi in unum corpus conflatum. Non male igitur viri docti duos Cherubinos referunt ad duo quaſi corpora, ſc. ad Eccleſiam Veteris & Novi Teſtamenti glorificatam & glorificandam, ipſiſque Angelis conjunctam. Niſi quis malit reſpectum ad duo diſtincta ſyſtemata creaturarum Chriſto miniſtrantium, ut unus Cherubinus repræſentarit Angelorum ſyſtema, alius ſyſtema hominum glorificatorum, qui in terris Chriſto miniſtraverant ante adventum ejus, nunc autem in cœlis repræſentantur illi adhuc miniſtrantes, quatenus verbum eorum ad manifeſtationem gloriæ Chriſti ſemper efficax eſt, quæ noſtra ſententia eſt, omnibus aliis, niſi fallor, ſimplicior & planior.

4. *Situs* Cherubinorum notandus quoque eſt, deſcribuntur enim

a. *Alis ſupra propitiatorium porrectis*, & quaſi paratis ad accipiendam nubem, quod denotat Angelorum ac Patriarcharum Prophetarumque ſpontaneitatem ad Chriſtum in throno majeſtatis excipiendum & quaſi gerendum.

b. *Faciebus ad ſe invicem converſis*, id eſt, ab utroque latere verſus ſymbolum divinæ majeſtatis directis, quod notat Angelos hinc, beatos illinc videre faciem Dei, & obſervare voluntatem numinis.

c. *Vultu prono*, utraque enim ſocietas eodem deſiderio inſpiciendi myſterium redemptionis tenebatur ante adventum Chriſti, mirabatur poſt adventum, utpote nunquam ſatiata à conſpectu juſtitiæ & ſanguinis, quibns gratioſiſſima hæc œconomia innitebatur.

d. שכינה, *Schechinah*, his omnibus adjici debet, ſcil. nubes, quam Sctiptura *Gloriam Dei* appellat, domum ingreſſa inter Cherubinos ſubſtitit, ibique permanſit, ſymbolum

1. Deitatis in cœlo inter glorificatos degentis, & in Christo se manifestantis, quod ita concipio, ut quidem primario intelligam secundam Deitatis personam cum arca, i. e. glorificata humana Christi natura unitam, sed ita tamen, ut propter περιχώρησιν divinarum personarum, habuerint Patrem & Spiritum quoque præsentem, adeo ut Filium videntes viderint & Patrem, *Joh.* XIV. 9, 10, 11.

2. Et quidem Filii ut regis in throno sedentis, cui data omnis potestas in cœlo & in terra, qui inde Ecclesiam gubernaret, oracula per Spiritum suum emittendum effunderet, legesque suas promulgaret, & ad Deum accedentes ipse primus quasi exciperet, propterea fit mentio throni gratiæ, de quo *Hebr.* IV. 16. & alibi, quem si quis adit, dicitur per Christum Deum adire, inque Christi nomine Patrem rogare.

3. Supra operculum sedebat שכינה, *Schechinah*, quod denotabat thronum fundatum *in gratia*, *Jes.* XVI. 5. & *in justitia*, quam diximus repræsentatam ipso operculo.

MENSA AUREA.

Analysis.

Sequitur arcam mensa aurea, quæ secundo loco ante altare thymiamatum proponitur, quia præmittuntur supellectilia ædis sacræ, quæ erant symbola gratiæ, à Deo hominibus oblatæ, cum in altari θυμιάματος homines aliquid Deo offerebant; collocandum autem erat hoc vas in primo Sanctuario, describiturque

α. Quoad structuram, dum legislator exigit confectionem.
- a. Tabulæ superioris, cujus definitur
  - 1. Materia, *vers.* 23. p. pr.
  - 2. Mensura, *vers.* 23. p. alt.
  - 3. Ornatus, *vers.* 24. p. pr.
- b. Limbi & tæniæ, *vers.* 24. p. alt. & 25.
- c. Annulorum & manubriorum, *vers.* 26. — 28.

β. Vasa nonnulla mensæ imponenda, *vers.* 29.

γ. Usus, qui erat ad suscipiendos panes faciei, *vers.* 30.

Scho-

Scholia.

Verſ. 23. *Facies menſam*, &c.] Materia lignea ex eadem arboris ſpecie deſumenda erat, ex qua arca confici debuit vid. *verſ.* 5.

Duorum cubitorum, &c.] Definitur menſura, ſcil. proportio longitudinis dupla fuit ad proportionem latitudinis, cumque latitudo accommodata fuerit ad panum amplitudinem commode admittendam, neceſſe erat ut proportio longitudinis dupla eſſet propter duos panum cumulos juxta ſe invicem erigendos, altitudinis proportio media fuit inter longitudinem & latitudinem, ſc. ſeſquicubiti, unde eruimus menſam non fuiſſe quidem valde erectam; verum id requirebat panum cumulus, qui VI. numero in unoquoque cumulo ad aliquam ſufficientem altitudinem aſſurgerent; ſcil. occurrendum erat difficultati panes imponendi & removendi.

Verſ. 24. *Et obduces eam*, &c.] Ornatus aureus convenit cum ornatu arcæ, conf. *verſ.* 11.

Facieſque ei limbum aureum] Qualem quoque arca receperat ibidem *verſ.* 11. qui requirebatur ne vaſa menſæ impoſita aliquo infortunio forte in terram prociderent, cui malo limbo cavebat legiſlator.

Verſ. 25. *Facies quoque ei tæniam palmarem*] In textu originali מסגרת, à radice סגר, clauſuram ex etymo ſignificat, interpretes quorſum referant, valde dubitant, cum alii *fulcrum* interpretantur, cui pedes affigebantur, alii aliter, verum res ipſa evincit, marginem denotari, cui tabula menſæ includebatur; itaque cingebat tabulam ligneam circumquaque palmari latitudine.

Et facies limbum aureum, &c.] Hunc limbum multi confundunt cum limbo verſ. præc. commemorato; alii diſtinguentes, menſam duplici limbo circumcinctam fuiſſe ſuſpicabantur, verum erronee; cum hic limbus adhærens margini, tabulam includenti, potius concipi debeat ornatum verſus inferiora promiſiſſe, ita ut alius limbus conciperetur ſupra marginem erectus ligno tabulæ adhærens, alius infra marginem demiſſus, illique adhærens & conjunctus, quod videntur confirmare verba *Joſephi*, qui *Antiq. lib.* III. 7. de menſa hac aurea agens, inquit *habebatque circumquaque labrum quatuor digitis, tam inferne, quam ſuperne.*

Verſ. 26. *Qui erunt in quatuor pedibus ejus*] Quatuor igitur pedes molem ſuſtinuerunt, quamvis eorum forma non deſcribatur, utpote

ſtruenda juxta normam ideæ & repræſentaminis, nihilominus erui poteſt ex *Joſepho* viro Sacerdotalis ordinis, quem talia latere non potuerunt, cujus citato loco hæc ſunt verba: *In ſancto menſam collocavit Delphicis non abſimilem longitudine duorum cubitorum*, &c. *eam ſuſtinebant pedes, dimidia ſua parte inferiore per omnia pedibus ſimiles, quales lectis Dorienſes addere ſolent, ſed ſuperne quadrangulares erant.* Ex quibus verbis eruimus pedes menſæ aureæ dimidia parte ſuperiori quadratos, inferiori rotundos, & nonnihil in acumen deſinentes fuiſſe, quæ Dorica ſtruendi forma erat.

Verſ. 27. לעמת המסגרת] Hæc verba pro cujuſque præjudicio tranſtulerunt interpretes, qui clauſuram accipiunt ut fulcrum, reddunt *è regione tæniæ vel clauſuræ*, verum qui menſam illi incluſam fuiſſe ſtatuunt, reddunt *ſupter clauſuram*, quod quoque admittimus.

Ut ſint ſedes manubriis] Ita potius vertimus propter authoritatem *Joſephi*, cujus citato loco hæc ſunt verba: *Per ſingulos pedes inerant annuli fere circa ſummum pedem, adhibebanturque utrinque duo, ſeu manubria è ligno firmiſſimo deaurata, quæ non per circulum utrumque ut vectes trajiciebantur, ſed fibulato morſu menſæ labrum ſuperne, inferne pedis annulum comprehendendo, facultatem transferendi, quocunque opus eſſet, præbebant.*

Verſ. 29. *Præterea facies patinas*, &c.] Hic quatuor vaſorum recenſentur genera.

α. *Patinæ*, hebr. קערות, quæ fuerunt ſcutellæ ſatis amplæ, recipiendis panibus propoſitionis accommodatæ, utpote qui in hiſce ſcutellis repoſiti, per totam hebdomadem relinqui debuerunt, ut colligimus ex *Lev.* XXIV. 8. *Num.* IV. 7. VII. 13. & *verſ.* 84, 85.

β. כפות. *Acerræ*, quarum uſus erat recipere incenſum panibus imponendum, conf. *Num.* VII. 14. *Levit.* XXIV. 7. Nomen habuerunt à כף, quod *volam* ſignificat, atque indigitat formam, nam volæ manus cavitatem repræſentabant, ſimulque formæ exiguitas ſubindicabatur.

γ. קשות. Hic diſſentiunt Philologi, quodnam vaſorum genus hoc vocabulo denotetur, dum alii *opercula* ſeu *ſcutellas operientes* intelligunt, exiſtimantes panes deſuper ſcutellis opertos fuiſſe. Verum quia ex hac cauſa panes potius mucorem contraxiſſent, & Scriptura iſtius contectionis nullibi mentionem facit, potior videtur eorum ſententia, qui *pateras* intelligunt, quod & LXX. indigitant

quan-

quando σπονδεία vertunt, conf. *Exod.* XXXVII. 16. *Num.* IV. 7. 1 *Chron.* XXVIII. 17.

δ. מנקיות: Hic quoque interpretes ſe vertunt in omnes formas, aliqui *ſcopas* vertunt, reſpicientes etymon vocis, quia ſcoparum uſus eſt menſas verrere & emaculare. Verum hæc ſententia nobis abſurda videtur, quia ſcopæ nunquam ex auro conficiuntur, forent enim ad verrendum inutiles. Alii aliter, ſed potius nobis videtur ſententia Judæorum in re dubia, qui *aureos calamos* intelligunt, inter panes collocandos, ne immediate ſibi mutuo incumberent, atque ita intra ſeptimanam mucorem contraherent, qui uſus etymo vocab. melius ſatisfacit, cujus emphaſis & propria notio infert, ut inſtrumenta valeant ad immunitatem ſervandam à noxa qualicunque externa, qualem inferret mucor, niſi hoc remedium quæſitum fuiſſet.

Quibus tegetur] Dubium eſt aliquibus an verbum יסך derivandum ſit à verbo נסך *libare*, an à verbo סכך *tegere*, qui primam ſignificationem præferunt, vertunt quibus *libandum erat.* Verum cum in Sancto nulla libatio fieret, potior eſt ultima acceptio, non quaſi hiſce panes erant obtegendi, verum quia omnia illa vaſa menſæ erant inſternenda, quæ exinde fere obtegebatur.

Verſ. 30. *Panis faciei*] Ad cap. *Lev.* XXIV. deſcribendus erit, hic autem ſolummodo animadvertendum cur *faciei* appelletur. Judæi volunt ita panes appellatos fuiſſe ab impreſſis faciebus Cherubinorum, verum cum hæc conjectura ad ſubtilitates Judaicas ſit referenda, ſimplicior eſt reſponſio, hoc nomen illis impoſitum fuiſſe quia proponebantur coram facie Jehovæ, quia שכינה ſupra arcam habitans concipitur ut faciem ſuam obvertens verſus Sanctum & omnia utenſilia ſancti.

Jugiter] Non licuit igitur menſam ſine panibus derelinquere vacuam, adeoque quando recentes priorum loco veniebant ſubſtituendi, menſæ adeſſe debebant, cum priores eſſent removendi, ut ilico priorum locum occuparent.

Ratio OEconomiæ.

§. 1. Cum tabernaculum formam haberet regii habitaculi, hæc conditio poſtulabat, ut cibus adeſſet regi & regiæ familiæ conveniens, ſtetitque

titque illic menſa XII. panibus inſtructa pro numero XII. tribuum ad denotandum, Deum omnibus tribubus Iſraëlis eſſe ſufficientem, qui illis ſuppeditaret quidquid ad vitam & pietatem ut neceſſarium requirebatur. Accedebant etiam *cyathi* ſive *pateræ*, non quidem vino repletæ, quia ſic vinum intra ſeptimanam in vappam verteretur. Attamen pocula aurea ſatis indigitabant cum cibo quoque potum à rege expectandum, id eſt, omnia quæ ad hilaritatem & gaudium quicquam facere poterant.

§. 2. Myſterium tamen magnum ſub hoc repræſentamine latebat

A. Reſpectu *menſæ*, cujus

a. *Materia* eadem cum arca, eundem Chriſtum denotabat glorificatum, & opus ſuum mediatorium reſpectu applicationis ſalutis promoventem.

b. *Locus* tamen alius fuit, dum in Sancto collocari debuit, quod Sanctum erat typus Eccleſiæ Novi Teſtamenti inviſibilis, ſeu regni Chriſti ſpiritualis, in quod nulli concipiuntur ingreſſi præter regeneratos, quibus datur facultas non quidem corporeis ſed ſpiritualibus fidei oculis Chriſtum mediatorem intuendi, & ex hac menſa portionem cibi & potus ſpiritualis repetendi.

B. Reſpectu *vaſorum*, quæ aurea erant menſæ impoſita, typus conſpicitur miniſtrorum Chriſti variis donis ſpiritualibus inſtructorum, unde illis pretium conciliatur: quorſum Paulus reſpicit 2. *Tim.* II. 20. dicens in *magna domo non tantum vaſa aurea & argentea, ſed & lignea & teſtacea occurrere*; varietas autem vaſorum varietatem miniſterii denotat.

a. Sicut enim *ſcutellæ* panem ferendo proponebant, ita œconomi myſteriorum Dei, verbum Dei & Sacramenta adminiſtrando, Chriſtum vitæ cauſam proponunt.

b. Sicut *acerræ* thura & incenſum excipiebant, ita alii miniſtri, donum habentes precum & gratiarum actionum, reliquis formulas precum præſcribunt, & quaſi præeunt.

c. Sicuti *cyathi* & *pateræ* vaſa erant vino recipiendo apta, ita qui donum habent conſolationis, utiles ſunt in Eccleſia ad exhilarandos lugentium animos.

d. Sicuti *calami* panem conſervabant à mucore, diſcernentes inter panem & panem, ita quibus datum eſt donum prudentiæ ad ἐπισκοπὴν, & regimen Eccleſiæ bene adminiſtrandum, curant ut

cuique

cuique ſua portio maneat diſcreta, & tradatur incorrupta, dum ad puritatem doctrinæ attendentes, curant ut Chriſtus in Euangelii præconio purè auditoribus proponatur.

C. Reſpectu *panis* oportet nos attendere ad

a. *Panem ipſum*, qui eſt figura corporis Chriſti crucifixi, atque ita menſa ſe habet ad panem, ſicuti Chriſtus glorificatus ad ſeipſum crucifixum, cumque in pane requiratur vis alendi, Chriſtus quoque concipitur ut cauſa omnis vitæ & profectus ſpiritualis, quatenus nempe morte ſua hanc gratiam promeruit & electis non largitur niſi in communione cum morte ſua, ſicuti enim panis non alit niſi quando comeditur, & quaſi in materiam hominis tranſit, ita quoque Chriſtus non eſt cuiquam cauſa vitæ, niſi poſt ſpiritualem fidei comeſtionem & digeſtionem, de qua re plura ad *Lev.* XXIV.

b. *Ad panum numerum duodenarium* reſpondentem numero XII tribuum, denotantemque ſufficientiam meriti Chriſti ad procurandam populo ſuo vitam & ſalutem.

c. Reſpectu *propoſitionis*, qua collocari debuerunt ante faciem Dei per integram ſeptimanam, antequam Sacerdotibus de iis licuit comedere, quod ſubindicabat ſaltem prioritate ordinis Chriſti patrocinium præcedere ſalutis applicationem, id eſt, nullam electos accipere gratiam niſi quam Chriſtus interceſſorio repræſentamine paſſionum ſuarum petiit à Deo Patre.

d. Reſpectu *perpetuitatis*, qua menſa nunquam ſine his panibus conſpici debuit, denotatum fuit, Chriſtum ſufficientem ſalutis cauſam omnibus ſæculis fore, adeo ut nunquam non per illum electi vivant & gratiæ corroborantis participes conſtituantur.

CANDELABRUM AUREUM.

Analyſis.

Sequitur nunc tertium vas, ſcil. candelabrum aureum, quod depingitur quoad

α. Materiam, *verſ.* 31.

β. Formam, eamque

a. Sca-

a. Scapi, *verſ.* 32.
b. Calamorum lateralium, *verſ.* 33.—36.
c. Lampadum, *verſ.* 37.
γ. Inſtrumenta adjuncta, *verſ.* 38.
δ. Molem, *verſ.* 39.
ε. Operis in executione exactitudinem requiſitam, *verſ.* 40.

Scholia.

Verſ. 31. מקשה] Opus continuum poſtulavit Deus, ut proinde candelabrum ex variis partibus componi non debuerit, verum ex una auri maſſa confici, ſive malleo, ſive unica fuſione; modus enim definiri uix poteſt.

Ex mero auro] Duo priora vaſa admittebant lignum auro incruſtatum, hic autem aurum merum exigitur, quod flagitabat ſtructuræ ratio, dum opus ex variis ramulis conſtructum, variiſque inflexibus & ornamentis conficiendum, vix aliam materiam admittebat præter ſolidum aliquod metallum.

Scapus ejus] Juxta emphaſin textus originalis *femur ejus*, quod vocabulum non videtur denotare totum ſcapum, ſed ejus partem inferiorem, quæ univerſo vaſi eſſet fulcri loco.

Et ramus ejus] Hic hallucinantur plurimi interpretum, dum vocabulum ſingularis numeri tranſtulerunt in plurali; cauſa erroris eſt, quod putarunt hic totum candelabrum deſcribi, cum ſolummodo ſcapus candelabri hoc verſu deſcribatur; in ſequentibus demum verſiculis accingit ſe legiſlator ad delineationem ſex reliquorum calamorum, videlicet pro numero VII lampadum ſeptem calami requirebantur ſeu rami, quibus ſingulis una lampas imponenda fuit, hoc autem verſu unum ſeptem calamorum ſingulatim deſcribit, quia conſtituebat partem ſcapi ſuperiorem, ejuſque figura plane fuit erecta, cum reliquorum debuerit eſſe incurvata.

Et calices ejus] Vocab. גביע, *Geneſ.* XLIV. 12. ſcyphum ſeu calicem denotat, in architectonicis aliquod ornamentum ſimilem in modum excavatum, cujus formam exprimit textus ad *verſ.* 33.

Et mala ejus] Vox כפתור *malogranatum* ſignificat, in re autem architectonica quamcunque ſphærulam ſeu globum malogranati in modum ſculptum & formatum.

Et

Et flores ejus] Seu potius gemmæ ejus, nam vox פרח à ציץ diſtinguitur *Jeſ.* XVIII. 5. ut gemma à flore plane aperto.

Verſ. 32. *Sex calami*] Scil. reliqui, qui priori erecto veniebant ſuperaddendi, ut numerum ſeptenarium complerent.

Egredientes è lateribus ejus] Nimirum è lateribus candelabri aut rami prioris: quando laterum fit mentio non concipi debent calami in orbem egredientes, ſed unus ſupra alium quaſi ad perpendiculum ex partibus è diametro oppoſitis.

Verſ. 33. *Tres calices amygdalini*] Id eſt, amygdalorum formam referentes, quod quomodo cum figura ſcyphorum convenire queat, vix concipi poteſt, niſi concipiamus amygdala diſſecta, ut proinde forma fuerit quaſi ovalis, intus quidem ſcyphum referens, extrorſum autem amygdalum.

Tres calices, &c.] Quilibet calamus ita confectus erat, ut calici malogranatum videretur impoſitum, illique iterum gemma ſuppoſita, quæ ſeries ternis vicibus in ſingulo calamo fuit repetita.

Verſ. 34. *In ipſo vero candelabro*] Id eſt, in ipſo ſcapo candelabri eadem ſeries quatuor vicibus repetita fuit.

Verſ. 35. *Malum* (ſive ſpherula malogranati-formis) *ſub duabus calamis*, &c.] Hæc verba per hebraiſmum, tribus vicibus repetuntur pro linguæ genio, Latini brevius efferrent hoc modo, *ſub ſingulis parium calamorum, ubi ex ſcapo egrediuntur, malogranatum erit*; quibus verbis exacte definitur locus ſive punctum egreſſus calamorum ex ſcapi lateribus.

Verſ. 37. *Facies item lucernas ejus ſeptem*] Quas tamen lampadum formam habuiſſe, inde conſtat, quia oleum adhibitum fuit ad lumen excitandum, quod non niſi commodo receptaculo retineri potuit, ad flammæ nocturnæ alimoniam.

והעלה ad verbum *aſcendere faciet quiſpiam*] Id alii accipiunt pro ipſa incenſione luminarium, alii tamen, ut nos putamus, rectius pro collocatione lampadum in extremitatibus calamorum, quod non niſi ſublata manu fieri potuit, ſcil. lampades erant vaſa candelabro non contigua ſed libera & quotidie mutanda, cum ut purgarentur, tum etiam ut oleo implerentur, & ellychniis inſtruerentur, accedit quod *Num.* IV. 9. lampades enumerentur inter vaſa, ſeparatim involvenda & portanda.

Et faciet lucere è regione faciei ejus] Hiſce verbis indicatur lampadum

verus situs, quem *Josephus* etiam illustrat, statuens candelabrum ita fuisse collocatum in austrino tabernaculi latere, ut unam seriem calamorum porrigeret versus orientem, alteram versus occidentem, quibus lampades eo ordine erant imponendæ, ut faciem suam luminosam converterent Boream versus ad mensam auream, & ex elatiori loco lumen in superficiem mensæ, necnon altaris thymiamatum demitterent, conf. *Num.* VIII.. 2.

Vers. 38. *Et forcipes ejus, & trullas ejus*] Primum instrumentum nomen à capiendo accepit, quia illis solebant apprehendere ellychnia, & versus anteriora promovere, ac forte etiam emungere, ut multi suspicantur; verum quod ad alterum instrumentorum genus attinet, dubium est quale fuerit: LXX. πυρεῖα interpretantur, forsan quia putarunt ignem suscipere ad lampadum accensionem requisitum; alii putant vascula fuisse excipiendis lucernarum emunctarum sordibus accommoda; sunt etiam qui thecas forcipibus recipiendis aptas interpretantur, verum in re obscura nobis semper probabilior videtur antiquissimorum interpretum sententia, quotiescunque ratio nulla quæstionem definire potest.

Vers. 39. *Talento auri puri*, &c.] Talentum continebat 60 libras, quod autem alii fingunt duplex fuisse pondus apud Judæos, alterum sacrum, alterum vulgare, priusque alteri sive posteriori duplum præponderasse, id non admittimus, quia illa sententia nunquam solide probata est, & magnam in republica confusionem hæc varietas peperisset, de qua re viri docti *Brerewodus* & *Bernardus* in tract. de *nummis & ponderibus.*

Vers. 40. *Facias juxta ideam istorum*, &c.] Quoniam nonnulla restabant verbo tenus minus explicata, qualia sunt candelabri altitudo, calamorum à se invicem distantia, & si quæ plura ejus generis sunt, adjicitur hoc monitum, ut in reliquis non sequeretur artifex proprium mentis arbitrium, sed Dei repræsentatum exemplar, plura enim viderat Moses quam audiverat, quæ omnia tamen exacte erant exprimenda.

Ratio OEconomiæ.

§. 1. In Sanctissimo illo loco *lumen* deesse non debuit

α. Quia tot pretiosa hic non erant collocata, ut in tenebris sepulta manerent, sed ut cum stupore animadverterentur: alias enim frustra tot

tot ſumptus impendiſſent Judæi, & gloria domus Dei non debuit occultari, ſed manifeſtari.

β. Quia Sacerdotes hic quotidie debebant exercere munus ſuum primo mane & ſera veſpera, ac proinde ne ingrediendo & egrediendo, alicubi impingerent, illuminari debuit Sanctiſſima domus.

γ. Ut poſſent diſcernere vaſa, debitumque opus debito loco facere, lumine opus erat ad diſcretionem.

§. 2. Sed *ſpiritualis ſignificatio* hic admodum ampla eſt; in domo Dei vivi, quæ eſt Eccleſia, noluit Deus tenebrarum prædominium; in regno enim lucis oportet lumen cognitionis ſapientiæ & prudentiæ omnibus adeſſe, qua mediante decus œconomiæ divinæ expendere, in domo Dei ſine offenſione verſari, & omnia debita officia prudenter præſtare valeant diſcretione boni & mali, convenientiarum & diſconvenientiarum, ut diſcernere poſſent mutuis occurſibus, quibus cedere oporteat, quam viam tenere, omniaque juſto loco & tempore perficere. In eum finem conſpicimus

α. *Candelabrum aureum*, qnod eſt ſymbolum Eccleſiæ myſticæ, *Apoc.* I. 20. II. 5. *Zach.* IV. 2. Verum ſub illa ratione formali conſiderandæ, quatenus unum corpus cum Chriſto conſtituit, & in illo cum Deo triuno arctam communionem habet; deinde etiam quatenus confeſſionem fidei oſtentat, atque in hoc munere omnibus prælucet, vel ſi cum Paulo velimus loqui 1. *Tim.* III. 15. quatenus eſt ςύλος καὶ ἑδραίωμα τῆς ἀληθείας, quamque Chriſtus ſpiritu ſuo ita affundit & implet, ut à veritate fundamentali nunquam deſciſcat, quæ gratia non eſt Eccleſiæ viſibilis ſed inviſibilis. Notandumque porro hoc candelabrum fuiſſe confectum

a. *Ex auro*, quod denotavit Eccleſiam merito Chriſti & imputata ejus juſtitia Deo pretioſam & propter chariſmata Spiritus Sancti ex hac juſtitia profluentia intus glorificatam eſſe, *Pſ.* XLV. 14.

b. *Ex partibus variis.*

1. *Scapo* ſcil. *inferiore*, qui denotavit Eccleſiæ inviſibilis immobilitatem in decreto Patris & conſtanti amore fundatam.
2. *Ex ſcapo ſuperiori* cum ſex reliquis calamis, qui denotabant Eccleſiam ſepti-formam, ſecundum ſeptem Eccleſiæ Novi Teſt. periodos, ita tamen ut calamorum inſtar ſibi ſemper ſimilis eſſet quoad doctrinam fidei & morum in confeſſionibus publicis tradendam.

 3. Cum

3. Cum singulari *continuitate*: erat enim opus ex auro confectum; ita adumbrata fuit Ecclesiæ mysticæ unitas arctissima, quatenus Ecclesia omnium temporum unum idemque corpus Christi constituit.

β. *Ornatus* candelabri negligendus non est, qui apparuit in omnibus calamis idem, ubi

a *Calyces* seu *cyathi* commodum emblema constituebant fidei, quæ omnium donorum spiritualium basis est, habetque instar calicis, quod apta nata sit ad suscipienda oblata Dei beneficia.

b. *Malogranata* commode repræsentant fructus fidei, conf. *Cant.* IV. 13. dum odore & sapore afficiunt, monent nos, bona opera esse boni odoris & grati Deo.

c. *Gemmæ* symbolum sunto spei, quatenus uberiorem fructum promittunt ex gratia divina expectandum, & per glorificationem consummandum, conf. *Cant.* VII. 12.

γ. *Lampades* in sacra Scriptura sunt symbolum Spiritus, *Apoc.* IV. 5. V. 6. quatenus est causa omnis luminis in Ecclesia, & efficax in fidelibus, lampades enim hic concipiuntur cum toto suo ambitu, quatenus complectuntur,

a. *Oleum*, quod est consuetum Spiritus Sancti emblema, unde vocatur oleum hilaritatis, *Psal.* XLV. 8. & *Jes.* LXI. 3. unctio, quam sancti acceperunt, 1 *Joh.* II. 27.

b. *Ellychnium*, quod est symbolum verbi Dei, & virorum θεοπνεύστων, Spiritu Dei imbutorum, quatenus gratiam revelationis acceperunt cum Spiritu, illis materiam præconii suppeditante, unde & verbum Propheticum concipitur ut *lucerna*, *Psal.* XIX. 9. CXIX. 5. 2 *Petr.* I. 19.

c. *Instrumenta* seu lampades ipsas, quæ denotant confessiones fidei, lumen verbi divini in se continentes, in quibus Spiritus lucens & veritatem propagans manifestatur.

d. *Accensionem luminis* ope Sacerdotum, quæ significat humanam operam eorum, qui veritates agnitas aliorum conspectui proponunt, & confessionem Ecclesiæ publicam faciunt; scil. Scripturam ita terere ut inde veritas persplendeat, & publica fides magis illustretur, est quasi lampadum accensio, veritatumque elicitarum commendatio vel potius communicatio, quæ candelabro publice imponitur, ut omnes qui in domo Dei versan-

ſantur, lucis iſtius ſint participes, atque ita in fide ædificentur.

δ. Accedunt & duo alia inſtrumenta ad candelabrum ſpectantia, & ex auro confecta, quæ ſunt

a. *Forcipes*, ſymbola eorum mediorum, quibus lucernæ extrahuntur & emunguntur, ſcil. ratio ſanctificata, utpote jam aurea, medium eſt & inſtrumentum

1. *Eruendi veritates* ex ſacra Scriptura & efficiendi nt Prophetarum ſapientia & profunditas quotidie magis magiſque in altum eniteat, & in oculos incurrat.

2. *Emungendi*, id eſt, efficiendi, ut à Pſeudo-hermeniis magis magiſque liberetur, & errores inter docendum variis temporibus enaſcentes, removeantur, ſolida ſphalmatum refutatione, ut veritas purior ſcintillet.

b. Πυρεῖον, etiam ad candelabrum pertinuit, denotatque hanc accenſionem non fieri, niſi pruna, ab altari deſumpta, huc adducatur, & zelum ac amorem veritatis, dum confitentibus admovetur, accendat, unde *Jeſ.* VI. 6, 7. vidit aliquem Seraphinorum prunam candentem ex altari deſumentem, quem admovit labiis ejus, ut ita Propheta aptus natus fieret ad munus Propheticum ſuum implendum; oportet enim ut cognitio veritatis conjuncta incedat cum amore veritatis, ſic veritas debito modo lucebit in Eccleſia.

CAPUT XXVI.

DE ERECTIONE TABERNACULI, ET EJUS VELAMENTIS.

Analyſis.

POſt tria nobiliora vaſa, ipſam Tabernaculi ſtructuram cum ſuis velamentis aggreditur Legiſlator, opus ſolummodo propter illa pignora conditum, & eum in modum conſtructum, ut vaſa illa ſanctiſſima non tantum ab externa aëris injuria ſarta tecta manerent, verum etiam ut à communi uſu procul ab omni contemptu aut vilipendio conſtituerentur. In hac Tabernaculi ſtructura notanda occurrunt

α. Aulæa, tum
 a. Interna & primaria, eorumque
  1. Numerus, *verſ.* 1. p. pr.
  2. Materia, p. alt.
  3. Forma, *verſ.* 2, 3.
  4. Adjuncta, *verſ.* 4. — 6.
 b. Externa & ſecundaria, quorum rurſus exhibetur
  1. Materia, *verſ.* 7. p. pr.
  2. Numerus & uſus, p. alt.
  3. Forma cum magnitudine, *verſ.* 8, 9.
  4. Adjuncta, *verſ.* 10, 11.
  5. Situs, *verſ.* 12, 13.
β. Velamenta, *verſ.* 14.
γ. Aſſeres, ex quibus conſtabant tabernaculi quaſi parietes, quorum exhibentur
 a. Materia, *verſ.* 15.
 b. Forma cum magnitudine, *verſ.* 16.
 c. Cardines, *verſ.* 17.
 d. Numerus, iſque
  1. Auſtralium cum ſtylobatis, *verſ.* 18, 19.
  2. Aquilonalium cum ſtylobatis, *verſ.* 20, 21.
  3. Occidentalium, *verſ.* 22. — 25.
 e. Tranſtilla, *verſ.* 26. — 28.
 f. Ornatus, *verſ.* 29.
 g. Annuli, *verſ.* eodem.
δ. Vela interiora, quorum
 a. Intimum diſtinguebat inter Sanctum & Sanctum Sanctorum, capacitatemque Tabernaculi in duas partes dirimebat, conſtabatque
  1. Ex materia ſingulari, imaginibus Cherubinorum ornata, *verſ.* 31.
  2. Columnis ſuffulciebatur, *verſ.* 32.
  3. Ex uſu locus definitur, *verſ.* 33.
  4. Reſpectus ad vaſa jam deſcripta definitur, *verſ.* 34, 35.
 b. Extimum, quo tabernaculum claudebatur, deſcribitur
  1. Quoad ſtructuræ materiam & artificium, *verſ.* 36.
  2. Quoad columnas & ſtabilimenta, *verſ.* 37.

Scho-

Scholia.

Verſ. 1. *Materia aulæorum internorum ex byſſo retorta*, &c.] Fuit de qua egimus *cap.* XXV. 4.

Decem aulæa] Id eſt, cortinæ quæ latera ædificii claudere debebant, quod decem aulæa abſolvere potuerunt.

Opere artificioſiſſimo] Id eſt, Phrygionico, quod ita concipi debet, ut ex lino Ægyptiaco electiſſimo filamenta ſextuplicia confecta fuerint, ut eſſent loco ſtaminis & ſubtegminis, huic ope acupicturæ innectebantur imagines Cherubinorum filamentis coloratis ex hyacinthino, purpureo & coccineo; an etiam flores aliaque ornamenta occupaverint interſtitia inter Cherubinos, ut *Joſephus* teſtatur, non monet textus, ſed leges artis requirere id videntur, unde ſemper tenendum eſt quod plura à Moſe fuerint viſa in exemplari, quam audita ex ore præcipientis, quæ tamen non minus aſſequenda erant, quam alia omnia ore tenus definita. Ratio cur nonnulla conticuerit Legiſlator videtur nobis hæc unica, quod ad rem ſignificatam reliqua non pertinuerint, ſed ſolummodo ad ornatum & congruentiam.

Verſ. 2. *Longitudo uniuſcujuſque aulæi* XXVII. *cubitorum eſto*] Id eſt, proportionata ſit altitudini utriuſque lateris tabernaculi, & ædis latitudini. Altitudo enim, quæ erat x. cubitorum bis ſumpta cum ædis latitudine, quæ erat etiam x. cubitorum, conficit xxx. cubitos; aulæum igitur unumquodque tabernaculo oblique impoſitum hanc menſuram fere exhauriebat, niſi quod duo cubiti deſint, adeo ut ab utroque latere aulæa è pavimento abfuerint ad unam cubiti menſuram, quod factum primò, ne terram attingentia facile corrumperentur, deinde ut baſes argenteæ, quæ erant pretioſiſſimæ, in conſpectum prodirent.

Latitudo IV. *cubitorum eſto*] Cum aulæa fuerint numero X: & unumquodque habuerit latitudinem IV. cubitorum, ſingula ſimul ſumpta obtegebant ſpatium XL. cubitorum, quod reſpondebat longitudini tabernaculi xxx. cubitorum; itaque x. aulæa totum tabernaculum à latere Boreali & Auſtrali & parte poſtica Occidentali commode obvelare potuerunt. Difficultas eſt, quomodo in utroque angulo, tam Borea-Occidentali quam Auſtro-Occidentali, aulæa illa oblique impoſita potuerint ſibi mutuo commode occurrere. Verum hoc facile con-

concipitur, quando conſpicimus luxurioſam illam prominentiam plicatura quapiam fuiſſe condenſatam, quæ repræſentabat largitatem aliquam populi non omnia ad avaram menſuram exigentis.

Verſ. 3. *Quinque aulæa ſunto conjuncta*] Quinque aulæa conficiebant numerum xx. cubitorum, quæ ita in unum coiverunt, ut unum aulæum majus conficerent, quæ conjunctio peracta videtur commiſſura acus nitide perfecta, ut unum plane velamen videretur.

Unum ad alterum] Hebr. *mulier cum ſorore ſua*, phraſi Judæis conſueta.

Verſ. 4. *Facies laqueolos hyacinthinos*] Vocabulum Hebr. ללאת ab interpretibus variè accipitur; aliqui *fibulas* intelligunt, quibus ligatis aulæa conjungerentur, verum illi rem acu tetigiſſe non videntur, cum aulæa non fuerint fibulis conſtrincta, ſed uncinolis comprehenſa, ut conſtat ex *verſ.* 6. neque etiam ligatio fibularis ſatis commoda videtur, quia tabernaculum ſæpe diſſolvendum ſubito fuit, illaque ligatio & ſolutio, nodis ſæpe ſubjecta, nimiam injeciſſent moram. Rectius ergo illi ſtatuunt, qui *laqueolos* aut *ocellos* interpretantur, quibus uncinolorum extrema incurva inſeri potuerunt.

Ad oram unius aulæi] Hebr. ad *labium* unius, id eſt, primi aulæi; Belg. eleganter vertas *aen de ſelfkant van 't eerſte tapyt.*

In extremitate, quæ eſt ad commiſſuram] Ita vertimus verba מקצה בחברת, ſcilicet aulæum magnum, ex v. minoribus factum, duas habebat extremitates laterales, quarum una tantum ad commiſſuram deſtinata fuit, ac proinde ſatis nitide definitur, in quo latere laqueoli confici debuerunt, quando illa extremitas deſignatur, quæ ad commiſſuram eſt.

In aulæi ulterioris ora] Sive extremi aulæi; huc refero vocabulum הקיצונה, quia aulæum alterum concipitur, ut imponendum parti tabernaculi occidentali, debuitque obtegere parietem occidentalem conficientem ipſam ædis extremitatem.

In commiſſura ſecunda] Concipitur igitur ora aulæi ulterioris ut habens laqueolos reſpondentes conficienteſque ſecundam ſeriem commiſſuræ aptam.

Verſ. 5. *Quinquaginta laqueolos facito*] Hic numerus oſtendit laqueolos vix ultra xiii. digitorum ſpatio à ſe invicem abfuiſſe, ut proinde conjunctio aulæorum fuerit exacta, & propter uncinulorum viciniam nullibi hians.

Verſ.

Verſ. 6. *Et facies* L. *uncinulos aureos*] Pro dignitate aulæi fuit etiam materia uncinulorum pretioſiſſima, utpote ex auro deſumpta, quia in oculos incurrebant ubique fere.

Et erit in tabernaculum unum] Scil. id efficiet aulæorum majorum conjunctio, ut unum commune velamentum & unius tabernaculi communis ſpeciem conficeret.

Verſ. 7. *Facies quoque aulæa ex lana caprina*] Hic accedit legiſlator ad ſecundam ſpeciem velamenti, cujus materia definitur deſumenda ex lanis caprarum, de qua materia egimus *cap.* XXV. 4.

Pro tentorio ſuper tabernaculum] Ibi vocabulum אהל & משכן diſtinguuntur ab uſu inhabitandi; tabernaculum vocabatur משכן quaſi dicas *habitaculum*, quamvis ſubinnuat ſimul leniorem commorationem, quatenus habitaculum illud facile commutari potuit. Sed אהל definit modum ſtructuræ ex velamentis compoſitæ certum in modum expanſis & extenſis, ut proinde jure merito velamentum hoc cilicinum dicatur tentorium conſtituiſſe, & ſuperne locum habitaculi ambiiſſe.

Undecim velamenta facies] Hic numerus cortinarum cilicinarum numerum aulæorum acu pictorum unitate excedit, quia plus ſpatii occupare debebant, ut tapetum illud interius undiquaque præmunirent. Accedit etiam quod commiſſura utriuſque involucri non debuit in eandem lineam concurrere, ſed potius commiſſura interioris velaminis à ſuperiori ſtrato integi, quod commode factum eſt quando velamentum cilicinum undecima cortina aucta fuit.

Verſ. 8. *Longitudo uniuſcujuſque aulæi erit* XXX. *cubitorum*] Quæ collata cum longitudine aulæi acupicti excedit eam longitudine II. cubitorum, reſpondetque exactius tabernaculi altitudini bis ſumptæ, & latitudini. Nam altitudo tabernaculi X. cubitorum bis ſumpta conficit XX. cubitos, quibus ſi addas latitudinem X. cubitorum, exſurgit numerus XXX. cubitorum, hic quoque in aulæi cujuſque longitudine definitus.

Latitudo erit IV. *cubitorum*] Quæ undecies ſumpta ſternere poteſt ſpatium XLIV. cubitorum, atque adeo affatim ſatisfacere tabernaculi longitudini & altitudini, cum tabernaculo pro longitudine dentur XXX. & pro altitudine X cubiti.

Verſ. 9. *Conjunges* V. *horum ſeorſim & VI.*] Scilicet undecim cortinæ quoque in duo aulæa erant conjungendæ & conſuendæ, verum unum aulæum altero nunc debuit eſſe majus, dum unum ex V, alterum ex VI.

cortinis constaret, ac proinde unum xx. cubitorum amplitudinem, alterum xxiv. admittere debuit.

Conduplicabis aulæum sextum] Id est, extremitatem super abundantem & propendentem reduces in tectum invertendo, ut solent, quæ duplicantur.

E regione facierum tentorii] Ubi nempe anterior tentorii pars faciem repræsentabat, & ingressum in tabernaculum subministrabat.

Vers. 10. Quæ hic de *laqueolis* dicuntur consona sunt iis, quæ vidimus ad *vers.* 5. nisi quod è lana caprina confici debuerint.

Ad oram aulæi primi ulteriorem] Ora enim citerior à fronte tentorii non indigebat laqueolis, quia non erat committenda.

Vers. 11. *Uncinulos æneos*] Quia velamentum hoc minoris pretii erat, uncinuli etiam ex viliori metallo desumpti sunt.

Vers. 12. *Redundans*] Id est, superfluitas abundans.

Dimidium cortinæ redundantis] Ita vocat duos illos cubitos, quibus hæ longitudinem aulæorum interiorum excedebant.

Vers. 13. *Cubitus unus hinc*, &c.] Itaque duo cubiti redundantes sic dividendi erant, ut unus ab una, alter ab altera parte redundaret.

Vers. 14. *Facies præterea tegmen*, &c.] Hoc tegmen non tantum tectum superius, sed & latera tabernaculi operuisse, utpote stratum coriacium velamento cilicino super injiciendum, inde conficiunt viri docti quod alias velamentum cilicinum non satis commode pluviam avertere potuisset, utpote nimis bibulum.

Et operimentum, &c.] Ita accedit ad quartum velamentum, de cujus materia vide *cap.* XXV. 5. dicitur solummodo superne impositum, ac proinde reliquorum omnium fuit minimum, concipique debet tectum cum aliqua latitudine occupasse ut pluviæ defluentis stillas facile dimitteret.

Vers. 15. *Asseres arrectarios*] Qui erecti starent, ut parietis in morem latera clauderent. Hi non oblique collocati sunt, sed erecti, ut in altum versus latera lateribus jungerent.

Vers. 16. *Longitudo cujusque* x. *cubitorum erit*] Quæ mensura respondebat altitudini tabernaculi.

Latitudo sesqui cubiti] Verum crassities asserum non determinatur. Judæi, inter quos R. *Salomo Jarchi*, asseribus cubitalem crassitiem adscribentes, monstra formant, & potius columnas quam asseres introducunt, cui enim usui foret tam immensa moles, & quomodo concipi potest,

poteſt, cum geſtatorium hoc tabernaculum fuerit, quatuor plauſtris ab octo bobus trahendis provehi potuiſſe vid. *Numer.* III. 36. VII. 8. aſſentimur igitur potius *Joſepho*, qui aſſerum craſſitiem quatuor digitis circumſcribit.

Verſ. 17. *Duo denticuli erunt in unoquoque aſſere*] Hic iterum variant Interpretes, dum alii vocabul. ידות vertunt per *cardines*, quos collocant à lateribus aſſerum, putantque latera ad medium craſſitiei inciſa fuiſſe per totam longitudinem, ut ſic incaſtrarentur ſibi mutuo, & perfectior commiſſura fieret. Verum ex collatione *verſ.* 19. conſtat, reſpondere debuiſſe baſibus & ſtylobatis, ac proinde pertinuiſſe ad infimam extremitatem aſſerum, rectius igitur illi tranſtulerunt, qui *duos denticulos* vertunt, & quaſi pinnulas in ſerratura relinquendas, atque ita configuratas, ut baſibus apte immitti queant.

Verſ. 18. *Viginti aſſeres ad plagam auſtralem dextrorſum*] Hic nempe latus xxx. cubitorum ex æquo claudere potuerunt, cum enim ſinguli eſſent ſeſquicubitalis latitudinis, latitudo illa vigeſies ſumpta ſpatium xxx. cubitorum juſte exhaurit.

Verſ. 19. *Quadraginta ſtylobatas argenteos*] *Stylobata*, Hebr. אדן, aſſerum baſis fuit, apta nata ad eos evectos tenendos; eorum formam non deſcribit textus, non tamen ſtylobata concipi debet inſtar corporis oblongi & in acumen deſinentis, ut quidam volunt, qui autumarunt ſtylobatas terræ infigi debuiſſe ad immobilitatem aſſeribus conciliandam; verum cum textus id non dicat, neque res ipſa id exigat, abſurdumque ſit argenteam baſim in terra occultare, quæ frequenti impactione non tantum attrita fuiſſet, ſed etiam corrupta ex contractione ſitus & quaſi æruginis. Potior ergo eorum ſententia eſt, qui ſtylobatas concipiunt craſſos, planos & quadratos, cum ſinguli haberent molem talenti ponderis, ut patet ex *Exod.* XXXVIII. 27. quæ moles ſatis valida fuit ad conciliandam aſſeribus requiſitam immobilitatem.

Duos ſtylobatas ſub unoquoque, &c.] Id eſt, duos ſtylobatas reſpondentes duobus denticulis cujuſque aſſeris, quos denticulos arcte includendos & foraminibus juſtis inſerendos ſtylobatæ recipere debebant.

Verſ. 21. *Lateribus tabernaculi*] Seu potius *uni laterum* per ellipſin, quod nominibus pluralibus ſæpe evenit, deſcribit autem poſticam tentorii partem, ſtructuram à tergo claudentem, quæ ad occidentem reſpiciebat.

Facito ſex aſſeres] Qui ſpatium IX. cubitorum claudere poterant, cumque tota latitudo tabernaculi ſit X. cubitorum, ab utraque parte dimidium cubiti deerat, quod quomodo ſupplendum fuerit, docebit *verſ.* ſequens.

Verſ. 23. *Præterea duo aſſeres angulares facies pro angulis*] Dubium eſt an hi aſſeres eandem cum reliquis habuerint latitudinem ſeſquicubitalem, quod qui ſtatuunt, tabernaculo attribuunt amplitudinem XII. cubitorum: tres enim cubiti novem prioribus adjuncti efficiunt XII. quod videtur *Joſephus* quoque dicere, niſi locus in mendo cubet, alias enim ille ſibi conſentire non poteſt, qui parietis poſterioris latitudinem altitudini æqualem affirmaverat; verum cum menſura horum duorum aſſerum non definiatur in textu, ſed ipſi concipiantur ut angulares, latitudo eorum potius ex ſpatio implendo colligitur. Reſtabat enim ab utraque parte dimidium cubiti una cum exceſſu quatuor digitorum pro aſſerum craſſitie claudendum, nec obſtat quod ſingulis aſſerum angularium duo ſtylobatæ concedantur, cum illa firmitudo major in angulis jure requirebatur, cum anguli omnem vim impulſuum ſuſtinere debebant.

Verſ. 24. *Erunt geminæ inferne*] Vel ut in textu eſt, gemellæ, quod interpretes accipiunt de apta aſſerum angularium conjunctione cum lateralibus, qua ita ſibi mutuo adhærent, ut à ſe invicem recedere nequeant.

Annulo uno] Hic annulus igitur proponitur, ut inſtrumentum iſtius conjunctionis, quod aſſeri laterali infixum aſſerem angularem trajicere debuit, & tamen prominere ut ſpatium exhibeat tranſtillo recipiendo aptum, quo paries occidentalis firmiter adſtringatur.

Verſ. 26. *Facies etiam tranſtilla*] Quæ Hebr. בריחים appellantur, quaſi dicas *tranſcurſoria* & *transfugitoria*, quia ab una extremitate parietum in aliam tranſcurrere debebantur. Uſus eorum fuit totam tabernaculi fabricam continere, & aſſeres in ſtatu erecto perpendiculari tam adæquate retinere, ut loco moveri non poſſent.

Quinque pro aſſeribus unius lateris] Id eſt, quinque ordines tranſtillorum, alias enim tranſtilla XXX. cubitorum pro ſingulis lateribus requiſita fuiſſent, quæ cum non facile potuiſſent plauſtris provehi neque commode annulis inſeri, ſtatuendum eſt aliquod numero tranſtilla ſibi mutuo potuiſſe jungi. *Joſephus* vult unumquodque tranſtillum habuiſſe longitudinem V. cubitorum, unde ſequeretur unumquemque ordinem con-

conſtitiſſe, ex ſenis tranſtillis ſibi mutuo junctis; nam quinquies ſeni cubiti xxx. cubitos conficiunt, qui totam longitudinem tabernaculi exhauriunt. Eſt tamen *vir doct.* qui illis decem cubitorum longitudinem attribuit, reſpondentem longitudini aſſerum, quia ita commode in plauſtris cum aſſeribus conjungi potuerunt quotieſcunque ſtationem mutarent Iſraëlitæ; & minus æquum videatur retinacula tanti uſus in tam parva fruſtra diffringere, unde minus ſufficientia fuiſſent ad conciliandam debitam firmitudinem.

Verſ. 28. *Ita ut tranſtillum medianum ſit in medio ipſo aſſerum*] Hæc verba nonnulli ita accipiunt ex magiſtrorum ſententia, ac ſi tranſtillum medianum per aſſerum craſſitiem tranſmittendum fuiſſet, atque ita verba *in medio aſſerum* capiunt, ut dicta reſpectu craſſitiei, verum illa ſententia mechanicæ artis peritis & eruditis inter Chriſtianos minus placuit.

α. Quia omnia tranſtilla dicuntur tranſiiſſe per annulos, qui tamen reſpectu hujus tranſtilli fuiſſent inutiles, ſi ipſa medietas aſſerum excavata id excepiſſet.

β. Quia ſpiſſum nimis corpus attribuendum foret aſſeribus, aut ſaltem medietas excavata hos aſſeres nimis debilitaſſet. Vidimus enim ad *verſ.* 23. aſſeribus, non cubitalem, ut illi ſupponunt, craſſitiem adjudicandam eſſe, ſed tantum quatuor digitorum.

γ. Quia fruſtra hoc tranſtillum inauratum fuiſſet, quod tamen *verſ.* 29. dicitur, totum enim ſe intra concavitatem aſſerum recipere & occultare debuiſſet.

Æquius igitur eſt ut verba, *in medio ipſo aſſerum*, accipiamus ut dicta reſpectu medietatis longitudinis, ſcil. quinque ſeries tranſtillorum ita coordinandæ fuerunt, ut media medietati, duæ aliæ duabus extremitatibus, & duæ reliquæ proportionaliter inter mediam & extremas ſeries collocarentur.

Verſ. 29. בתים] *Domos* quidem ſignificat, ſed in architectonica diſciplina vocabulum hoc technicum eſt, denotatque tranſtillorum receptacula, quæ alias annuli vocantur, qui non ſunt concipiendi, ut annuli orbiculares, fluxi & mobiles, ſed ut annuli ſemi-orbiculares, duabus cuſpitibus muniti clavorum inſtar, quibus ligno infigi poterant. Rectius Belgæ tranſtuliſſent *krammen*, quam *ringen*, & quod tranſtulernnt *rychelen*, magis emphatice vertiſſent *ſluyt-boomen*; vocabula enim architectonica uniuſcujuſque linguæ architectonicis alterius reſpon-

dere debent in versionibus, non cum relatione ad Etyma, sed ad usum.

Vers. 30. Ad cujus intellectum conf. annotata ad *Caput* XXV. 40.

Vers. 31. *Velum obpansum*] Hebr. פרוכת significat velum illud interius, quod divisionem instituerent inter Sanctum & Sanctum Sanctorum, cujus materia definitur plane eadem & describitur cum iisdem ornamentis ac materia aulæi interioris, conf. *vers.* 1. hujus *Capitis*.

Vers. 32. *Quatuor columnas*] Harum forma & situs non definitur; qui ad regulas artis attendunt, conjiciunt formam habuisse quadratam, ut velum appensum aptius suffulciretur, & adæquatius adhæreret. Altitudo procul dubio respondebat altitudini asserum, situs columnarum si fuerit proportionatus, interstitium potuerunt relinquere II. cubitorum, si concipiantur in æquali à se invicem distantia: latitudo enim tabernaculi cum fuerit x. cubitorum, quatuor columnæ cubitales occupaverunt quatuor cubitos, ita ut reliquum spatium VI cubitorum interstitiis dandum sit, cumque quaruor columnæ tria interstitia fecerint, unumquodque eorum erit II. cubitorum, quod spatium sufficiens erat ad intromittendam arcam, cujus latitudo erat sesquicubitalis, non tamen definimus, quod medium interstitium non fuerit amplius quam II. cubiti, cum medianæ columnæ tuto potuerint paulo magis à se invicem dimoveri sine peccato contra leges architectonicas, sed quod medio spatio super addimus dandum ex æquo, duobus lateralibus spatiis esse demendum ratio exigit.

Vers. 33. Definit usum hujus veli, ibique fit mentio distinctionis Sancti à Sancto Sanctorum, verum cum uniuscujusque spatium non definiatur, repetendum est aliunde longitudinem divisam esse non æqualiter, sed ita ut Sancto Sanctorum darentur x, sed Sancto xx. cubiti, ita ut prioris conclavis longitudo duplex fuerit ad longitudinem interioris, notaruntque architectonici intimum illud adytum habuisse formam cubicam, dum latitudo, longitudo & altitudo agnoverint eandem dimensionem x. cubitorum.

Vers. 34. *Impones autem operculum*, &c.] Probe notandum arcam operculo suo non contegendam fuisse, nisi postquam in Sanctum Sanctorum introducta fuerat, quia thronus gratiæ in cœlo demum erigendus fuit.

Vers. 35. Definiuntur hic loca, cum candelabro, tum mensæ assignata.

Vers.

Verſ. 36. *Facies quoque velum*, &c.] Diſtinguitur extimum hoc velum ab interiori ſolo artificio, intimum enim æſtimo pretioſius fuiſſe.

Verſ. 37. *Quinque columnas*] Velum intimum habuit IV. columnas, extimum V, quod factum conjiciunt interpretes, ut ſimul veſtibulum aliquod conſtitueret, putantque duas pertinuiſſe ad veſtibuli externam faciem, tres reliquas magis introrſum fuiſſe promotas, ita ut media medium ædificii ſuſtinuerit, reliquæ duæ ad latera fuerint remotæ, reliquerintque amplitudinem utrimque III. cubitorum cum dimidio, quod ſpatium requirebatur ad majorum vaſorum introductionem, ſcilicet tres columnæ cubitales additæ tribus cubitis cum dimidio bis ſumptis exhauriunt numerum X. cubitorum, latitudini tabernaculi reſpondentium.

Fundes illis quinque pedes æneos] Interiorum columnarum pedes fuerant argentei, hi vero ænei, quæ ſola eſt utrarumque differentia.

Ratio OEconomiæ.

§. I. Univerſa hæc diſpoſitio architectonica conſuluit ædificii

α. *Juſtæ amplitudini*, ut non ſolum majora illa vaſa recipere poſſet, verum etiam ſufficiens ſpatium ſupereſſet Sacerdotibus, qui in ejus medio verſarentur, & munia ſua commode obire debuerunt.

β. *Proportionatæ diſtinctioni*, qua totum tabernaculum dividendum erat in duas manſiones, ſcil. Sanctum, & Sanctum Sanctorum. Prioris longitudo duplex fuit ad ejus latitudinem ad lucrandum ſpatium quotidianis muneribus, & trium vaſorum numero. Secundæ manſionis dimenſio undiquaque æqualis fuit, ita ut ejus longitudo tam latitudini quam altitudini exacte reſponderet, quæ figura perfectiſſima eſt, utpote cubica & ſufficiens ad unum illud ſanctiſſimum vas recipiendum, ac Pontifici ibi miniſtraturo ſpatium ſubminiſtrandum, quo peragenda perficiat.

γ. *Solidiori defenſioni* adverſus omnem aëris injuriam,

a. Tum propter firmamentum parietum ex aſſeribus conjunctis & bene fundatis conſtructum.

b. Tum etiam propter velamenta exteriora parietem hunc ligneum conſervantia. Aulæum enim cilicinum propter ſingularem mollitiem efficiebat, ne à velamentis pelliceis obtritionem pateretur,

pel-

pellicia autem, ne pluvia penetraret, & poris ligneis subingrediens putredinem introduceret.

δ. *Ornatui:* tota enim intrinseca facies pretiosissimo tapeto obvelata fuit intrinsecè, in quo non tantum pretiosissimi colores se conspiciendos exhibuerunt, verum etiam imagines Cherubinorum, aliaque ornamenta, sc. regia plane debebat esse majestas inhabitantis dignitati respondens.

§. 2. Verum non hic subsistendum est, Deus enim domo manufacta non indiget, sed cæremoniale fuit universum illud habitaculum, teste Paulo *Hebr.* IX. 1. scil. symbolum fuit Ecclesiæ bene coordinatæ, quæ spirituale Dei habitaculum est, *Lev.* XXVI. 11. *Ezech.* XXXVII. 27. 2. *Cor.* VI. 16. In qua Ecclesia denotatur.

α. *Apta capacitas*, locus enim pluribus concedendus erat, quibus data facultas versandi in domo Dei, 1 *Tim.* III. 14. & 15. & ut spirituale Sacerdotium accedendi ad Deum, *Hebr.* VII. 19. 1 *Petr.* II. nam fideles considerantur Sacerdotum instar hic agentes, tanquam in Ecclesia invisibili, & Deum colentes, donisque fratrum utentes, cum insigni emolumento propriæ ædificationis & solatii.

β. *Legitima distinctio* repræsentat duplicem Ecclesiæ statum, dum pars degit in hac vita, pars triumphanda admissa est in cœlum; scilicet Sanctum Sanctorum se habet ad Sanctum prius, ut cœlum ipsum ad Ecclesiam in stadio versantem, *Hebr.* IX. 11. habebatque intimum Sanctuarium propter cubicam figuram perfectissimam formam, repræsentantem cœlestis conditionis omnimodam consummationem, respondebit enim ibi amplitudo cognitionis longitudini sanctissimæ voluntatis, & altitudini gloriosissimæ dignitatis ad quam glorificati evecti sunt.

γ. *Solida circumvallatio & munitio* repræsentat ordinem Ecclesiæ ita digestam, ut omnia valeant ad solidum tutamen, pacisque & tranquillitatis interioris conservationem; ut enim quisque Deum tranquillo & imperturbato animo colat, fratrumque χαρίσμασι utatur, ordo stabiliri debuit, sed videndum quomodo singulæ partes huc collineaverint; in eum finem concurrunt hic

a. *Paries ille ligneus ex asseribus constructus;* nemini mirum videri debet, si asseres mihi constituant emblema fidelium in unum corpus conjunctorum, quia horum loco postea lapides adhibiti fuerunt in structura templi Salomonei. Jam vero Petrus optimus myste-

rio-

riorum interpres, 1 *Pet.* II. 5. Singulos fideles concipit ut *lapides vivos* in unam ſpiritualem domum coagmentatos. Sed mirum alicui videbitur, quomodo eoſdem fideles *verſ.* 9. iterum concipiam tanquam Sacerdotes? verum reſpondemus, id fieri ob varias relationes; quando enim fideles conſiderantur ut Sacerdotes, referuntur in officio ſuo ad Deum, quatenus ſcil. Deum colentes ſeipſos ſiſtunt Dei miniſtros: relati autem ad parietes, conſiderantur ut in communione ſanctorum, habentes pacem & tranquillitatem, utentes χαρίσμασι fratrum. Verum, quando concipiuntur ut lapides vivi referendi ſunt ad proximos, quatenus etiam ipſi fidem defendendo, adverſarioſque refutationibus avertendo, fratribus ſuis officium charitatis præſtant, idque curant ut Deum tranquille colere poſſint. In pariete autem hoc ligneo conſiderare oportet,

1. *Materiam*, quæ eſt lignum fragile, ita quoque Eccleſia colligitur ex hominibus ejuſdem conditionis, dum omnes natura fragiles ſunt
2. *Formam introductam*, quæ reſpicit electorum ſanctificationem, qua ad conjunctionem exaſciantur, dum per mortificationem veteris hominis ab imperio peccati liberati, & in vivificatione novi hominis per infuſionem amoris Dei & proximi ad communionem ſanctorum apti nati ſunt.
3. *Ornatum ab auro* introductum, in quo conſpicimus emblema correctæ fragilitatis, ſcil. vocati ſancti intus *glorioſi* ſunt, *Pſal.* XLV. propter dona ſpiritualia ſpiritus gratiæ, una cum juſtitia Chriſti imputata.
4. *Stabilitatem, qua aſſeres pedibus argenteis inſerti immobiles conſiſtebant*, qua denotatum fuiſſe videtur ſanctorum perſeverantia fundata in gratia juſtificante, ſeu obſignante & confirmante: *pedes autem argentei* quidni denotarent verbum utriuſque Teſtamenti? quatenus promiſſiones Euangelio collatæ, ſunt fundamentum non tantum omnis certitudinis & πληροφορίας, verum etiam ſunt medium erectionis, quo anima vacillans corroboratur. Gratia autem in verbo tam confirmationis quam obſignationis operans conſideranda eſt in aſſerum *inſitione* in pedibus, quatenus non ſine Dei operatione & gratia efficaci verbum illud apprehendunt, tenent, illique ſe immittunt; *Argen-*

teos pedes fuisse, quod purius erat metallum & corruptioni minus obnoxium, denotat puritatem sermonum Dei, *Psal.* XII. *vers.* 7.

ϛ. *Transtilla*, quæ emblemata sunt quoque hominum vocatorum, sed quorum speciale munus erat curare ut asseres manerent conjuncti, id est, ut fideles in mutuo amore, qui est vinculum perfectionis, sibi mutuo adæquate adhærerent, & quisque alteri justum locum cederet; hoc cum sit officium eorum, qui curant ordinem Ecclesiæ facile conficimus προεςῶτες designari, cumqne

ζ. Transtilla essent ejusdem materiæ & ornatus cum asseribus, constat præfectorum Ecclesiæ eandem esse naturam, & gratiam cum cæteris.

ϑ. Cum V. eorum fuerint ordines, vix me cohibeo, quin dicam Paulum hanc rem in mysterio explicuisse, *Ephes.* IV. *vers.* 11. 16. ubi indigitat *Euangelistas*, *Apostolos*, *Prophetas*, *Pastores* & *Doctores* à *Christo datos* fuisse ad *ædificationem corporis Cqristi*, & quidem in specie ad conservandam ejus *unionem & communionem* quod præcipue *vers.* 16. denotatur.

6. *Ansulas transtilla recipientes*, ac proinde ad asseres pertinentes, cum ex auro essent, denotarunt fidem ipsam, quatenus habet conjunctam singularem existimationem ministerii, qui enim ministerium agnoscunt esse institutionis divinæ, & ministros excipiunt cum singulari veneratione & amore, illi necessario se ordini Ecclesiæ accommodant, & ministrorum dispositiouem admittunt, cum facile se patiuntur in ordinem redigi.

b. *Aulæum cilicinum* ad ejusdem ædificii defensionem pertinuit, & commode denotat *confessores*, quippe se pro veritate & causa Ecclesiæ periculis exponunt, curantes ne quid mali iis eveniat, qui in eadem fide persistunt, id est, apologiis suis & confessionibus moliuntur, ut tyrannorum animi emolliantur, & hæreticorum strophæ detegantur, scilicet mediis in tempestatibus pluviæ aquarum, i. e. doctrinarum corrumpentium valde adiguntur, ut animos fidelium penetrare & corrumpere possent: quæ cum advertenda sint, Ecclesia indiget apologistis, & confessoribus, qui talia confutare & avertere possunt.

c. *Te-*

c. *Tegumenta pellicea rubefacta* adhuc magis inclementiæ aëris expoſita, quidni ſint nobis emblemata *martyrum* ſanguine Chriſti & ſuo tinctorum, per quorum ſanguineam conſtantiam Eccleſia valde incurrit in ſenſus: nam ſicut

1. *Tegumenta pellicea illa* ex mactatis animalibus detracta fuerant, ita quoque martyres occiſi & mactati per memoriam martyrii ſui Eccleſiæ quaſi exuvias relinquunt perpetuo oſtentandas, quod diligentiſſime factum in martyrologiis.
2. Sicut *color ille rubidus erat*, quo tabernaculum externe incurrebat in ſenſus, ita ſanguis martyrum effuſus in cauſa Chriſti crucifixi ſemper Eccleſiam externam ita fecit conſpicuam, ut non tantum ab hoſtibus viſa fuerit, verum & ab incredulis admirata.
3. Sicut tegumenta *damnum* à tabernaculo arcebant, ita quoque conſtantia martyrum plus præſtitit ad Eccleſiæ ædificationem quam deſtructionem, juxta antiquum illud dictum, *Sanguis martyrum ſemen Eccleſiæ.* Habuerunt enim eorum exempla inſignem potentiam corroborandi fidelium animos, ne dimoverentur, & invitandi multos haud iniquos, ut nomen Chriſtianæ fidei darent.

d. *Ornatus* ſequitur, quem tabernaculo præſtitit pretioſiſſimum *aulæum* interius, hoc aulæum putamus referendum eſſe ad œconomos ſeu diſpenſatores myſteriorum divinorum, quatenus iis, qui in Eccleſia verſantur, omnem Dei œconomiam ad vivum depingunt & repræſentant, conſideraturque ibi munus aliquod Propheticum, quo arcana Dei conſilia revelantur amicis ad eorum conſolationem & peculiare gaudium; miniſterium enim (ut hoc interſpergamus) varias quoque relationes admittit, aliud enim agit, quando illis res eſt cum hoſtibus veritatis, aliud quando ordinem Eccleſiæ curant, aliud quando cum amicis res eſt, qui debent promoveri in fide & gaudio ſpirituali, quæ ultima relatio hic domeſtica eſt.

Analogia hujus aulæi conſpicienda venit

1. *Quoad materiam:* fuit enim ex *byſſo* contextum, cujus color cum ſit albus, eſt ſymbolum munditiei, quæ requiritur in œconomis myſteriorum Dei, quos decet in veritate ſanctificatos ſe exhibere.

2. *Quoad colores* reliquos, ubi

ζ. *Hyacinthinus color*, qui cœlo ſereno convenit, emblema eſt gratiæ cœleſtis à Chriſto promeritæ, & in Eccleſia diſpenſatæ, dum ipſi viri ſanctificati cœleſtium privilegiorum ſunt participes.

ϑ. *Purpureus*, qui color regius eſt, denotatque in miniſtris dignitatem muneris, quod regis authoritate obire tenentur; qui enim nomine Chriſti agunt, regia purpura induti incedunt, ne videantur privata authoritate quicquam tentare.

ϒ. *Color coccineus* indicium eſt ſanguinis Chriſti, quo ſibi populum redemit, cujus fides requiritur primario in iis qui Eccleſiæ præſunt & gratiæ diſpenſationi miniſtrantur.

3. Quoad *imagines, Cherubini repræſentabantur* forſan inter palmas, quod conjici poteſt ex templo Salomonis. *Cherubinorum* omnem rationem excuſſimus, quando propitiatorium explicuimus, nunc reſtat peculiaris tantum conſideratio, quod nempe hic repræſententur forma erecta & quaſi in palmeto plantationis divinæ verſantes, egregium ſane ſymbolum tam *Angelorum*, quam *Hominum* qui propagationem regni Chriſti curantes hic proponuntur ut fidelibus perpetuo præſentes, inter illos quaſi ſe oblectantes, Eccleſiamque curantes, ne quicquam deſit electorum ſolatio. Itaque ſubinnuit legiſlator quomodo qui adminiſtrant verbum Euangelii, intra ſe quaſi coram oculis fidelium exprimere debeant Cherubinum typum, utpote exactiſſima exemplaria paſtoribus exprimenda, nec non repræſentatur gratiſſima Novi Teſtamenti œconomia, quæ non habet Angelos aut dictos Deos cum imperio, ſed potius miniſtros qui ſunt συνδȣ́λοι & inter fideles agant, ut coæquales & fratres.

4. *Quoad velum internum*, notandum quod illud velum conſtituerit quaſi partem hujus aulæi, eſtque nobis repræſentamen Chriſti in munere Prophetico inter reliquos gratiæ œconomos verſantis: fuit enim ille Propheta ex fratribus ſuſcitandus, *Deuter*. XVIII. cujus erat in terra diebus humiliationis ſuæ verbum ſolatii promulgare. Huc reſpicit Paulus *Hebr*. X. 19, 20. ubi velum aſſimilat carni Chriſti, id eſt, Chriſto in carne verſanti, circa quod velum notandum

ζ. Quod

ζ. Quod *aulæo fuerit ſimile*, nempe byſſus fructus terræ denotat Chriſtum hominem, verum ſanctum & immaculatum, qui Prophetam agens ſe exhibuit exemplar fidelis Euangeliſtæ, ipſe indutus *hyacintho* cœleſtis gratiæ & luminis, *purpureo* ſummæ authoritatis, dum docuit ut poteſtatem habens, *coccineo* ſanguinis, dum pro doctrina ſua omnia gravia tulerit, habens in comitio præter Angelos, etiam Apoſtolos & Diſcipulos, quorum opera in propagatione regni uſus fuit, quique Cherubinis ſymbolis reſponderunt.

ϑ. Quod *ob panſum fuerit Sancto Sanctorum* prohibens ne quis immediate arcam conſpicere poſſet, ſcil. quandiu inter homines miniſtravit in ſtatu humilitatis, nondum erat tempus illud natum, quo thronus gratiæ erectus conſpici potuit, imo ipſe carne humiliori majeſtatem ſuam obvelavit, non enim potuit inter homines Prophetam agere niſi in eo ſtatu, in quo fuit ſub lege, quæ & ipſa paries intergerinus erat, proinde in diebus carnis *via ad Sanctum Sanctorum nondum fuit manifeſta facta*, *Hebr*. IX. 8.

ι. Hoc velum aliquando rumpendum fuit prout & Paulus animadvertit in carne Chriſti ruptum fuiſſe, quando Chriſtus miniſterium ſunm Propheticum inter homines conſummavit, & præconium Euangelii morte ſua confirmavit, unde etiam ſub tri-horio tenebrarum, cum magni extarent terræ motus, velum hoc materiale legitur ruptum fuiſſe à ſuprema uſque ad infimam partem, cujus facti hi uſus ſunt

A. Quod *primum & ſecundum Sanctuarium non amplius diviſa extiterint*, ſed quaſi unum commune conclave, cui ſimilis œconomia Novi Teſtamenti, dum per mortem Chriſti ἀνακεφαλαίωσις introducta eſt eorum, qui in cœlis ſunt, cum iis qui in terra erant, quæ eſt τελείωσις fidelium Novi Teſtamenti, qua benedictionum ſupercœleſtium facti ſunt participes.

B. *Quod* ἱλαστήριον *publice fuerit* propoſitum & tam evidenter manifeſtatum, ut omnibus fidelibus conſpiciendum pateat, nobiſque conceſſum ſit Chriſti gloriam revelata facie intueri, 2 *Cor*. III. 18.

C. Quod *liberrimus aditus* ad thronum gratiæ cuilibet credenti concessus sit, omni obstaculo remoto, unde & vocantur *regale Sacerdotium*, quibus concessa est omnis παῤῥησία Deum in propitiatorio conveniendi, 1 *Petr.* II. 7.

ς. *Quoad velum externum*, quod ita accommodatum fuit ut vestibulum ingredientibus confecerit, ac proinde vicem portæ implevit, proculdubio Christus repræsentatur sub notione *januæ. portæ*, in sacra Scriptura, quatenus est *Apostolus* τῆς ὁμολογίας ἡμῶν, eosque qui fidem dant intromittit in communionem sanctorum: sub hac relatione conspiciendus nunc est.

ζ. *Vestibulum* ingredientes nondum admittit ad omnem conspectum ornatus ædis, ita Christus in primo statu regenerationis excipit quidem credentes, sed qui adhuc luctantur cum sensu doloris ex regeneratione orti: fides enim in prima sua fiducia, seu confugio ad Deum admittit adhuc aliquid timoris & tremoris, donec postea progrediatur ad πληροφορίαν, atque ita admittatur ad plenum conspectum gratiæ divinæ.

ϑ. *Velum habuit vestibulum*, cujus externa facies interiore longe vilior, quod est repræsentamen veli Mosaici, sc. Christus in priori œconomia quoque descriptus fuit per legem, cujus externa facies & vultus subtristior, interna facies gratior non tamen in conspectum veniebat nisi velo remoto, imo arcebat populum ne tabernaculum inspicere posset, ita quoque sub N. T. velnm legis Mosaicæ removendum fuit, ut œconomiam gratiæ libero conspectu usurparent accedentes. Quo ad partem remoto, videre tamen etiam potuerunt interna legis Christi, & ita œconomiam gratiæ repræsentasse censendum.

ϡ. *Ab Oriente* vestibulum hoc collocatum fuit, quo notatur legem egressuram è Zione cum præconibus & architectis promulgandam Occidentem versus in insulis, ubi *Japhet* veniebat *persuadendus*, ut in *tentoriis Semi habitaret*, confer *Jes.* XLI. 1. — 6. ubi aliquis occurrit ex Oriente suscitandus, qui ad ædificationem Ecclesiæ abeat in Occidentem, quique justitia Christi occurreret ad vestigium.

CAPUT XXVII.

DE ALTARI HOLOCAUMATUM, ATRIO ET OLEO AD LUCERNAS.

Analyſis.

ABſoluto tabernaculo pergit legiſlator ad altare holocaumatum, & atrium, cui includi debebat, adjiciens epilogum de oleo in lampadum uſum eligendo, ut proinde tripartitum ſit hoc caput, exhibens

α. Altare holocaumatum, delineatum
- a. Per partes, ubi exhibetur
  - 1. Corpus ipſum, *verſ.* 1, 2.
  - 2. Inſtrumenta altari adhærentia, *verſ.* 3.
  - 3. Opus aliquod reticulatum altare ambiens, *verſ.* 4, 5.
- b. Quoad formam portatilem, *verſ.* 6. — 8.

β. Atrium tabernaculi ſuis aulæis munitum, & altare includens, deſcribitur
- a. Secundum quatuor latera, atque exhibetur
  - 1. Meridionale, *verſ.* 9, 10.
  - 2. Boreale, *verſ.* 11.
  - 3. Occidentale, *verſ.* 12.
  - 4. Orientale, *verſ.* 13. — 15.
- b. Quoad adjuncta deſcribitur
  - 1. Velamentum portæ, *verſ.* 16.
  - 2. Columnarum ratio architectonica, *verſ.* 17.
  - 3. Atrii dimenſio, *verſ.* 18.
  - 4. Reliqua inſtrumenta, *verſ.* 19.

γ. Oleum ad lucernas deſtinatum deſcribitur
- a. Quoad qualitatem, *verſ.* 20.
- b. Quoad uſum quotidianum, *verſ.* 21.

DE

DE ALTARI HOLOCAUMATUM.

Scholia.

Verſ. 1. *Facies altare*] מזבח ara ſeu altare vocatur, quatenus denotat vas aut inſtrumentum aliquod, cui imponitur id quod mactatum eſt, quaſi ad cibum Sacerdoti vice Dei, & nonnunquam in populo. Hoc loco Moſes deſcribit altare holocaumatum, poſtea *cap.* XXX. deſcripturus altare thumiamatum, cur autem hujus deſcriptio præmittatur non obſcura eſt ratio, quia in cultu divino prius auſpicantur Sacerdotes opus ſuum ab altari holocaumatum, antequam illis licuit accedere ad θυμιατήριον, ac proinde ſequitur Legiſlator ordinem miniſterii.

Tres cubitorum altitudine ſua] Cumque homini IV. cubitorum proceritas vulgo concedatur, potuerunt Sacerdotes, utpote ad cubiti altitudinem ſupereminentes miniſterium ſuum facile ſtantes in terra hic obire.

Verſ. 2. *Facies illi cornua*] Quæ etiam in Gentilium aris inveniuntur, ut *Martialis:*

Cornubus ara frequens.

Fuerunt hæc cornua ad angulos erecta, atque ita dicta, quia cornuum figuram repræſentabant, uſus eorum fuit, cum ad alliganda animalia *Pſ.* CXVIII. 27. tum etiam ut ollæ & ignis receptacula inde ſuſpenderentur, quotieſcunque altari erant admovenda; ſi quis reus cornua teneret, non aliter ac in azylo immunis relinquendus erat, quod probat exemplum Adoniæ.

Verſ. 3. Varia hic commemorantur vaſa ex ære conficienda, & ad uſum altaris pertinentia, nimirum

α. סירות, *lebetes* ſeu *ollæ*, quarum uſus additur quod deſtinatæ fuerint ad accipiendos cineres altaris in alium locum tranſportandos.

β. יעים, quod quidam *ſcopas* vertunt, ſed erronee, cum illæ ex ære non conficiantur, rectius alii *palas* transferunt, quæ ollis conjunguntur, quia inſerviebant cineribus infundendis in ollas, ut altare ita mundaretur.

γ. מזרקות. Ita etiam *crateres* vocantur, ex quibus vinum bibitur, vide *Amos* VI. 6. nomen tamen à ſpargendo obtinent, quia ſanguinem

nem cornubus altaris aſpergendum continebant, quotieſcunque iis utebantur Sacerdotes, conf. *Num.* VII. 13.

δ. מזלגות. Vox eſt obſcura, quia ejus radix nec etiam derivata alibi occurrunt. Rabbini volunt denotari *fuſcinam* ſeu *tridentem*, aut quodcunque dentatum inſtrumentum, quo lignorum non ſolum ſtrues diſponatur, verum etiam carnes mactatorum animalium apte carbonibus imponantur.

ε. Ad ultimum genus referuntur πυρεία; de voce vidimus *cap.* XXV. *verſ.* 38. uſus hicerat, carbones ex altari holocaumatum excipere, ut ad θυμιατήριον transferantur, vel alias ad ſuffitum faciendum adhibeantur.

Verſ. 4. *Et facies illi altari cratem*, &c.] Multi interpretes id intelligunt de craticula, quæ uſum foci præſtaret intra altaris latera inſerenda, ut ibi ignis incenderetur; verum illos errare conſtat ex eo, quod *verſ.* 5. opus hoc reticulatum extra altaris ambitum collocetur, neque convenit cum *verſ.* 7. ubi annuli illi adhærentes concipiuntur ut iidem cum annulis altaris, quibus totum onus in alienum locum deportandum erat, nec cum *verſ.* 8. ubi totum altare concipitur ut concavum. Quod ſi quis focum quærat, cui partes ſacrificii comburendæ imponi debebant, is reſponſum accipiat ex loco *Exod.* XX. 24, 25. focum illum ſtruendum fuiſſe ex ceſpitibus vivis aut ex lapidibus rudioribus, cui foco ſuper imponendum erat altare hoc concavum, ut focus ille ita huic includeretur, disjiciendus quotieſcunque caſtrametatio mutari debuit. Ab hoc reſponſo dependet ſolutio ἐναντιοφανείας, quæ alias inter duo illa teſtimonia intercedere videtur, nec non ratio, cur Moſes hic foci mentionem nullam faciat; qui aliter ſtatuunt, in omnes formas ſe vertunt, ut ſimpliciſſimum textus enunciatum ſuis præjudiciis accommodent.

Verſ. 5. *Et dabis illud ſupter ambitum altaris inferius*] Male quidam interpretes cum vulgato relativum referunt ad annulos, quorſum vocab. אתה referri nequit, tum propter genus fœmininum, tum propter numerum ſingularem. Referri itaque debet ad opus illud reticulatum, quod à baſi altaris aſcendebat uſque ad ambitum, ſive protuberantiam aliquam altaris, quæ operi reticulato incumbens effecit, ut fabrica illa lignea ære obducta crati inniti potuerit & inde inter portandum ſuſtineri.

Et erit rete uſque ad dimidium altaris] Id eſt, à baſi ad mediam altitudinem aſſurget, ubi ſtructuræ protuberantia incipiebat.

Verſ. 6. *Vectes altaris*] Quoniam altare illud portatile erat, & populo in itinere progrediente cum eo adduci debuit, vectes huic deportationi inſervierunt.

Verſ. 7. *In annulos*] Scilicet annuli operi reticulato adhærentes vectes excipere debebant, ut tota machina poſſet elevari. Uſus igitur operis reticulati fuit, ut machina ipſa inter geſtandum nihil pateretur, atque adeo munimentum præſtabat, & ſimul etiam vehiculum.

Verſ. 8. *Concavum ſit*] Scil. quidquid intra tabulatum hoc ſpatii eſſet, non debet aliquo foco aut craticula impleri, ne moles nimium excreſceret, & ut facilius deportari poſſet. Non itaque verba ita accipienda ſunt, ac ſi altari loco conſtituto, intra ejus concavitatem non deberet focus erigi, & ſpatium illud impleri, ſive ſaxis rudioribus, ſive ceſpitibus, ſed quod opus ſtruendum nihil amplius recipere debuit ex ære aut ligno conficiendum illique annectendum, ut inter portandum onus levius eſſet.

Ratio OEconomiæ.

§. 1. Tota ſtructuræ ratio architectonica ex uſu colligenda eſt: altare enim hoc ſtruebatur

α. *Ex ligno*, cum Salomonis fieret ex lapidibus, quod fieri debuit pro ratione temporis, dum Iſraëlitæ habebant tabernaculum portatile, altare quoque ex leviori materia conſtrui debuit. Fateor quidem quod focus ubicunque ex tempore potuerit erigi, imo & debuerit; verum cum altare referret menſam regis, voluit Deus ut aggeſta illa incondita materia foci, includeretur ſtructuræ menſam referenti, majeſtate regia dignam.

β. *Laminis æneis* muniebatur, quia cum lignum eſſet materia combuſtibilis, incruſtandum veniebat, ne à prunis forte fortuna recidentibus incenderetur.

γ. *Cornua accepit*, quaſi ex ipſo ligno Sittim egredientia & arcæ continua, quia hoc conferebat ad venuſtatem & dignitatem. Erant enim cornua potentiæ regiæ ſymbola. Accedit & uſus in explicatione aſſignatus, nec non quod à precantibus tractari, jurantibus tangi, & à reis Sanctuarii tutela carentibus apprehendi debuerint, adeo ut cornua fere fuerint inſignia altarium, & peculiares notæ.

Unde

Unde etiam gentilium altaria id imitata ſunt. Vide *Spenceri lib.* III. *diſſert.* 3.

δ. *Concavum* relictum fuit ſpatium inteſtinum foco implendum, quando erigeretur, ut ignis ibi aleretur, & partes ſacrificiorum comburendæ ibi inflammarentur.

ε. In *atrio* ponebatur *ſub dio*, quia ædificium concluſum fumum & halitum ex carnibus comburendis aſſurgentes non ferret, quin ornamenta turpe fœdata redderentur.

§. 2. Dubium non eſt, quin *Chriſtus*, qui ſimul eſt Sacerdos & ſacrificium ſub alio reſpectu, etiam ſit *altare:* id enim evincit locus Paulinus *Hebr.* XIII. 10. qui igitur voluntate ſancta ſe tradendi egit Sacerdotem, corpore varia mala & mortem ipſam tolerante ſuppeditavit victimam, ille ipſe quoque ſpiritu æterno zelum pro gloria Dei, & ſalute electorum excitante, & morti pretium adſtituente, ſubiit vices altaris munera ſanctificantis, qui zelus cum conſpicuus fuerit in anima fortiter agente, anima ipſa Chriſti habuit rationem hujus munimenti ignem & flammam includentis, ac proinde analogia hujus ſtructuræ ſequens eſto:

α. *Lignum* ejuſdem materiæ cum ligno totius tabernaculi repræſentabat quidem naturam natam & ortam, quæque ſola vim zeli illius ignei ſuſtinere non potuiſſet, quin tota abſumpta fuiſſet, niſi aliunde robur illi fuiſſet adſtitutum.

β. *Ære* igitur munitum fuit, ne ignis illi quicquam noceret: ita quoque Chriſti pectus ære conſtantiæ & communicati roboris munitum fuit, ut ardua illa ferre poſſet: ita æs apud Poëtam quoque ſymbolum eſt animi fortis & heroici, quando dicit

Illi æs triplex circa pectus erat.

γ. *Cornua ex ligno quaſi nata*, erant ſymbolum potentiæ quæ facile hoſtes debellat, vide *Amos* VI. 13. *Hab.* III. 4. à qua debellandi non tantum potentia ſed & actu Chriſtus ipſe ſæpius *cornu*vocatur, & quidem cum emphaſi *Cornu ſalutis*, *Pſal.* XVIII. 3. CXXXII. 17. 2 *Sam.* XXII. 3. Sed potius deliberandum eſt

a. *Cur cornua illa altari adhæſerint?* rationem exiſtimamus, quia Chriſtus tempore oblationis intrinſece ferens æſtum iræ divinæ, extrinſecus oppugnaretur ab hoſtibus & Diabolo, prælium illud decretorium de ſalute electorum, quo de rei ſumma ageretur decertaret, in hoc prælio cornubus averteret impetum Diaboli, id

eſt, divina potentia non tantum exciperet invadentem, ſed & proſterneret, ac fugaret, ſuperaretque.

b. Cur *cornua* quaſi ex altari nata debuerint confici ex *eadem ligni maſſa*, & non poſtea ſuper imponi, ſymbolum hoc fuiſſe cogitare quis poſſet, Meſſiam adhibiturum propriam potentiam, dum alieno auxilio deſtitutus eſſet, utpote *deſtitutus viris*, *Jeſ.* LIII. 3. & LXIII. 3.

c. Cur *aſpergenda* fuerint *ſanguine ſacrificiorum*, ſcilicet eo denotabatur.

1. Sanguinolentum fore hoc prælium, dum hoſtis eum urgeret ad ſanguinis effuſionem, hoc enim modo ſeminis mulieris calcaneus atterendus veniebat.
2. Illum non mera potentia uti velle adverſus regnum tenebrarum; verum etiam jure ſanguinis parto, atque ita ageret non tantum δυνάμει ſed & ἐξουσίᾳ.

δ. *Opus reticulatum* non tantum circumvellationi, ſed & ſuſtentationi altaris deſtinatum, ut in altum elevari & loco moveri poſſit mihi videtur.

a. *In ſe* denotare verbum gratiæ in ſacra Scriptura revelatum, quatenus Chriſtum ut altare fidei proponit, id eſt, tanquam medium ſalutis impetrandæ manifeſtat, quod alias *Euangelium crucis* Chriſti vocatur, dum prophetiæ de cruce Chriſti cum hiſtoria crucifixionis collatæ præconium crucis, tanquam verum & ratum confirmant, ſuſtinent, & ab omni oppoſitione defendunt.

b. Reſpectu *annulorum* denotatur ſemper affore, qui anſam darent Euangelium crucis Chriſti extollendi, in altum evehendi, & inter gentes propagandi, quotieſcunque id Deo viſum fuerit, quidni inter illos numerabimus, quibus Spiritus dedit donum linguarum, ut verbum crucis transfundant in omnes alias linguas?

c. *Vectes aderant*, ſecunda elevationis & portationis inſtrumenta, quorum eſt anſam illam arripere. Quidni inter illa numeremus homines dono interpretandi pollentes, quorum eſt ſapientiam verbi crucis eruere, atque ita Chriſtum crucifixum glorificare, ſeu in altum elevare?

d. Qui igitur *portarent* hoc vas, & manum vectibus applicarent, utentes donis linguarum & interpretationum tam Euangelii quam prophetiarum erunt omnes diſcipuli veritatis, quibus propagatio

Euan-

Euangelii Chriſti cordi eſt, quique lubenter humeros ſuos ſupponunt, ut veritas promulgetur, non abhorrentes aut ab onere aut à periculo.

ε. *Locus* ubi hoc altare collocari debuit, cum fuerit in atrio ſub dio extra tabernaculum ſignificabat

a. Chriſtum hoc in mundo debuiſſe pati non aliter ac ſi ad Sanctuarium Dei non pertineret, i. e. fieri debuiſſe *κατάρα*ν.

b. In atrio tamen, id eſt, in medio populi Iſraëlitici, qui tunc externam Eccleſiam conſtituebat, & per conſequens eum debuiſſe pati publice ac palam toto populo inſpectante tanquam *παράδειγμα εἰς ἔνδειξιν τῆς δικαιοσύνης Θεοῦ.*

ζ. Uſus altaris holocaumatum fuit

a. *Sacrificia igne cœleſti abſumere* in bonum odorem Deo, ita Chriſtus, quatenus altare, corpus ſuum excipere ut deſtruendum zelo divinæ gloriæ, ad impetrandam noſtram cum Deo reconciliationem & placandam iram divinam.

b. *Suppeditare prunas altari thumiamatum* imponendas, id eſt, dare Spiritum precum vi meriti ſui, qui thumiamata precum flagrante zelo accendat, Deoque grata faciat.

c. *Suppeditare etiam prunas ad accendendas lampades*, id eſt, vi meriti ſui Eccleſiæ dare Spiritum fervoris & diligentiæ, unde accendatur lumen cognitionis veritatis.

d. *Sanctificare omnia dona impoſita*, confer *Matth.* XXIII. 19. quod in antitypo eſt excipere omnes qui ſe Deo offerunt cum ſanctificatione & conſecratione, qua Deo obſtringuntur & obligantur, Deique peculium & cibus fiunt.

e. Obliviſci non debet, *altare* vocari *menſam Jehovæ*, & quatenus partes ſacrificiorum quorumdam cedebant in uſum Sacerdotum, aliæ autem in uſum populi, efficere, ut omnes quaſi fiant Deo commeuſales ac domeſtici: quod Paulus *Hebr.* XIII. 10. vocat, *participem fieri altaris. Joh.* VI. 53. vocatur *edere carnem Chriſti*, atque adeo habere communionem cum paſſionibus Chriſti.

f. *Quatenus cornua habet* altare præſtabat *reis confugium*, quod idem quoque Chriſtus præſtat effugientibus Angelum occiſorem, reoſque ad mortem quærentem, quos potentia divina ac regni Diaboli debellatrice potenter defendit, tutumque receptaculum

ſub ejus umbra invenire facit, modo cornua arripiant, id eſt, juſtam potentiam, & imperium Chriſti admittant, conf. *Jeſ.* XXVII. 4, 5.

DE ATRIO.

Scholia.

Verſ. 9. *Atrium tabernaculi*] Voluit Legiſlator ut aularum in morem tabernaculum quoque ſub Dio ſpatium haberet ſatis amplum, munitum & circumvallatum, quale atrium vocare ſolemus.

קלעים] Hanc vocem interpretes non eodem modo accipiunt, quidam tranſtulerunt *tapetes ocellatos*, exiſtimantes texturam cancellatam fuiſſe, quique extra atrium conſtituti erant, per illos ocellos, ſeu interſtitia aperta, omnem cultum videre potuiſſe. Ratio conjecturæ eſt, quod alias illa vox *fundam* ſignificet, & quia rotundi lapides quæruntur funda projiciendi, voluerunt à rotunditate interſtitia nomen accepiſſe, alii tamen potius *plagulas* vertunt, ſicuti Belgæ *behangſelen*: Notum eſt vocem Arabibus ſignificare *velum navis*, totumque velamen videtur ipſa textura plagulis diſtinctum fuiſſe, ut videretur quaſi totidem cortinas referre. Radix ſignificare videtur omne illud quod explicari & complicari poteſt, quæ conditio in velaminibus æque ac in fundis requiri ſolet.

Verſ. 10. *Columnæ ejus ſunto viginti*] Columnas non ex ære factas fuiſſe, ſed ex ligno requirebat non tantum neceſſitas parcendi oneri, verum etiam ſatis evidenter colligitur *Exod.* XXXVIII. 31. ubi omne æris pondus exprimitur; unde eruditi facile per calculum eruunt ablatis baſibus & ære altaris holocaumatum deſtinato, quod reliquum erat non ſuffeciſſe columnis, ſed inſumi potuiſſe paxillis.

Et baſes earum viginti ſunto ex ære] Æris mentio igitur ita accipienda eſt, ut tamen ad baſes non ad columnas referatur, ut etiam fieri videmus *verſ.* 17, 18.

חשקים] Hoc vocabulum quoque interpretibus moleſtiam creat, dum alii vertunt per *faſcias*, putantque indigitari cingulum aliquod argenteum, quo unaquæque columna veluti redimita conſpiciebatur. Verum cum 1. *Reg.* VII. 33. hoc vocabulum *radios in rota* denotet, magis convenit eorum verſio, quæ *virgas* ſeu *radios* transferunt, quo-

rum

rum ope columnæ conjungebantur & conſerebantur, & ex quibus plagulæ ſuſpendebantur. Uncini autem radios illos columnis infigebant, ut illis firmiter adhærerent, Belgice tranſtuleris *gordyn-roeden.*

Verſ. 11. *Et ad plagam aquilonalem*, &c.] Quoniam latus atrii aquilonale meridiano oppoſitum erat, eadem utriuſque fuit ratio, hinc quæ de latere meridiano dixerat Legiſlator, hic repetit.

Verſ. 16. *In porta ipſa atrii velamen erit*, &c.] Notandum hic ſolummodo velamen hoc undiquaque conveniſſe cum velamine veſtibuli tabernaculi antea delineato, de quo vid. *Cap.* XXVI. 36.

Verſ. 18. Deſcribitur hic omnis atrii menſura, oſtenditurque longitudinem duplicem fuiſſe latitudinis, altitudinemque velaminis ſurrexiſſe ad menſuram v. cubitorum, id eſt, ſeptem cum dimidio pedum, ut ne vir longiſſimæ ſtaturæ potuerit deſuper atrium inſpicere.

Verſ. 19. *Omnia inſtrumenta*, &c.] Plura inſtrumenta in atrii uſum confici debuiſſe ad obeundum miniſterium dubitari nequit, quamvis non enumerentur, ſufficit quod Moſi repræſentata fuerint, quia ſine myſterio facile erant tranſeunda.

Tum omnes paxilli ejus] Duplex genus paxillorum hic diſtinguitur, ut alii fuerint tabernaculi, alii ipſius atrii. Quæritur autem quemnam uſum hi præſtiterint? Reſp. Hos paxillos telluri infixos fulcrum præbuiſſe tum columnis atrii, tum velamentis tabernaculi; ſcil. ne tempeſtates columnas erectas cum velamento proſternerent, funiculi ex ſummitate columnarum ab utraque parte paxillis affixi extendebantur, & paxillis terræ inſertis firmabantur ne in hanc, illamve partem dimoveri poſſent. Qui autem tabernaculo inſerviebant proculdubio extremitati vellerum etiam conjuncti & telluri inſerti prohibuerunt, ne ventis vehementius flantibus illa tegumenta in altum elevarentur, conf. *Num.* III. 37. IV. 32. nec non *Exod.* XXXVIII. 31. atque hinc illuſtrari poteſt locus *Jeſ.* LIV. 2. ubi jubentur *ampliatis cortinis funiculos in longum protendere & paxillos alte infigere.*

Ratio OEconomiæ.

§. 1. Hoc *atrium* exigebat reverentia cultui divino debita; ſcil. multi tabernaculo invigilare debebant, & inſignis aliquando copia hominum regem muneribus ſalutare ex occaſione debebat: Nunc autem incongruum foret, ſi alii aliis impedimento forent, decebat ut popu-

lus

lus & Sacerdotes liberrime officium facerent, unde atrium quidem fuit munitum, quo arcerentur qui ad cultum præstandum non accedebant, verum & ampliſſimum, quo admitterentur qui faciem Dei quærebant, omniaque ita erant ornata & firmata, ut non facile aut injuriam aut externam vim paterentur, ut regiam dignitatem ſimul etiam tuerentur.

§. 2. Ratio *œconomiæ ſpiritualis* hujus *Atrii* erat denotare *Eccleſiam viſibilem*, quæ recipit bonos & malos, modo communem profiteantur fidem. Errare enim à ſcopo nos exiſtimamus eos, qui putarunt atrium Sacerdotum ſignificaſſe ſtatum naturæ, qui cum omnibus hominibus ſit communis, huic loco minus congruus eſt, utpote ad quem non omnes admittebantur, dum plurimi munimento velamentorum arcebantur, neminique ingreſſus concedebatur niſi per introitum aliquem in latere orientali relictum, velamentoque pretioſo nunc claudendum, nunc aperiendum: neque etiam undique placet eorum ſententia, qui atrium repræſentaſſe ſolummodo ſtatum Eccleſiæ Veteris Teſtamenti conjiciunt, quia id minus congruit loco *Apocal.* XI. 2. ubi *templum* ſub Novo Teſtamento cum *atrio* proponitur, quod *gentilibus concedatur conculcandum per* XLII menſes. Neque alia mente accipi debet quod de Antichriſto dicitur illum *ſeſſurum in templo*, 2 *Theſſ.* II. 4. quod patet ex collatione loci *Jeſ.* XIV. 13. ubi rex ſpiritualis Babylonis dicitur *thronum collocaſſe ad latera aquilonis in monte ſacri conventus*; ſcil. ſub templi nomine ſæpe & atrium venit, conf. *Lucæ* II. 27. XXIV. 53. Sufficit in genere conſiderare, quod atrium ſe habuerit ad Sanctum, ut Eccleſia militans viſibilis ad inviſibilem, & Sanctum ſe habuiſſe ad Sanctum Sanctorum, ut Eccleſia militans inviſibilis ad triumphantem. In hoc *Atrio* notare oportet

α. *Amplitudinem*, qua patuit non tantum Sacerdotibus, verum & omnibus ex toto populo, quicum aliqua oblatione accedebant: ita quoque Eccleſia externa omnes recipit qui cum ſigno ſubjectionis ad eam accedunt, ibique commune objectum venerationis quærunt, cujus pomeria, ſi ratio ita ferret, potius extendenda erant quam ut aliquem excluderet, quod evidenter evincit teſtimonium Propheticum *Jeſ.* LIV. 2.

β. *Uſum*: deſtinatum enim erat atrium, ut admitteret ſpectatores ſacrificiorum, qui venerant ut preces iis conjungerent; ita in Eccleſia locus conceditur confitentibus nomen Chriſti, ut in fide conſidera-

derarent Chriſtum altare, illique ſe ipſos traderent in holocaumata, aut adducerent ſacrificium תודה ſeu confeſſionis, & nonnunquam etiam εὐχαϱιςίας, junctis precibus & gratiarum actionibus conf. nobiliſſimum locum *Jeſ.* LVI. 4.—7.

γ. *Munimentum* quo omnes in atrio verſantes beneficium defenſionis & ſecuritatis acquiſiverunt, ſcil. ne premerentur à communi turba, ſed in pace ac quiete munus ſuum obirent, ac nemo ipſis ſcandalum aut impedimentum objiceret, totum atrium incluſum fuit; Jucundum ſanè repræſentamen ordinis in Eccleſia ſervandi, quo omnia ſcandala exturbentur aut removeantur, & cuique ſtatio ſine perturbatione tenenda conceditur, ut Deum quiete colere poſſit. Huc pertinet cenſura Eccleſiaſtica, quæ invigilando ordini in atrio ſervando, id efficit, ut Deo nulla communio ſit cum mundo, nec luci cum tenebris: verum notanda quoque ſunt inſtrumenta, quibus ille ordo, & ſecuritas illa promovetur, ubi occurrunt

a. *Columnæ* quæ ſunt ſymbola Paſtorum, quatenus cenſura illis commiſſa eſt, & ordini invigilant, ſcandaloſos excludendo, errantes in fide, aut profanos moribus, non admittendo: ita quidem *Columnæ* vocantur, *Gal.* II. 9. *Apoc.* III. 12.

b. *Velamen ex columnis ſuſpenſum*, ſignificat illos fideles, qui ordinem Eccleſiæ amantes ad hujus conſervationem etiam cooperantur: nam & fidelium officium eſt, ſub Paſtorum ductu ſcandala obſervare, & ſcandaloſos fugere, neque pati ut tales admittantur, conf. *Rom.* XVI. 17. & alibi.

c. *Velaminis ornatior pars ingreſſum claudens & aperiens*, atque ita quaſi januam conficiens, denotat *Chriſtum* populo propoſitum ut objectum fidei, ingreſſum concedentem iis, qui ad ipſum accedunt, negantem, qui ſe illi non ſubjiciunt, adeo ut omnis poteſtas admittendi & excludendi in Chriſto radicata ſit; conveniebatque velamen illud portæ, quoad ornatum, cum velamine veſtibuli anteriori, de cujus ſignificatione egimus *Cap.* præcedenti.

DE OLEO AD LUCERNAS.

Ratio methodi.

Epimetri loco ſubnectit Legiſlator præceptum de eligendo oleo pro candelabro, & de officio Sacerdotum in accenſione lampadum obſervando, ſcil. fruſtra erat totum ædificium, niſi inter primas curas Sacerdotum eſſet, erecto Tabernaculo, lumen accendere, ut omnis ornatus in conſpectum prodeat, unde Tabernaculi majeſtas demum inclareſcere potuit, ac proinde hic definit Legiſlator,

α. Ut oleum acciperent, cujus definitur
   a. Species.
   b. Qualitas.
   c. Uſus.
β. Ut candelabrum curarent
   a. Juſto loco.
   b. Juſto tempore.
   c. Aſſiduè.

Scholia.

Verſ. 20. *Oleo olivæ*] Hanc ſpeciem pinguedinis præ reliquis eligebat Legiſlator quia eſt præ aliis ſpeciebus longe melioris odoris, neque ejus halitus tam facile corpora obſcurare ſolet.

Purum, tuſum] Debebat itaque eſſe defæcatum, ac ut puritati conſuleretur non prelo expreſſum, ſed tudicula ad leviorem expreſſionem paratum, ne fæces ex nimia preſſione facile ſequerentur.

Pro luminari] Id eſt, candelabro lampadibus inſtructo ac ad lumen fundandum deſtinato.

Ad accendendum lucernam jugiter] Quod non ita intelligendum eſt, ac ſi lampades interdiu noctuque lucerent, ſed ſufficit ut quotidie, ſc. ſingulis veſperis id fieret, conf. *Cap.* XXX. 8.

Verſ. 21. *Extra illud velum, &c.*] In prima parte Sanctuarii.

Aaron aut filii ejus] Hic tacite ſubinnuitur miniſterium Sanctuarii commendatum iri Sacerdotibus ex familia Aaronis ſeligendis, quorum munus quoque eſſet lampades accendere, de quorum ſegregatione, *Cap.* ſequenti.

Statu-

Statutum ſeculorum eſto generationibus eorum] Male Judæi ex hac phraſi conantur inferre æternitatem legis Moſaicæ, quia vocab. עולם ſignificat tantum tempus, cujus terminus ultimus homines latet, & quoniam conditio temporis adſtringitur generationibus Aaronidarum, duratio hujus legis commenſuratur durationi populi, quandiu erunt populus à gentibus diſcretus, & in peculiares familias diſtinctus, ac proinde familiis Judæorum inter ſe confuſis, genteque diſperſa, lex illa obtinere non potuit, hinc ipſi Judæi diſtingunt inter עולם הזה & עולם הבא, id eſt, *ævum præſens & futurum*, quam diſtinctionem cum lex quoque præſupponat, phraſis עולם ad prius ævum ſeu ſeculum reſtringenda eſt.

Ratio OEconomiæ.

§. 1. Monuimus jam antehac rationem conſtituendi Candelabri in Sancto, quod inſtrumentum cum non debuerit eſſe inutile, neceſſe erat ut materia lampadibus accendendis commoda, perpetuo in promptu eſſet, cujus ſolummodo ſpecies & uſus commendatur.

§. 2. *Oleum* cum ſit luminis fons & fundamentum, ſuppeditans flammæ alimoniam, in ſacra Scriptura rationem habet emblematicam, quod manifeſto evincimus ex *Zach.* IV. 3. collato *Apoc.* XI. 4. repræſentatque oleum olivarum puriſſimum.

α. *In ſe*, Spiritum Sanctum in Scriptura loquentem & materiam confeſſoribus ſuppeditantem ut poſſint θεολογεῖν, & habeant quod nomine Dei populo loquantur, decet enim eos loqui ὡς λογία Θεȣ̃, 1 *Pet.* IV. 11.

β. *Reſpectu puritatis*, ad quam conſervandam exprimi non debuit, ſed intercedente leviuſcula contuſione quaſi ſponte profluere, ita quoque verba Spiritus loquentis, ut ſuppeditent mentem Spiritus Sancti, premi quidem, ſed non contorqueri debent, ut fundant nobis ſenſum quaſi ſponte profluentem, aliter enim ſi fiat, mens ſpiritus non conſervatur pura, & ſine mixtura fæculentæ ſapientiæ humanæ, quod ſibi valde evitandum putavit *Paulus*, 1 *Cor.* II. 4, 5. & 13.

γ. *Jugiter* adduci debuit ad lampades, quo monemur mentem Spiritus ex Scriptura derivandam, quotidie in Eccleſia inculcandam eſſe, ut fideles habeant quo pias meditationes ſuas exerceant, & quæ ad aliorum ædificationem pertinent, loquantur.

δ. In *Sanctuario primo* hoc oleo uti debuerunt, non in Sancto Sanctorum, quia mens Spiritus, per Scripturam innotescens, pertinet tantum ad hanc vitam, in qua ambulamus per fidem, non per aspectum, in futura enim vita Deum Solis instar, non autem instar lampadis in tenebris lucentis, contemplabimur, non mediate per revelationes verbi, sed immediate per intuitum rei præsentis, non debili, sed plena luce.

ε. *A vespera usque in matutinum lucebant lampades*, unde monemur hac luce utendum, quam studiosissime in tenebris & ad eam confugiendum, 2 *Pet.* I. 19.

ζ. *Statutum hoc æternum* subinnuit, ministerium Spiritus, 2 *Cor.* III. 8. perennaturum seculo regni Christi, usque ad ejus terminum omnibus occultum, non nisi cum die Judicii constituendum.

CAPUT XXVIII.

Methodus & Analysis hujus Capitis.

§. 1. Occasione assignati primi officii Sacerdotum, transit Legislator ad eas Leges, quæ pertinent ad decus & inaugurationem muneris Sacerdotalis: hactenus ea descripta erant quæ pertinebant ad erectionem Tabernaculi, una cum ejus atrio, quatenus locus instructus fuit omnibus instrumentis, ad opus aliquod Sanctum præstandum, requisitis. Nunc in hoc palatium ministri regis introducendi veniunt, cum omni ornatu & authoritate majestati regis respondentibus. Verum difficultas hic oritur, quomodo Aaronis familiæ Sacerdotium adstringatur ante μοσχοποίαν, si verum est, quod jugum Mosaicum populo impositum fuit post eam, cum *Ezech.* XX. 26. primogeniti demum à Sacerdotio dicantur remoti, ut illos *impuros declararet Deus?* Resp. Electionem filiorum Aaronis, hactenus non creasse præjudicium primogenitis, nec proinde involvisse aliquod opprobrium, neque habuisse rationem jugi, quod ut evidenter constet, distinguere debemus inter munus publicum, & privatum; omnia sacrificia nomine universi populi offerenda, una cum vigiliis & custodiis domus Dei, spectarunt ad munus publicum, verum sacrificia particularia nomine privatorum offerenda, pertinuerunt ad munus privatum. Jam vero res ipsa evincit, quæ omnium nomine peragenda fuerunt, fieri debuisse per delegatos,

gatos, cum omnes & ſinguli ſimul ſacrificare non poſſent, multo minus verſari circa unum ſacrificium, quod cum ordo naturalis requirat, facile conſtat quamdiu ea, quæ erant muneris publici, lege divina reſtringebantur ad ſolos filios Aaronis, eam legem non creaſſe præjudicium primogenitis, & reliquis omnibus Iſraëlitis, modo cuilibet relinqueretur facultas propria ſua ſacrificia mactandi & altari imponendi, ſicuti eam habuerunt Patriarchæ ante legem in ſtatu libertatis. Ad munus illud publicum pertinebat ſacrificium *juge* quotidianum, cum aliis, diebus ſolemnioribus, ad dierum ſanctificationem offerendis.

§. 2. Inveſtitura Pontificis ejus conſecrationi, & inaugurationi hoc capite præmittitur, præſcribitque Legiſlator

α. In genere, præceptum de inveſtiendo Pontifice, *verſ.* 1. — 5.

β. In ſpecie, præceptum de veſtium quorumdam ſtructura, atque ita repræſentat

a. Ephod ſeu amiculum, *verſ.* 6. — 14.
b. Pectorale, *verſ.* 15. — 30.
c. Pallium, *verſ.* 31. — 35.
d. Tiaram una cum lamina aurea, *verſ.* 36. — 38.
e. Tunicam teſſellatam, *verſ.* 39.
f. Balteum, *ibid.*
g. Galerum Sacerdotum vulgarium, *verſ.* 40, 41.
h. Subligaculum tam Pontifici, quam Sacerdotibus commune, *verſ.* 42, 43.

PARS I.

DE PRÆCEPTO GENERALI PONTIFICIS INVESTITURAM PRÆSCRIBENTE.

Analyſis.

In hac pericopa præſcribitur

α. Deſignatio familiæ Sacerdotalis cum mandato accedendi ad Moſem, *verſ.* 1.

β. Finis adductionis, ut *Aaroni faceret veſtes*, *verſ.* 2. quod explicatur

a. Per mandatum eligendi artifices qui veſtes ſacras conficiant, *verſ.* 3.

b. Per deſignationem & enumerationem veſtium conficiendarum, *verſ.* 4.

c. Per ſpecificationem materiæ ex qua confici debuerunt, *verſ.* 5.

Scholia.

Verſ. 1. *Fac ut ad te accedat Aaron*, &c.] Voluit Legiſlator ut deſignatio Pontificis & familiæ Sacerdotalis publice fieret inſpiciente toto populo, qui obligari debuit ad agnitionem miniſtrorum regis.

E medio filiorum Iſraëlis] Ex quibus deſumendi erant, qui nomine populi cultum publicum præſtarent.

Ut Sacerdotio fungantur mihi] Verb. כהן ex etymo ſignificat agere coram rege ea, quæ non concedebantur niſi hominibus intimæ admiſſionis, hinc filii Davidis vocantur כהנים, quia pollebant facultate regem adeundi, quandocunque illis hoc libuit, atque ea occaſione intercedendi pro iis, qui opem regis flagitabant, unde & Moſes dicitur fuiſſe inter כהנים, quia illi licuit ad Deum regem populi accedere, quando libuit.

Verſ. 2. *Veſtes ſacras*] In textu בגדי קדש, *veſtes ſanctitatis*, ita appellantur, quia erant Symbola ſanctitatis, & indicia viri conſecrati ad ſacrum munus.

Aaroni] Utpote futuro Pontifici, ubi non opus eſt conſtituere ſynecdochen membri, ſeu partis pro toto, quamvis *verſ.* 40. & 42. mentio fiat veſtium reliquorum Sacerdotum, quia illud tantum inſeritur, ad indicandam convenientiam, & differentiam veſtium Pontificis, à reliquorum Sacerdotum veſtimento.

Ad gloriam & ornatum] Quæ vocabula ita diſtinguenda ſunt, ut vox כבוד, reſpiciat venerandam Pontificis dignitatem, voluitque Deus, ut veſtimenta Pontifici conciliarent honorem, regio miniſtro debitum. Sed vox תפארת, reſpicit ornatum, quem Deus ſervari voluit in toto hoc cultu cæremoniali, qualis ornatus regiæ majeſtati reſpondet, & oculis corporeis gratiam conciliat.

Verſ. 3. *Loquere ad omnes ſapientes corde*] Hebraiſmus iſte, per periphraſin deſcribit viros induſtrios, qui ſua induſtria artes exornare, & quæ ad gratiam conciliandam pertinent, eleganter ordinare norunt;

Ita

Ita Sapientia dicitur cor Salomonis implevisse tanta rerum abundantia, quam mare aquis repletur.

רוח חכמה, *Spiritus ſapientiæ*] Hic commemoratur ut donum Dei, adeoque Deus ipſe præparavit ſibi hos artifices, extraordinario ſpiritus ſui dono, ne putaremus quicquam humano arbitrio factum fuiſſe: ita enim effectum eſt, ut idæam Moſi repræſentatam ipſis non viſam exacte aſſequuti fuerint.

Ad ſanctificandum eum, ut ſacerdotio fungatur mihi] Igitur veſtes conferebant aliquid ad ſanctificationem Aaronis cæremonialem, ut illi non licuerit adire Deum, non induto hiſce ornamentis.

Verſ. 4. Hic enumerantur omnes veſtium *ſpecies* in ſequentibus articulatim explicandæ.

Verſ. 5. *Materia* veſtimentorum eadem definitur, cum materia aulæorum. Vid. *Cap.* XXVI. 1. quæ qualis fuerit vidimus ad *Cap.* XXV. 3, 4.

Ratio OEconomiæ.

§. 1. *Veſtes* remedium nuditatis conceduntur Aaroni & Sacerdotibus ad honeſtatem ſervandam, à qua decentia gentiles receſſerunt, qui plurima ſacrificia, nudo corpore abſque piaculo fieri potuiſſe, exiſtimarunt, de qua re vide Cl. *Braunii* Opus de *Veſtibus Sacerdot. lib.* I. *cap.* 1. §. 3, 4, 5. unde occaſio nata multarum ſcortationum, & impurorum rituum. Nihil ergo nuditatis derelictum fuit Sacerdotibus & Pontifici, niſi reſpectu pedum: nam calceis non fuiſſe indutos Sacerdotes, pluribus evincit idem *doct. Auth.* citato *lib. cap.* 3. quod ad exemplum præcepti Moſi dati *Exod.* III. 5. factum exiſtimant. Cæterum omnis ornatus fuit pretioſiſſimus, decus non ſolum, ſed & majeſtatem regiam defendens; habuitque Pontificalis ornatus

α. *Judicium diſcretionis*, cujus interventu Pontifex diſcernebatur à reliquis Sacerdotibus qui ſolummodo tunica cincti, quæ balteo lumbis adſtricta fuit, minoris dignitatis erant. Cum Pontifex præter *Tiaram* pilei loco, ſuperindutus fuerit adhuc *pallio cæruleo*, & *amiculo pectorale* continente, quibus illico in oculos populi incurrebat ſingulari ſplendore.

β. *Inſigne muneris*, habent enim omnia munera publica hoc peculiare, quod aliquibus veſtimentis gerendis diſcernentur vel potius deſignentur:

tur: non enim licuit cuiquam hominum, imo ne ipsi quidem regi similibus vestimentis indui.

γ. *Symbola dignitatis*; Nam monebant populum hominem venerari, qui causam agebat Dei apud populum, & in summa habere existimatione, qui causam populi agebant apud Deum. In pretio enim illos esse oportet, qui beneficia maximi pretii in populum conferunt, unde lapides pretiosi, aurum, & cara omnis materia, à populo adduci debuit, in testimonium quod vir hisce induendus apud illos tanti pretii esset.

δ. *Non erant* hæc omnia *arbitrii humani*; unde idæa vestimentorum à Deo præscripta, eorumque confectio hominibus θεοπνεύστοις commendata, ut agnoscerent, divinam & sapientiam, & ordinationem in his omnibus.

§. 2. Dubium non est, quin sicuti *Sacerdotes vulgares* sunt *typi Christianorum* omnium, quibus concedenda erat Deum accedendi facultas & libertas, ita quoque *Pontifex maximus* fuerit *Typus Christi*, qui foret omnium caput, ut adeo Sacerdotes sub tali capite constituant *regnum Sacerdotum*: hinc *fideles* vocantur *regium Sacerdotium*, 1 *Pet.* II. 9. & *Christus ipse Pontifex*, *Hebr.* IV. 14, 15, 16, & alibi, qui sicuti Aaron dilectus fuit ex filiis Israëlis, ipse quoque ex iis desumi debuit, *Jer.* XXX. 21. confer *Hebr.* VII. 14. qui nunc concipiendus est, ut indutus omni qualitate requisita, scil.

α. Debuit à *fratribus suis discerni*, ac proinde habere aliquid cum reliquis commune, & aliquid peculiare.

a. *Tunicam talarem habuit cum sanctificatis communem*; quatenus significabat *tunicam justitiæ*, *Jes.* LXI. 10. unde & omnes Sacerdotes dicuntur *justitia induti* cum hac distinctione, quod illius justitia foret propria, Sacerdotum vero imputata, quæ tunica adstringi debuit *balteo veritatis & constantiæ*, *Jes.* XI. 5. quæ virtus omnibus debebat esse communis.

b. Habuit tamen & *vestes* sibi *proprias*, quibus supereminuit omnes, & quidem

1. *Pallium cæruleum* designans aliquid cœlestis majestatis utpote quæ esset ἄνω non κάτω, id est, *Dominus è cœlis*, 1 *Cor.* XV.

2. *Amiculum cum pectorali*, quatenus coram Deo singulari modo apparere debuit ut vir proximæ admissionis, quod reliquis Sacerdotibus, etiam non ita licuit.

3. Mi-

3. *Mitram* geſtavit cum *lamina aurea*, id eſt, jus habuit imperii quo ſupra omnes Sacerdotes conſtitutus fuit ut caput.

β. Verum hæc *veſtimenta peculiaria* fuerunt quoque inſignia *officii mediatorii*, quatenus verus Pontifex foret *mediator Dei & hominum, homo Chriſtus Jeſus*, 1 *Tim.* II. 5.

a. Ubi *tunica cum braccis & balteo* ſignificabant aliquid prærequiſitum in mediatore & quidem

1. *Braccæ ſanctitatem*, qua liber eſſe debuit ab omni concupiſcentia carnali, ut nihil peccati in eo conſpiceretur.

2. *Tunica* denotabat *juſtitiam*, quatenus in albis ſiſtendus Patri, non potuit non exire juſtificatus, & immunis declarari ab omni reatu.

3. *Balteus* ſignificabat iſtius *juſtitiæ firmitudinem*, & tam ſolide Chriſti adhærentem juſtitiam, ut ab eo ſeparari nullo modo potuerit, quod præſtitit ejus veritas & immutabilis conſtantia in opere ſalutis perficiendo, unde quod notandum eſt, die Expiationis Pontifex ſolummodo conſpiciebatur in hac veſtitura, quia impetratio ſalutis, à ſola Chriſti ſanctitate & conſtanti juſtitia dependebat.

b. *Veſtimenta* propria corpus circumdantia ad duo revocari poſſunt.

1. *Pallium cæruleum tintinnabulis & malogranatis* inſtructum, denotabat illam partem muneris mediatorii, qua cauſam Dei agere debuit Chriſtus apud homines, ut pote legatus cœleſtis, qui nomine Patris veniret ad ſuos, idque non ſine gratia, quam offerret per modum fœderis, nec ſine verbo, quo audiretur à populo.

2. *Amiculum includens pectorale, nec non Urim & Thummim*, erat inſigne alterius partis muneris mediatorii, qua cauſam populi ageret apud Deum, pro electis ſuis intercedendo, eorumque cauſam & nomina geſtando, quique homologiam fidei præſtiterunt Patri proponendo, & pro iis conſilia divina in rebus difficilioribus flagitando, ut omnis lux ſapientiæ & perfectionis, per Chriſtum ad eos deflueret.

c. *Mitra* autem *aurea quadam lamina* ornata, inſigne erat imperii & majeſtatis, qua caput Eccleſiæ gaudebat, cujus erat populum ad fœdus admiſſum capitis inſtar regere, defendere & patrocinari.

γ. Sicuti hic *ornatus Pontifici* cedebat *in gloriam*, *& ornatum*, quatenus habebat notam digniſſimi muneris; ita quoque Chriſtus propter illud munus mediatorium habet

a. *Majeſtatem venerandam*, dum nomine Dei agens, & ut Ἀπόςολος τῆς ὁμολογίας ἡμῶν ſuos ad fœdus cum Deo invitat, imo & admittit cum poteſtate ſumma, habet aliquod venerandi, ut ſit adorandus & jure à nobis flagitet fidem in ſe.

b. *Pretium nunquam non æſtimandum*, à quo venit nobis ut amandus tanquam ſponſus Eccleſiæ gratiſſimus, dum ex ſingulari amore erga Eccleſiam, cauſam illius in ſe ſuſcipit, omniaque fideliter præſtat, nomina eorum non tantum humeris, ſed & cordi imponit, ac Patri repræſentat.

δ. Tota *illa relatio variarum partium* muneris mediatorii ad ſe invicem, habuit multum ſapientiæ divinæ, & ipſi artis periti à Deo edocti, argumento erant, omnes qui concurrerent ad Chriſti introductionem in mundum, & manifeſtationem ejus in munere mediatoris, nil auſuros propria prudentia, ſed omne illud opus fore Spiritus Sancti. Ita *mater* concepit eum ex *Spiritu Sancto*. Prodromus *Baptiſta* eum publice proponens ut Meſſiam, egit *vocatione divina*, omniaque teſtatus eſt ad normam conſilii divini, quæ de Chriſto monenda veniebant: quod idem de Apoſtolis & diſcipulis conſiderandum eſt.

PARS II.

DE AMICULO CUM PECTORALI.

Analyſis.

§. 1. Incipit Legiſlator à veſtimento exteriori, gradatim perrecturus ad interiora; Cum enim omnia Moſi exhiberentur in idea, ſecutus eſt hanc methodum, ſecundum quam incipit ab iis quæ primo in conſpectum prodeunt. Primum ergo veſtimentum, quod attingit eſt *Amiculum cum Pectorali*, quæ duo conjungimus, quia alterum alterius erat ſupplementum, dum pectorale amiculo alligatum, in ſymbolo quaſi unum cum eo conſtituit, locum aliquem vacuum occupans, & ad ejuſdem rei ſignificationem pertinens.

§. 2. De-

§. 2. Depingitur hoc amiculum

α. Quoad partes integrantes, quæ tres ſunt:

a. Indumentum, *verſ. 6.*

b. Humeralia, *verſ. 7.*

c. Cingulum, *verſ. 8.*

β. Quoad ornatum humerale à *verſ. 9.* — 12.

γ. Quoad accommodationem ad recipiendum pectorale; ubi definiuntur

a. Catenæ aureæ, *verſ.* 13, 14.

b. Pectorale ipſum, cujus deſcriptio quaſi per parentheſin inſeritur, ubi videas Legiſlatorem definire.

1. Materiam & formam ejus, *verſ.* 15, 16.

2. Ornatum lapidum, qui

א. Definiuntur, *verſ.* 17. —— 20.

ב. Declarantur à modo inſerendi & conſcribendi, *verſ.* 20, 21.

c. Colligatio cum amiculo mediantibus catenis & annulis, *verſ.* 22. —— 28.

δ. Quoad adjunctum Urim & Thummim, *verſ.* 30.

Scholia.

Verſ. *6. Facies amiculum*] Hebr. אֵפֹד, *Ephod*, à rad. אָפַד, *amicivit* & *accinxit*, conf. *Jeſ.* XXX. 20. ejus quoque mentio fit inter veſtimenta *Samuelis*, 1 *Sam.* II. 18. *Davidis*, 2 *Sam.* VI. 14. & 1 *Chron.* XV. 27. *Michæ*, *Jud.* XVII. 18. fuitqne indumentum aliquod extimum, & quaſi ſuccinctorium. Si *Joſephi* authoritate ſtandum eſt, Amiculum hoc Pontificale contextum fuit *in profunditatem cubitalem*, cenſentque Philologi formam *Caracallæ* habuiſſe, quod fuit breve veſtis genus lateribus ſciſſum & quaſi hemiſpherium, ſeu dimidiatum pallium, manicis deſtitutum, tergum ab humeris ad nates uſque tegens, nec non pectus, niſi quod ſpatium aliquod intectum derelictum fuerit, cui pectorale fuit inſerendum, ac proinde ex duabus conſtabat plagulis una anteriore, altera poſteriore, vid. *Braunius de Veſte Sacerd. lib.* II. *cap.* 6.

Ex auro, hyacinthino, &c.] Id eſt, ex eadem pretioſa materia, ex qua aulæa interiora confecta fuerunt, unde *Joſephus* dicit ex *variis coloribus & auro variegatum fuiſſe.* Non definit Moſes quales figuræ colorum variegatione plagulis hiſce intertextæ fuerint. Negant Judæi anima-

animalium figuras aut Cherubinorum insertas fuisse, sed amant illis substituere flores, ne occasio idololatriæ daretur. Usus istius ornatus fuit ad gloriam & pretium Pontifici conciliandum.

Opere artificiosissimo] Id est, textura figuras ab utraque parte elegantissime repræsentante.

Vers. 7. *Duo humeralia*] Quæ nihil aliud fuerunt, quam reliquæ partes hujus vestimenti humeros occupantes usque ad axillas, quæ plagulis adhærebant, & usque in humeros protrahebantur, ut gemmatis fibulis anteriora cum posterioribus jungerentur, inde LXX. vocant hoc vestimentum ἐπωμίδα ἀπὸ τοῦ ὤμου, id est, humero.

Et juncta erunt illi in duabus extremitatibus] Quam conjunctionem Judæi putant factam acu, dum humeralia volunt plagulis assuta; verum id minus convenit cum verbis Mosis, qui omnia vestimenta concipit tanquam opus textoris, & potuerunt æque per texturam adhærere quam per acum.

וחבר, *& adhærebit*] Quæ verba repetuntur forsan ad novam cohærentiam denotandam, quæ existere debuit in humeris, humeralium conjunctione per fibulas gemmales.

Vers. 8. *Et cingulum amiculi ejus*] Ita vocatur tertia pars hujus indumenti, cujus ope infra axillas amiculum adstringebatur corpori, & pallium lumbis.

עליו, *supra eum*] ex eo scil. cingulum hoc amiculo fuit continuum, egrediebaturque per texturam ex ipso amiculo.

Vers. 9. *Et sumes duos lapides Scoham*] Ex *Josepho* constat duas pretiosissimas illas gemmas Græcis vocatas esse Σαρδόνυχας, quamvis *Philo* ponat *Smaragdos*, & LXX. Βηρύλλιον. Pluribus tamen Clar. *Braunius* sententiam *Josephi* confirmat citato *lib.* II. *cap.* 18. *Plinius* describit *lib.* XXXVII. *cap.* 6. colorem habuisse *translucidum ex rubro & candido quasi mixtum.*

Insculpes eis, &c.] Antiquum igitur fuit artificium Romanis adeo celebre, insculpendi nomina & figuras gemmis, qualia apud antiquarios rara monumenta etiamnum inveniuntur, in quibus imagines artificiosissima manu excavatæ sunt.

Vers. 10. *Sex è nominibus eorum*, &c.] Ita XII tribuum nomina in duas classes divisa sunt, & unicuique lapidi sex nomina insculpenda erant.

Prout illi nati sunt] Id *Josephus Antiq. lib.* III. *cap.* 18. ita explicat, ut majores natu dextrum humerum obtinuisse, minores sinistrum, asserat.

rat. *Gemarici* autem, tum *Babylonici*, tum *Hieroſolymitani*, volunt filiorum *Leæ* nomina primum ſcripta fuiſſe, deinde *ancillarum*, atque ultimo filiorum *Rachelis*, quæ ſententia minus probabilis & excuſſa à *Braunio* loco citato.

Verſ. 11. *Incluſos fundis aureis*] Sc. duæ gemmæ auri fundis ita fuerunt inſertæ, ut fieri etiam hodie in annulis videmus. *Joſephus de bello Jud. lib.* VI. *cap.* 6. rem illuſtrat, dum ait, *fibulas duas aureas*, quas *aſpidiſcas* vocat, id eſt clypeolos, humeralia colligaſſe, quibus inquit καλλίστοι καὶ μέγιστοι σαρδόνυχες κατέκλειντο, unde confici poteſt, utrumque humerum obtectum fuiſſe auri maſſa, in formam clypei incurvata, cui infibulabantur humeralia, & deſuper immiſſæ fuerunt gemmæ.

Verſ. 12. *Lapides memoriales filiis Iſraël*] Ita vocabantur ab uſu, quem verba ſequentia indigitant, ſc. ferre debuit Aaron nomina filiorum Iſraël coram Jehova ſuper duos humeros ſuos, in recordationem, quaſi vellet Deum monere, quod pro omnibus tribubus ſacrificaret, omniumque cauſam apud Deum peragendam ſuſcepiſſet.

Verſ. 14. *Duas catenas auri puri*] Illæ catenæ humeralibus appenſæ fuerunt, ut pectorale iis annecteretur & ab iis ſuſtineretur.

מגבלות] Hans vocem alii vertunt *æquabiles*, quaſi ſignificaret duas catenas æqualis longitudinis & craſſitiei; alii potius transferunt *opus flexile*, quia funiculi aurei funium inſtar implecti debuerunt; Belgice *ketens van gedraeyt werk*, ut illico explicatur à Moſe.

Appones ad fundas] Ut ſcil. principium adhæſionis hic ſtatuendum ſit ad fundas lapidum humeralium in utroque humero.

Verſ. 15. *Hic* accedit *ad pectorale*, tanquam ex occaſione deſcripturus partem è catenis illis ſuſpendendam.

Pectorale Judicii] LXX. transferunt λόγιον τῶν κρίσεων. Vulgata, illam verſionem ſequens, *rationale judicii.* Ita appellatur cum relatione ad *Urim & Thummim*, quia Pontifex hoc indumento indutus, & Deum in cauſa dubia rogans, referebat oracula, quæ debebant eſſe judicii loco, utpote quæſtionem determinantia.

Sicut opus amiculi facito illud] Conveniebat igitur cum amiculo, non tantum quoad materiam, ſed etiam quoad figuras & omnem ornatum.

Verſ. 16. *Quadratum eſto*] Unde ſubjungitur ejus longitudo & latitudo, quæ utraque definitur ſpithama Hebr. זרת, cujus quantitatem colligere licet ex *Ezech.* XLIII. 13. collato cum 17. ubi definitur per

dimidium cubiti, Judæi per tres palmas ſive XII digitos, quod iterum convenit. Hanc proportionem natura docet, quia ſpithama juſtam continet menſuram, ad tegendum viri pectus.

Duplicatum] Itaque textura integra habebat longitudinem cubiti, & latitudinem dimidii cubiti, verum complicatum & ita duplicatum quadratam figuram accipiebat, quæ duplicatura multum faciebat ad indumenti firmitatem, ne facile laceraretur ab onere tot gemmarum.

Verſ. 17. *Lapides ordinibus* IV.] Scilicet pro numero XII. tribuum, XII gemmæ pectorali inſerendæ fuerunt quadruplici ordine, ut quilibet ordo tres receperit lapides, de quarum ſerie, nominibus, & virtutibus plurima videnda ſunt apud *Braunium*, quæ exſcribere non lubet; ſufficit hic tantum ex ejus mente nomina referre, ut ordini primo aſſignati fuerint *Sardius, Topazius, & Smaragdus.*

Verſ. 18. In ordine ſecundo numerantur *Carbunculus, Sapphirus, & Adamas.*

Verſ. 19. In ordine tertio numerantur *Hyacinthus, Agathes, & Amethiſtus.*

Verſ. 20. In ordine quarto numerantur *Chryſolithus, Sardonyx, & Jaſpis.*

Impacti fundis aureis ſunto ſuis inſitionibus] Scil. unaquæque gemma auro munita eo pacto fuit, ut munimenta aurea adhæſiſſe videantur communi laminæ aureæ, ut ita facilius pectorali affigi & inſeri potuerint.

Verſ. 23. *Pones duos illos annulos in duabus extremitatibus*, &c.] Hi duo annuli ſpectabant ad ſuperiorem pectoralis marginem, quibus catenulæ aureæ erant inſerendæ, ut inde totum pectorale dependeret.

Verſ. 25. *Duas vero alias extremitates*, &c.] Hic reſpicit extremitates catenarum aurearum, quæ annectendæ veniebant humeralibus ad radicem fundarum, quibus duo lapides Sardonyches inſerti fuerant.

Verſ. 26. *Facies quoque duos annulos*, &c.] Hi annuli pertinebant ad inferiorem marginem pectoralis, quorum uſus erat ut pectorale adſtringerent & alligarent cingulo, ne difflueret, atque ita tam ſurſum quam deorſum retinebatur expanſum, ut neque huc neque illuc dimoveri potuerit.

Verſ.

Verſ. 28. *Vitta hyacinthina*] In parte ſuperiori alligabatur pectorale catenis, inferiori autem vittis ſeu ligamentis colore cæruleo aut hyacinthino imbutis, qui color etiam pallii fuit.

Neque ſeparætor pectorale hoc ab illo amiculo] Prohibet Legiſlator ut unquam ſolvant tam catenulas quam vittas, ac proinde pectorale illud, amiculo commiſſum, concipiendum fuit tanquam unum cum amiculo indumentum ſeu ornamentum.

Verſ. 29. *Ut portet Aaron*, &c. *cum ingredietur in Sanctum*] Multum à ſcopo aberrant viri docti, qui putant, Aaronem ornatiſſimo illo amictu indutum, quotannis ingreſſum fuiſſe die expiationis in Sanctum Sanctorum, cum Legiſlator hic αὐτολεξεὶ reſtringat ad Sanctum, & ad juge Pontificis exercitium. Contrarium videbimus ſuo loco ex lege ipſa, Ponitficem ſc. die expiationis tantummodo in albis ambulaſſe, & ſine pretioſis hiſce indumentis ſe conſpiciendum populo præbuiſſe; de qua re pluribus *Braunius lib.* I. *cap.* 7.

Verſ. 30. *Et dabis in illo pectorali juris, Urim & Thummim*] Hic multum digladiantur Philologi, quid per URIM ET THUMMIM Legiſlator intellexerit. Nuper doctiſſ. *Spencerus* putavit, ſignificari *duas imagunculas*, *pectorali inditas*, *eaſque alias Theraphim appellari*, quam conjecturam ſtabiliri poſſe ex locis *Judic.* V. & XVII. nec non *Hoſ.* III. 4. exiſtimat: Verum minus ſolidam eſſe illam conjecturam probat *Braunius lib.* II. *cap.* 20, ejuſque nuperus antagoniſta *Witſius* viri docti argumenta pluribus excuſſit; mihi videtur imagunculárum formam utpote rotundam & variis protuberantiis inæqualem, non convenire pectorali, quippe deformem admodum conſpectum pectori Pontificis conciliaſſet, & fere gibboſam figuram, id eſt, monſtroſam adjeciſſet. Neque etiam gemmarum juſta ſeries in plano conſervanda, retineri potuiſſet. Hinc eſt quod plurimi viri docti intelligant ipſum *ſyntagma lapidum*, ſeu gemmarum texturæ pectoralis aſſuendum; verum nec illa ſententia difficultate caret. Clar. olim *Matthias Martinius* putat lamellam auream, vel ſimile quid, fuiſſe intra duplicaturam pectoralis ponendam, quod magis videtur convenire cum textu, præcipuè ſi conferamus *Lev.* VIII. 7, 8. Ubi poſtquam Moſes Pontifici alligaverat pectorale, dicitur *in illo dediſſe Urim & Thummim*, quod vix concipi poteſt, niſi fuerit aliquod corpus duplicaturæ pectoralis libere inſerendum; nam quomodo onus illud lapidum pretioſorum tunc temporis potuerit pectorali inſui & affigi, concipere non poſſum.

Eſto

Esto ergo *Urim & Thummim* arcanum aliquod corpusculum, planum, non in lege descriptum, cum quia humana opera confici non debuit, tum etiam quia à vulgi cognitione Legislator voluit remotum, ne Judæi id multiplicarent, & ad idololatriam eo abuterentur. Accedente forsan etiam ratione mystica, cur mysterii instar solo nomine innotescere debuerit. Usus erit se habere instar pignoris, quo Deus rex populi se adstrinxit & obligavit ad respondendum populo, Pontifice id nomine populi postulante, & cum adductione hujus pignoris promissam illam gratiam quasi restipulante, quidquid sit, in eo omnes conveniunt,

α. *Urim & Thummim* significare *lucis & perfectionis* omnimodam copiam,

β. *Deum* huic signo externo *alligasse* quædam *oracula*, ab eo expetenda,

γ. Hoc privilegium datum esse *Pontifici*, cujus interventu & opera desiderata oracula impetrarentur, & eorum ope populo nihil eorum deesse, quæ ad necessariam lucem & perfectionem pertinent, id est, ad cognitionem voluntatis Dei in populo imperantis, & ad præstationem rerum rempublicam illam perficientium.

Sic portabit Aaron Jus filiorum Israëlis] משפט significat, tam *judicium*, quam *jus* judicio adjudicatum aut adjudicandum. Ab hoc jure vocabatur pectorale חשן המשפט, scil. Pontifex, quasi ex fœdere munitus hoc pignore, repræsentabat in intercessione sua jus populi, dum responsa petens, voluit explorare, quid Deus vellet ex fœdere suo agere cum populo, adeo ut responsum, quod referret de jure & Judicio Dei & populi, statueret, quid in casu dubio faciendum esset, aut quid à Deo rege in regimine populi expectandum esset.

Ratio OEconomiæ.

§. 1. Repetendum est, quod שכנה seu divina *majestas* habitans in Sancto Sanctorum, repræsentaverit Deum populi regem ibi præsentem, ut oracula & judicia sua, rogatus, populo manifestaret, atque ita eum perpetuo gubernaret. Verum cum ad hoc opus requireretur, internuntius qui regem conveniret, quando vellet, aut res ipsa id flagitaret, Pontifex Maximus in eum usum designatus fuit, qui caussam populi ad Deum deferret, supplicationes & dubios casus illi proponeret, responsa relaturus. Hoc munus intercessorium depingebatur

tur amiculo, clypeum illum pectoralem includente; quem *Lutherus* eleganter vernaculè *een Amptſchilt* vocat, quia erat teſſera muneris intercefſorii.

α. *Reconditam* habebat *fabricam incognitam*, duplicaturæ pectoralis inſertam, cui nomen *Urim* & *Thummim* imponitur, tanquam pignus à Deo rege datum, quo confirmabatur ejus facultas conveniendi Deum, & per modum reſtipulationis fœderalis, quæ ad gubernationem, & directionem populi ſpectabant, ab eo nomine populi poſtulandi.

β. *Gemmatum opus pectorali inſertum*, cui nomina XII. *Tribuum* erant inſcripta, reſtringebant illam facultatem intercedendi ad ſolam cauſam populi Iſraëlitici. Et juxta textum ipſum, erat *memoriale populi coram Deo*, quaſi in memoriam revocans, quinam eſſent fœderati, & ad populum ſpectantes, quibus Deus benevolentiam ſuam adſtrinxerat.

γ. *Amiculum* ſpectabat tantum ad firmitatem pectoralis, ne huc illucve difflueret, niſi quod humeris etiam nomina XII. Tribuum erant impoſita, quod memoriale oſtendebat, Pontificem non tantum ex amore, ſed etiam ex officio & ſingulari obligatione, cauſam populi Deo repræſentare.

δ. *Ornatus amiculo & pectorali communis*, cujus materia & colores conveniunt cum aulæis, conciliabat Pontifici eam authoritatem, ut non potuerit non venerari tanquam domus Dei domeſticus, utpote geſtans eundem ornatum cum interioribus regii iſtius tabernaculi, vernacule diceres *dat hy droeg het liverey des Konings*.

§. 2. In *Chriſto* vero Pontifice, Aaronis antitypo, denotatur idem *Munus Interceſſorium*, quo cauſam populi electi defert ad Patrem, eorumque ſupplicationes in fide oblatas, ad thronum judicii Dei deferens, juſtificationem ſuorum rogans & reſtipulans, ut omnia neceſſaria reſponſa, per *Spiritum Sanctum* illis concederet Pater.

α. *Pectorale* itaque, denotat ipſum repræſentamen cauſæ fidelium in judicio, quod pectori impoſitum, denotat intimum cordis amorem, quo Chriſtus ſuos complectitur, & corpori adſtringit, ut repræſentet, eoſdem aſſumptos in unitatem corporis; induit enim Chriſtus fideles electos ut veſtimentum, in quo habitat, quodque cordi habet tanquam pertinens ad ornatum ſuum & gloriam ſuam, dum gra-

tiam ſuam in iis collocatam, ad laudem gloriæ ſuæ gratiæ proponir, in quo repræſentamine

a. Occurrit *Urim & Thummim*, olim pignus Spiritus Prophetici, per quem Pontifex divina reſponſa referebat, quidni & hic emblema *Spiritus Sancti?* utpote cui omnes characteres apprime conveniunt, modo conſideretur ut Spiritus Chriſti in Eccleſia habitans.

1. Non erat hoc pignus *humanæ operæ*, ſed à *Deo dabatur*: ita quoque Spiritus non acquiritur humana induſtria, ſed Chriſtus eum miſit à patre ut donum gratiæ.

2. *Intra duplicaturam pectoralis latitabat, neque conſpiciebatur ab hominibus*, ita quoque *Spiritum* quem accepit Eccleſia *non novit mundus*, *Joh.* XIV. 17. eſtque ipſe *albus calculus*, *quem nemo novit niſi qui accipit*, *Apoc.* II. 17.

3. Erat *arrhabo reſtipulationis*, qua liceat petere à Deo, non tantum omnia neceſſaria, ſed & *oracula* quibus manifeſtaret Deus conſilium ſuum arcanum, aut voluntatem ſuam in judiciis. Ita *Spiritus Sanctus* quoque eſt *arrhabo*, 2. *Cor.* I. 22. & *ſpiritus adoptionis filiorum*, *Rom.* VIII. 15. cujus ope accipimus jus non tantum, ſed & inſtigationem, petendi à Patre omnia ad pietatem & vitam neceſſaria.

4. *Neque fruſtra fuit illud pignus*, effecit enim ut donum Prophetiæ ſuper Pontificem oracula funderet, & arcana voluntatis manifeſtaret. Ita præſentia hujus Spiritus impetrat, ut Chriſtus arcana ſua per hunc ſpiritum communicet nobis, dixit enim: *Sumet ex meo & vobis notificabit*, *Joh.* XVI. 13.—15.

5. *Urim & Thummim vocatur*, quia id efficeret, ut omnia quæ ad cognitionem & conſummationem pertinent, adeſſent populo literali in ordine ad rempublicam, quæ erat Θεοκρατία: quod idem Spiritus præſtat in regno Chriſti ſpirituali, dum per illum Spiritum Eccleſiam illuminat lumine ampliſſimæ cognitionis, & conſcientiis eorum inſpirat τελείωσιν, quam lex præſtare non poterat, ſcil. Spiritus eſt ille ἄλλος παράκλητος, qui in foro conſcientiæ, credenti in Chriſtum nunc inſinuat ἄφεσιν τῶν ἁμαρτιων, & plenarii juris pignus eſt.

6. *Repræſentabatur tamen Deo ut pignus reſtipulationis.* Ita Chriſtus Patri repræſentat ſanctificatos ſuos, ut Spiritu obſignatos, & eorum

eorum ſupplicationes tanquam ejuſdem Spiritus *ſuſpiria*, quibus non poteſt non Deus reſpondere, conf. *Rom.* VIII. 26. & 27.

b. Occurrit *pectorale* reſpectu *clypei gemmati*, in quo cernimus XII pretioſiſſimas gemmas quibus Tribuum nomina inſculpta erant. Ubi

1. *Gemmæ*, lapides pretioſiſſimi, ſymbola ſunt *electorum ſanctificatorum*, qui & *lapides vivi* vocantur 1. *Pet.* II. 5. & Eccleſia per XII lapides pretioſos repræſentatur *Apoc.* XXI. 19, 20. conf. *Jeſ.* LIV. 11. Pretium gemmarum vero dependet

α. *A ſoliditate:* habent id lapides pretioſi, quod eorum particulæ ſibi mutuo tam arcte adhæreant, ut facile ictum ſine fractura ferant; ita quoque in electis fidelibus eſt animus infractus, conſtans, & ne multis quidem perſecutionum ictibus cedens.

ϐ. *A lumine* ſeu luce: quo enim pelluciditas gemmarum magis eſt lympida, eo majoris æſtimantur. Habet id quoque locum in fidelibus electis, quod per gratiam Spiritus Sancti omnes ignorantiæ, & vitiorum tenebræ, ita ex ipſis ademptæ ſint, ut dicantur ipſi *lux in Domino*, *Epheſ.* V. 8. adeo ut ipſi *radios lucis emittant*, *Matth.* V. 16.

γ. *A coloribus*, qui pro cujuſque gemmæ indole varii ſunt, & radios lucis modificant, ut gratum oculis conſpectum præbeant; quod emblema eſt, variorum donorum Sp. Sancti, quæ ipſam ſanctificationem ita modificant, ut in aliis hoc, in aliis vero aliud gratiæ ornamentum emineat. Ita color albus in *Adamante*, hyacinthinus ſeu cæruleus in *Sapphiro* & *Amethyſto*, coccineus in *Sardio*, purpureus in *Carbunculo*, aureus in *Chryſolitho* laudatur, qui colores etiam in veſtibus recipiebantur: *Achates* punctis & lineolis pulcherrime picta, refert fere teſſelatum opus: Color viridis variè modificatus in *Topazio*, *Smaragdo* & *Jaſpide* agnoſcitur, & fere referri poteſt cum floribus ex herba viridi protruſis, adeo ut in ſolis gemmis, quaſi compendium habemus quorumcunque colorum qui in veſtibus occurrunt, ac proinde in ſignificatione conveniunt, dum oſtendunt participationem omnis gratiæ & meriti Chriſti.

2. *Nomina* XII *Tribuum* illis inscripta, significantia Pontificem non intercedere nisi pro Israële, significant in regno Christi

ℵ. *Israëlem spiritualem*, constituere populum electum; gentesque conversas concipiendas esse instar proselytorum, utpote quæ per fidem Israëli inseruntur, atque ita conficiunt semen Abrahami spirituale: *Non enim omnes sunt Israël, qui ex Israële sunt*, *Rom.* IX. 6. — 9.

ϑ. *Excludunt* autem ab *intercessione Christi* omnes *infideles* & *hypocritas*, quorum nomina *labiis suis non se accepturum*, dixit Christus, *Psal.* XVI. 4.

℣. In fert quoque *locus* omnia Christi membra, nominatim illi ex testamento gratiæ cognita, Deo Patri proponi, *Hebr.* XII. 23, &c.

3. *Aureis fundis* implicabantur hæ gemmæ, quo denotatum fuit meritum Christi, omni auro pretiosius & solidius ita circumdare electos credentes, & in statu gratiæ confirmare, ut non possint ex amore Christi excidere, aut ille causam illorum negligere, quia *quos semel amavit, illos amat ad finem usque.*

4. Ita *confirmatæ gemmæ texturæ pretiosæ inseruntur*, quod denotat ipsos fideles induere Christum & in eo reperiri insertos, & sicuti ornatus ille erat tessura ejus, qui pertinet ad familiam Dei, & in domo Dei agit ut domesticus: Ita quoque significat, propter adoptionem filiorum, quemcunque fidelium etiam censendum esse *inter domesticos*, *Ephes.* II. 19. atque gaudere jure Christi. Verum distinctius consideremus in hac textura.

ℵ. *Byssum candidum* ut texturæ fundamentum, emblema puritatis, & sanctitatis Christi, quatenus est δικαίωμα seu materia juris, quod δικαίωμα nobis imputatur, & quo induti fideles, non possunt non Deo placere.

ϑ. *Color cæruleus* candido intertextus, repræsentat obedientiæ istius dignitatem cœlestem, quippe quæ non est meri hominis, sed ejus, qui è cœlo venit, unde & in foro divino consistere potest.

℣. *Color coccineus* repræsentat sanguinem Christi, & conjunctus cum prioribus, ostendit *obedientiam illam* puram esse *usque ad mortem*, *Phil.* II. 8. ac proinde fideles electos in Christo habere jus consummatum, quo impletur omne δικαίωμα τῦ

νόμου, eoſque incedere ornatos, non tantum juſtitia activa, ſed & paſſiva.

γ. *Purpureus color* reliquis adjicitur tanquam regiæ poteſtatis ſymbolum, omnia enim illa tendebant ad regnum acquirendum, ſeu Eccleſiam redimendam, ac proinde fideles hic repræſentantur, cum Chriſto induiſſe, propter cauſam juris, jus ad regnum ipſum, ſicuti & Deo empti ſunt ut reges ſint, unctionis Chriſti participes.

ς. Totum hoc ſyſtema *imponebatur pectori Pontificis*, quod eſt emblema amoris quo Chriſtus proſequitur ſuos, dum eſt Pontifex, qui poteſt habere συμπάθειαν *cum ſuis*, *Hebr.* IV. 15. atque ita opus interceſſionis nihil aliud eſt, quam repræſentamen Eccleſiæ per Spiritum ſanctificatæ, & omni jure redemptionis donatæ, quod Chriſtus ex perpetuo amore & συμπάθεια, perpetuo exhibet Patri, ut omnia eorum deſideria ſancta impleat, & cauſam illorum adverſus hoſtes, in judicio agat, & juſtificando illis defenſionem præbeat, & vias ſuas in eum finem manifeſtet.

β. *Amiculum* ſeu *Ephod*, quatenus totum compoſitum eſt, ad pectorale illud ſuſtinendum & includendum, proculdubio reſpicit *interceſſionis fundamentum*, cui tota innititur, & à quo omnimode dependet, ſive ut clarius mentem meam exprimam, ſignificant omne *jus Chriſti tam Sponſoris quam Redemptoris*, quatenus id Patri repræſentat in interceſſione ſua. Ibique occurrit

a. *Super humerale*, quod refero ad jus Chriſti, natum ex æterno pacto & ſponſione, quatenus ei Pater, ſtipulationem recipienti, conceſſit, ut ageret cauſam populi, & ipſa peccata electorum illi impoſuit, pro quo jure ſemper geſtavit, & humeris ſuis quaſi ſuſcepit, ſolutionem lytri & totum opus redemptionis. Huc alludunt dicta *Jeſ.* XLVI. 4. LXIII. 9. *Deut.* XXXII. 11. ubi proponitur, ut qui *geſtat populum*, hinc dicitur *Imperium humeris ejus impoſitum*, *Jeſ.* IX. 5. Ita ipſe interceſſionem ſuam cum jure ſponſionis connectit, *Job.* XXXIII. 23, 24 ubi repræſentatur, rogans liberationem agonizantis propter jus ſponſionis, rationem enim poſtulati reddens, dicit, *quia ego inveni* λύτρον. Hujus partis adhuc reſtant

1. *Duæ fundæ aureæ cum lapillis, nomina* XII *Tribuum in humeris repræſentantibus*, quo denotatum fuit, repræſentamen populi in æter-

no teſtamento Chriſto dati, ſicuti nomina in pectorali repræſentabantur, ut à Chriſto amata, quæ collatio inferebat, Chriſtum nihil rogare vultra pactum & conſilium pacis, id eſt, eorum tantum cauſam in interceſſione agere, quorum onus nominatim ipſi impoſitum fuerat.

2. *Fibulatio & conjunctio* duarum plagularum in humeris, denotant conſtantem voluntatem ſponſoris, adſtipulationem ſuam non ſolventis, & munus redemptoris nunquam deſerentis, utpote, qui non potuit, ob intimam ſanctitatem, & decreti divini immutabilitatem, æternæ ſponſioni renunciare.

3. *Catenæ aureæ pectorale retinentes*, denotabant, connexionem inter ſponſionem Chriſti & interceſſionem, quæ connexio fundata erat, in conventione inter Patrem & Filium, unde Chriſti jus, recipiendi à Patre, etiam per anticipationem meriti ſui, quidquid æterno pacto promiſſum erat, reſpectu fidelium ſalvandorum. A*urum* hic denotat pretium communis voluntatis, utpote voluntas Dei triuni, conſentiens ad noſtram beatitudinem, ac proinde nobis pretioſiſſima.

b. *Cingulum* repræſentat jus interceſſoris, natum ex ejus veritate, qua omnem ſponſionem, ſatisfaciendo præſtitit, dum auima ejus λύτρον poſuit, quod pro nobis dare ſpoponderat. Hinc *Jeſ.* XI. 5. *Juſtitia & veritas* dicuntur *cingulum lumborum ejus*, ſicut enim cingulum lumbos firmando, repræſentat aliquem accinctum & paratum ad opus; Ita Chriſtus per ſatisfactionem ſuam occurrit, tanquam inſtructus, & conſummatus ſalvator, qui plenario gaudens jure, omnia poteſt atque valet.

ꝭ. Sed in hoc *cingulo* duplex *uſus* notandus eſt:

1. *Lumbis adſtringere pallium cæruleum*, ne diffluat, ita conſummata Chriſti juſtitia effecit, ut potuerit, cauſam Dei agens apud populum, fratribus annunciare juſtitiam æternam, quam expectabant: dum illud Euangelii præconium, fundatum erat in cauſa juris jam præſente.

2. *Retinebat pectorale deorſum*, atque ita oſtendebat interceſſionem Chriſti, in Novo Teſtamento jam undiquaque fundatam eſſe, nihilque deſiderari, quin potuerit ex pleno jure agere, ac reſtipulare, tanquam poſt omnem ſtipulationem impletam.

ϑ. *Con-*

ϑ. *Conjunctio fiebat cum pectorali mediantibus vittis hyacinthinis*; ita quoque impetratio ſalutis conjungitur cum applicatione, per interceſſionem, promota mediante voluntate Chriſti cœleſti; ſcil. quidquid Chriſtus à Patre pro jure ſuo petit, illi voluntati ſimul ſubeſt ſtudium conſervandi omne θεοπρεπὸν, omnemque divinam majeſtatem, & gloriam; dum enim repræſentat electorum fidelium cauſam, oſtendit ſimul, gratiam pro illis poſtulatam, tendere ad gloriam gratiæ divinæ, & omnimodum divitiarum Dei manifeſtationem, quam gloriam Chriſtus non poteſt negligere, ac proinde illa voluntas revera cœleſtis eſt.

c. Utrique communis erat *ornatus*, & ſimilis ornatui quem in pectorali annotavimus, quo ſignificabatur, juſtitiam Chriſti eandem eſſe cum juſtitia imputata fidelium, unde colores etiam eandem habent ſignificationem.

d. Reſtat adhuc unicum hoc monendum, quod *pectorale, amiculo catenis & ligamentis annexum, nunquam debuerit ſolvi*, ac proinde ita cohærebant, ac ſi unum commuue veſtimentum utrumque componeret; unde concludimus, impetrationem ſalutis, & applicationem inſolubiliter connexam eſſe, Chriſtumque nunquam non à Patre rogare pro electis ſuis, ac proinde impoſſibile eſſe ut tales pereant, cujus fundamentum ſolummodo eſt in conſtanti voluntate Dei & Chriſti.

PARS III.

DE PALLIO AMICULI.

Ratio Methodi.

A veſtimento exteriori, nunc deſcendit Legiſlator ad alterum illi proximum & Pontifici peculiare, non aliter ac amiculum, quod vulgo vocatur *Pallium amiculi*, cujus deſcribitur

α. Fabrica, *verſ.* 31, 32.

β. Appendices malogranatorum & Tintinnabulorum, *verſ.* 33, 34.

γ. Uſus, *verſ.* 35.

Scholia.

Verſ. 31. מעיל האפוד, vel *Pallium amiculi*, alii *Tunicam talarem vocant*,] Scil. dubium an inter tunicas, num vero pallia antiquorum, referri debeat. Tunicis conforme eſt hoc veſtimentum, quatenus fuit clauſum & rotundum, attamen cum pallio convenit, quatenus deſtitutum eſt manicis, quas habere ſolent tunicæ talares; deinde non longum fuit, nec ad pedes uſque demiſſum, ut tunicæ, ſed tantum ad genua aut paulo inferius. Manicis deſtitutum fuiſſe non tantum teſtantur *Hebræi* unanimiter, verum & *Joſephus* non obſcure innuit, quando dicit καὶ ὅθεν αἱ χεῖρες διείργονται σχιστὸν ἐςὶ, & *apertum eſt*, *qua manus exeruntur.* Quando vero *Pallium amiculi* appellatur, nihil aliud ſignificat, quam pallium amiculo lumbis adſtringendum.

Totum hyacinthinum] Id eſt, totum ex lana hyacinthino colore imbuta, contextum. Errant itaque qui in hoc veſtimenti genere, aut picturas aut fundas quærunt, cum fuerit ſimpliciſſimum ex lana contextum, ac proinde fundas non recipiens, nec non unius coloris, ac proinde picturas reſpuens.

Verſ. 32. *Et erit foramen capitis in medio ejus*] Hæc verba præſupponunt undique clauſum fuiſſe hoc veſtimentum, & non niſi foramen capitis, id eſt, per quod caput immittendum fuit, admittere. LXX. habent περιςόμιον ἐξ αὐτȣ̃ μέσον. *Joſephus* formam ejus ita definit, *aperturam*, inquit, *habet non tranſverſam*, *ſed in longum*, *quæ deſcendit à tergo*, *& ante*, *uſque ad medium pectus*, id eſt, ſciſſura non tendebat verſus humeros, ſed verſus tergum & pectus.

Lymbus eſto ori illius tanquam os loricæ] Veterum loricæ non raro ex lino & corio factæ erant, & opus habebant circa collum lymbo aliquo, ut in illis partibus firmiores eſſent in quibus maxime terebantur. *Abarbanel* lymbum illum introrſum ſpectaſſe, atque in conſpectum non veniſſe aſſerit, quod etiam *Joſephus* animadvertit quando dicit, *Pallium aſſutum ibi habuiſſe lymbum*, *ne appareret aperturæ deformitas.*

Opus textoris] Id eſt, ingenioſe & affabre attextum, ut proinde lymbus non fuerit acu *aſſutus*, ſed una eademque textura cum pallio abſolutus, quod quidem videtur contra *Joſephum*, qui dicit πέζα δὲ αὐτῷ προσέῤῥαπται. Verum dicendum eſt, aut id *Joſephi* tempore contra

tra legem factum fuiſſe, aut per τὸ προσεῤῥάπτεσθαι non intelligendum *aſſui*, ſed tantum *committi*, quod *Joſepho* etiam alibi familiare eſt.

Ne rumpetur] Itaque hic limbus tantum fecit ad capitii firmitudinem.

Verſ. 33. *Et facies in fimbriis ejus malogranata*] רמון ſignificat *malum punicum*, ut colligunt viri docti ex *Cant.* IV. 3. 13. quia illi attribuitur apertura poſt maturitatem, unde fieri ſolet, ut ejus acini & grana facile conſpiciantur; Conſentiunt *Talmudiſtæ* vide *Maſſechet Sevachim*, *cap.* 9. Rabbini magnitudinem horum globulorum confectorum, qui malogranata vocantur, definiunt ad quantitatem ovi gallini. Videatur *Jarchi* in hunc locum.

Hyacinthina, purpurea, & coccinea] Confici ergo debuerunt globi illi ex lana triplicis coloris, dubitant Interpretes an etiam byſſus debuerit innodari, propter authoritatem LXX. Interpretum, de qua quæſtione vid. *Braunium.*

Tintinnabula aurea] Horum forma minus nota eſt, cum varia illorum apud veteres fuerint genera. Certum eſt antiquos habuiſſe genus tintinnabulorum, quæ globulorum inſtar intus cava, rotunda & undiquaque clauſa fuerunt, niſi quod exiguis quibuſdam foraminibus eſſent pertuſa, ut tinnitus foret intenſior; His includebantur globuli ex quovis metallo, ut eorum motu tinnitus ederetur. Verum dabatur & aliud genus tintinnabulorum apud veteres apertorum, in quorum medio pendebat malleolus linguæ inſtar fabricatus, cujus motu quando tintinnabulo illiditur, tintinnus fit; ultimum autem genus tintinnabulorum huc ſpectaſſe ex Tractatu Talmudico *Sevachim*, *cap.* 10. probabile facit Clar. *Braunius.*

Verſ. 34. *Tintinnabulum aureum, deinde malogranatum*, &c.] Hebraiſmus eſt, ſignificans, alternatim tintinnabula & malogranata ſuſpenſa fuiſſe ex hoc pallio.

In fimbriis pallii circumquaque] Habuit itaque pallium verſus talos fimbrias quibus tintinnabula & malogranata annectebantur.

Verſ. 35. *Hoc erit ſuper Aaronem cum miniſtrabit*] Quod accipiendum tamen eſt, extra caſum miniſterii die Expiationis peragendi; ſcil. licuit Pontifici Maximo, quotidie eam partem Sacerdotii adimplere, quæ illi arridebat. Videturque res ita concipienda, ut poſt diem Expiationis, incidentem in primum anni menſem, uſque ad diem decimum, Pontifex quaſi novo jure quotannis reliquum miniſterii auſpicaretur,

abſoluta univerſa populi expiatione ; à quo tempore pro lubitu thurificabat, & Sanctuarium primum ingrediebatur : Hinc etiam hoc miniſterium adſtringitur ad ejus ingreſſum in ipſum Sanctum, contra diſtincte ad Sanctum Sanctorum.

Ut audiatur ſonus ejus] Uſus igitur tintinnabulorum fuit, mediante tintinnu omnium oculos in Pontificem convertere, non tantum ad venerationem aliquam, ſed etiam ut ſingulari cum devotione, preces ſuas ejus precibus conjungant.

Cum ingredietur, &c.] Cum cauſam populi deferret ad Deum, & referret ejus gratiam cum benedictione, moneri etiam debuit populus, ut ad omnia attenderet, & ſingulari cum attentione proſequeretur.

Neque moriatur] Non licuit ergo Pontifici ſub pœna mortis, ſine hoc ornatu verſari in munere.

Ratio OEconomiæ.

§. 1. *Pallium* hoc cum extiterit inſigne Pontificalis dignitatis, qua ille ſupra reliquos vulgares Sacerdotes ſupereminuit, non debuit omitti, quia illud foret abnegatio privilegii à Deo illi conceſſi. Voluit itaque Legiſlator ut hanc authoritatem tueretur, adeo ut depoſito illo inſigni, habitus fuit inſtar privati, cui nulla poteſtas Deum conveniendi, quique non potuiſſet, impune egredi à facie Dei, quin morte plecteretur, adeo ut ſic ejus egreſſus, ſi ſalvus conſpiceretur, populo fuerit argumentum, quod Deo placuerit.

§. 2. In ratione *ſymbolica* probe tenendum, quod *Pallium cum Amiculo* fuerint duo pignora, ingreſſum & egreſſum *veri Pontificis*, quaſi repræſentantia. Ad *ingreſſum* pertinuit Amiculum, quatenus adducebat ad Deum Memoriale populi, quod appellavimus agere cauſam populi apud Deum. *Pallium* autem reſpicit *egreſſum*, ſive hoc præſtitit, ut ſalvus & quaſi juſtificatus, redeat in conſpectum populi, acturus cauſam Dei apud populum, & ad eum relaturus teſtimonium gratiæ Dei cum omdibus benedictionibus ſpiritualibus. Huic fundamento innixi, conſpiciamus penitius

α. *Pallium ipſum*, *Jeſ.* LXI. 10. fit mentio *Pallii juſtitiæ*, itaque hic *Chriſtus* concipitur ut *juſtificatus in Spiritu*, & quem Deus vocavit, ut veniret ad nos cum juſtitia, ipſe *Jehova juſtitia noſtra.* Hac juſtitia ipſe Chriſtus indutus, conſiderandus eſt ut habens jus ad regnum

&

& populum aliquem colligendum, cum qua juſtitia manifeſtari debuit, dum ipſe annunciaret illam fratribus, *Pſal.* XL. 10, 11. atque iis proponeret ad fidem, ut ſe committerent Pontifici, jus ad regnum & juſtitiam habenti.

a. *Ex lana erat pallium*, quia ipſum δικαίωμα, ſeu materia juris & juſtitiæ erat *obedientia mactati agni obedientis uſque ad mortem, imo mortem crucis:* ſicut enim à mactatione agni, lana cedit in uſum veſtium, ita fructus mortis Chriſti fuit, ut Chriſto adjudicaretur hæc juſtitia, qua incurrit in oculos Eccleſiæ, proponiturque ut objectum fidei, omnibus juſtitiam capitis agnoſcentibus.

b. *Cæruleus color* in hoc pallio, qui cœli eſt, & majeſtatis cœleſtis ſymbolum, connotat juſtitiam illam in cœlo agnitam, & à Patre ut cœleſti judice illi adjudicatam & reputatam, ut meritum univerſalis, & cœleſtis poteſtatis atque authoritatis; unde pro jure ſuo cœleſti regnum aliquod cœlorum erigere potuit, & ad illud electos colligere ac revocare, unde aſcenſurus in cœlum, dixit, *Matth.* XXVIII. 18. *Mihi data eſt omnis poteſtas in cœlo ac in terra*, atque ita juſtitia in Chriſto conſpicitur conjuncta cum ἐξουσίας egrediendi, & ut Ἀπόστολος τῆς ὁμολογίας populum in fidem recipiendi, benedictionibuſque accumulandi.

c. *Clauſum & rotundum fuit*, & tanquam opus continuæ texturæ, quia authoritas juſtitiæ Chriſti undiquaque ſolida fuit, nuſquam hians, niſi ubi aut *caput* aut *brachia erant exerenda*, id eſt, admittebat ut Chriſtus ultra oſtenderet, & naturale jus ſuum, quatenus ut *caput* eſt Filius Dei jure naturali gaudens, quo imperet in omnes creaturas: & *brachia* exerere debuit, ut oſtenderet poteſtatem armatam potentia, nuſquam impedita & qua poſſit præſtare, quæ velit.

β. *Fimbriæ* huic pallio adhærentes, ad quas appendices ſpectabant, ſignificant electos fideles à Chriſto dependentes, quod probat *Pſal.* CXXXIII. 2. ubi *oleum unctionis effuſum in caput Aaronis* dicitur, *deſcendiſſe ad fimbrias veſtimentorum ejus*, quo Spiritus Sanctus docere voluit, Chriſtum *Spiritum* à Patre *acceptum*, effudiſſe in Eccleſiam, & ita *dona accepiſſe in hominibus.*

a. *Malogranata* adhærebant, quæ ſunt arboris cujuſdam fructus corticem habentes rubicundum, ſolidum ſed adſtringentem; intus pleni ſunt acinorum valde rubrorum, non aliter ac ſi ſanguini

innatarent, grati odoris & ſucci vinoſi, ad animæ refectionem apti *Cant.* IV. 10.—16. Eccleſia repræſentatur, ut conſita malis his punicis hortulani ſpem implentibus. Fructus igitur poteſt eſſe emblema *Fidelium* in Eccleſia natorum, quatenus ſunt ſpecimina gratiæ aliis exhibenda, & proponenda in exemplum, quo, ad ὁμολογίαν Chriſto dandam invitentur, ubi

1. *Fructus* ille repræſentat exempla eorum, qui parati ſunt pro veritate fidei etiam ſanguinem effundere. Nam ut fructus eſt extra, *cortice rubello* & *firmo*, ita hi extra ſanguine Martyrii tincti ſunt, ſed firmo animo adverſus vim hoſtium: ut eſt *ſapore adſtringente*, ita excruciant adverſariorum animos: Ut intus eſt plenus, *ſucci* ad animam reficiendam apti, ita intus hi ſunt pleni Spiritus & conſolationis; *Acinorum*, quatenus ſunt frugiferi, ita eorum exempla vim habent plures ad Eccleſiam adducendi, quorſum reſpicit proverbium, *Sanguis Martyrum ſemen Eccleſiæ.*
2. *Hi typi* nihilominus confecti fuerunt ex filamentis *hyacinthinis*, *purpureis*, & *coccineis*, quatenus ornamentum, & dignitas Pontificis Chriſti, in iis conſpici potuit; imo ipſi per dependentiam ſuam à Chriſto, cum ſupercœleſtibus juncti, πολίτευμα ſuum habuerunt in cœlis, quod ſignificat color *hyacinthinus*: & ejuſdem unctionis participes, Deo empti fuerunt reges, quod notat color *purpureus*; adde quod ſanguine Chriſti delibuti, jus habuerunt Deum adeundi ut Sacerdotes, quod denotat *color coccineus.*
3. *Dependentia à pallio hyacinthino* ſignificabat
   1. Horum *conjunctionem cum Chriſto* & *ſubordinationem*, adeo ut eorum omnis felicitas & beatitudo, dependeret à juſtitia, & juſtificatione ſponſoris.
   2. *Uſum* quoque ſignificabat, dum Chriſtus annunciaturus juſtitiam in Eccleſia, ſimul oſtenderet hos juſtitiæ ſuæ fructus, & per illos, tanquam per ſpecimina gratiæ, alios invitaret ad ſe, & ad fœderis gratiæ receptionem, quippe multi erant alliciendi per exemplum eorum, qui parati erant, ex amore veritatis & gratiæ, omnia gravia, ad ſanguinem uſque pati, ita enim fieret, ut plures electi ὁμολογίαν ſuam deponerent in manus hujus Legati Patris, & cauſa Dei inter homines promoveretur.

b. *Tin-*

b. *Tintinnabula aurea* quæ malogranatis interponebantur, ut tinnitum quemdam ederent, ſunt ſymbola eorum, *qui nomine Chriſti verbum Eunngelii promulgant*, & mandatum fidei ac reſipiſcentiæ ſonant, & quidem, quatenus ponunt ſtipulationem fœderis, ut viam ad gratiam, atque ita adſtipulationem ab omnibus auditoribus efflagitant:

1. *Aurea fuerunt*, id eſt, pretioſiſſima, ex nobiliſſimo, & puriſſimo metallo conflata, quia illud metallum *puriſſimum ſonum* edit: quod repræſentamen ſignificat, præconium NOVI TESTAMENTI, & melioris Fœderis, meliori Teſtamento ſuperſtructi: tantum enim OEconomia Novi Teſtamenti præſtat OEconomia Legali, quam aurum reliquis metallis; ſcil. ſub Lege non erat purum putum verbum gratiæ, ſed promiſſionibus & officiis admixta fuerunt, cum bona temporalia, tum etiam *præcepta non bona.* Hinc eſt, quod *legiſlatio* Novi Teſtamenti, *Pſal.* XIX. 11. ipſo *auro* præferatur, conf. 1 *Cor.* III. 12. *Prov.* III. 14. Accedit *auri pretium*, quo denotatur, quanti faciendi erant Apoſtoli, & reliqui Euangeliſtæ, propter opus Euangelii, quo monebant eos, qui in atriis verſabantur, quid faciendum eſſet, ut ſalvi evaderent.
2. *Plura fuerunt. Patres* XII, Judæi LXX numero fuiſſe aſſerunt, utrique ex conjectura. Hoc ſaltem conſtat multa numero agnoſcenda eſſe; quo ſignificatur, in regno Chriſti *Euangelizantium magnam turbam* promiſſam fuiſſe, *Pſal.* LXVIII. 12.
3. *Dependebant* quoque *ex pallio*, unde non ſonabant niſi moto pallio, ſeu quatiente ea Pontifice cum per atria incederet, ita quoque miniſtri regni Chriſti, qui Euangelium primo promulgarunt, non locuti ſunt niſi moti & acti à Spiritu Chriſti, & quidem ex illa voluntate, qua Chriſtus voluit regnum ſuum propagare & ultra producere.
4. *Ratio tinnitus* fuit
   1. *Generalis*, ut populus moneretur de Pontificis præſentia, quæ ratio tranſlata ad verum Pontificem indicabat, Pontificis veri & conſummati præſentiam, quod eſt proprium Euangelii munus, indicare quod Chriſtus venerit in carnem, & oblato unico ſacrificio expiationis, nunc pro jure ſuo agat, quæ ab ipſo electi expectare poterant.

 ϑ. *Spe-*

ϑ. *Specialis* fuit, ut Pontifici ingredienti, & egredienti, vota ſua conjungerent, & cum gratiarum actione, benedictiones acciperent; ita quoque Euangelium, invitat vocandos & vocatos, ut vota ſua & preces, ſeu deſideria gratiæ, per Pontificem ingredientem commendent, & benedictiones ſpirituales, à Pontifice quaſi egrediente, eaſque reducente, cum laude gloriæ gratiæ Dei excipiant, atque ita πληροφορίαν τῆς πίστεως recipiant.

ϛ. Additur, *ne moriatur*, quia non induere tintinnabula, involvebat abnegationem, ſeu ſuppreſſionem Euangelii, ac proinde infert, præconium gratiæ, inſeparabile eſſe à munere mediatorio Chriſti.

Pars IV.

DE ORNAMENTO CAPITIS PONTIFICIS.

Analyſis.

Tranſit jam Legiſlator ad aliud indumenti genus Pontifici quoque peculiare, & ultra vulgares veſtes illi conceſſum, ſcil. ad *Laminam auream*, *Tiaræ alligandam*, hanc autem laminam deſcribit

α. Quoad materiam, *verſ.* 36. p. pr.
β. Quoad inſcriptionem, *verſ.* 36. p. alt.
γ. Quoad conjunctionem cum Tiara, *verſ.* 37.
δ. Quoad ſitum, *verſ.* 38. p. pr.
ε. Quoad finem & uſum, *verſ.* 38. p. alt.

Scholia.

Verſ. 36. *Facies laminam*] Vocab. Hebr. ציץ ſæpius *florem* ſignificat, hic autem videtur ſignificare *ornamentum floribus conſitum*, LXX. vertunt πέταλον, id eſt, *laminam* quaſi *foliaceam*, id eſt, tenuiſſimam, reſpicientes ejus formam; nonnunquam vocatur נזר & ציץ נזר, vid. *Exod.* XXXIX. 30. *Lev.* VIII. 9. unde *Joſephus* appellat χρυσοῦν στέφανον, *Antiq. lib.* V. *cap.* 15. id eſt, *auream Coronam*, quo ſignificatur regius aliquis ornatus. *Joſephus* vult *calyculos hyoſciami verſus extrema inſculptos fuiſſe triplici ordine. Rabbini* latitudinem definiunt duorum digitorum,

torum, ejuſque longitudinem aſſerunt, reſpondiſſe ſpatio ab una aure ad alteram.

Ex auro puro] Ita materia fuit pretioſiſſima, aurum ſc. ab omnibus ſcoriis defæcatum.

Et inſculpes ei ſculpturis ſigilli] Non ergo fuerunt literæ protuberantes, ut voluit *Abarbanel*, ſed potius inciſæ.

קדש ליהוה, SANCTITAS JEHOVÆ,] Non inſuetum eſt, coronis inſcribi verba, & nomina, ſeu titulos regum, quod colligunt literati ex *Flavio Vopiſco* in vita *Aureliani*, *Præferebantur*, inquit, *coronæ omnium civitatum aureæ, titulis eminentibus prædita. Nomen* יהוה Dei memoriale inſculptum fuit coronæ huic, in argumentum, Pontificem Jehovæ ſoli conſecratum fuiſſe. Et *Sanctitatis* Jehovæ fit mentio, ad denotandum, Deum in illo cultu voluiſſe ſervare gloriam ſanctitatis ſuæ, nunquam abnegandam, ac proinde non poteſt conciliari populo, niſi intercedente ſanctificatione, qua teſtatur odium ſuum adverſus peccatum. Ut verba fere hunc ſenſum proferant; „ Sanctitas eſt ita „ vero Deo propria, ut ſine ejus abnegatione, aut ulla imminutione, „ per Pontificem quærendus veniat.

Verſ. 37. *Et pones eam*, id eſt, alligabis, *vitta hyacinthina*] Id eſt, ex lana hyacinthini coloris. Probabile eſt latiora quædam fuiſſe ligamenta, ſeu potius unicum ligamentum ſatis oblongum, quod pluſquam uno in loco, per laminam tranſire debuit, & Tiaram quoque trajicere, & in nodum, commodo loco colligi. Unde hoc ornamentum, etiam ad Tiaram ſpectavit, niſi enim à Tiara ſuſtentaretur, lamina ſuo loco retineri non potuit.

Et erit ſupra ipſam Tiaram] Hæc verba eodem modo ab Interpretibus non accipiuntur, dum alii ad *laminam*, alii ad *vittam* referunt. Qui prius eligunt, ut *Philo* & *Joſephus*, Tiaram volunt fuiſſe ſub lamina, & Laminam non immediate frontem tetigiſſe; Qui poſteriorem explicationem præferunt, ut *Talmudici* & *Magiſtri*, laminam infra Tiaram carni frontis adhæſiſſe volunt, textumque ita explicant, quod vitta hyacinthina, ſupra Tiaram recurreret ad occipitium, ubi ſtringebatur. Sententiam ſuam *Talmudiſtæ* probant ex principio *verſ.* 38. de cujus argumenti ſoliditate dubitari poſſet.

E regione anterioris partis ipſius Tiaræ erit] Ac proinde non niſi dimidium circulum compoſuit, & occipitium, id eſt, partem poſteriorem non tetigit.

Verſ.

Verſ. 38. *Sic erit ſuper frontem Aaronis*] Id eſt, adhærebit illi parti Tiaræ, quæ ad frontem vergit.

Ut auferat Aaron iniquitatem rerum ſacrarum, &c.] Scil. oblata à populo, quæ debebant eſſe ſpontanea, proculdubio non erant omnimodo pura, quin alicubi adhæſerit concupiſcentiarum oppoſitio, & retinentia, quæ aliqua eſt iniquitas, quam expiavit, lamina illa aurea ornatus. Obiter notandum quod עון ex etymo, ſignificet *quidquid detortum eſt*, & à norma rectitudinis deflectit, ac proinde ſæpius in Scriptura Sacra venit pro naturali corruptione, ſe in operibus manifeſtante, imo & ſtudio pietatis adhærente.

Et erit ſuper frontem illius jugiter] Scil. ſacra facturus Pontifex nunquam debuit conſpici ſine hac lamina aurea.

לרצון] Ad *benevolentiam* ſeu *acceptionem* divinam, offerentibus impetrandam, & conciliandam, qua grati ſint Deo in oblatione muneris.

Ratio OEconomiæ.

§. 1. Quoniam Pontifex, totius Sacerdotalis, & Levitici ordinis, fuit caput & Princeps, *Tiaram* habuit capiti impoſitam viris principibus propriam, & quaſi principatus inſigne, quo ornatus Pontifex honorandus veniebat omnibus: Adeo, ut ab eo præcepta, & jura cultus, cum omni ſubmiſſione miniſtri ſacrorum recipere debuerint; nec tantum, ſed & addita fuit *lamina aurea*, Coronæ in morem Tiaræ alligata, inſcriptione nominis Dei characterizata, ne quis putet, principatum hunc, Pontifici competere ex mera conſtitutione humana, ſed eum in Θεοκρατία, nomine Dei, in *Sacris* egiſſe Viceregem, in *Sæcris*, inquam, quia additur Sanctitas Jehovæ, ut proinde curam gerere debuerit, ut in omni cultu & officio, Jehovæ ſua aſſeratur ſanctitas. Lamina hæc veniebat *fronti* imponenda: in publicum teſtimonium, quod Pontifex agnoſceret, quis eſſet ſcopus officii & muneris ſui, idque frontali hac inſcriptione profiteri cenſendus erat; profitebatur itaque, *Jehovam verum Deum ſanctum* eſſe, & omni modo à peccato, & peccatore alienum, neque redire in gratiam cum peccatore, niſi ſalva ſanctitate, & intercedente lytro nomen ejus ſanctificante. Ab hoc ſtudio eſt, quod populum, Deo cum donis ſuis gratum reddere potuerit, quoniam iniquitates adhærentes in ſe ſuſcipiens, earum expiationem procuravit, quæ licet typica fuerit, nihilominus

nomen

nomen Dei aliquatenus ſanctificavit, quatenus obſignavit veram expiationem à Chriſto præſtandam.

§. 2. In *Chriſto vero Pontifice*, reſpondet

α. *Tiara* ejus dignitati, qua ut caput *Regii Sacerdotii* & Princeps populi, præ reliquis ſupereminuit, habens imperium cum Pontificatu conjunctum, non aliter ac *Melchiſedec.* Conf. *Pſal.* CX. 1.—4. *Zach.* VI. 13.

β. *Lamina aurea* principatus dignitatem extollens, unde & *Corona* vocatur, reſpondet ſummo Chriſti imperio in regno cœlorum, ſeu ſpirituali, quatenus cum poteſtate, habet dignitatem & gloriam, unde *Pſal.* XXI. 4. coll. *verſ.* 6. de Chriſto canitur, *Imponis capiti ejus coronam auri purgatiſſimi .... magna eſt gloria ejus, per ſalutem ſuam decus, & majeſtatem poſuiſti in eo.* Adde *Pſal.* VIII. 6.

a. *Aurum* ſuppeditans coronæ materiam, oſtendit regni pretium, & quam carum populo debuerit eſſe illud imperium, auri inſtar purum & durabile, id eſt, adminiſtrandum cum juſtitia & in æternum.

b. *Inſcriptio* referens nomen Dei, & munus regii Pontificis, adumbrabat.

1. *Chriſtum* in regno ſuo id curaturum, ut nomen Dei fiat manifeſtum, & verus Jehova, tanquam Jehova innoteſcat omnibus, utpote, qui cum in hoc regno demum præſtaret omnia ſua promiſſa. Huc refero *Mich.* V. 3. *Paſcet Dominator in elatione nominis Jehovæ Dei noſtri;* & *Mich.* VI. 9. *Revera videt quiſque nomen tuum.*

2. Eundem effecturum ut *Sanctitas* divina Jehovæ aſſeratur, quod conſilium Dei proponitur *Jeſ.* V. 16. *Et exaltabitur Jehova Deus exercituum in judicio; & Deus ille ſanctus ſanctificabitur per juſtitiam*, quod rex noſter, ut Pontifex præſtaret, intercedente digno ſacrificio.

c. *Applicatio fronti*, repræſentat Regem hunc id ſemper præ oculis habiturum, & conſtanti voluntate executioni mandaturum, ut illud opus ſanctificationis Patris promoveatur, profeſſurus publice, hanc *eſſe voluntatem Patris ſui, ut ſanctificaret eum* à peccatis electorum. Vid. *Joh.* XVII. 6. coll. cum 19.

γ. *Conjunctio utriuſque* intercedente *vitta hyacinthina*, monebat, gloriam exaltationis Chriſti, ſuperventuram peculiari ejus principatui,

(quem exhibuit miracula faciendo, populum colligendo, & Apostolos præceptis dirigens in hac vita) funiculis amoris Paterni; Pater enim *amat gloriam Filii sui*, qui amor sicuti cœlestis est, prout & color hyacinthinus cœlum refert, ita concessit Filio omnem potestatem in cœlo & in terra, cum manifestatione gloriæ exserendam, & nunquam solvendam.

δ. *Effectus* hujus *Coronæ*, quoque respondet effectui muneris Christi, scilicet,

a. *Rex* sibi *peculium emit*; intercedente lytro, & pravitatem in se suscepit expiandam, ut jus regni haberet, quod & præstitit, conf. *Ps.* LXV. 5. *Jes.* XLIII. 25. *Jer.* XXXIII. 8. *Dan.* IX. 24. hæc consideratio regno adhæret, quia Pontificatum suscepit propter regnum.

b. Hac *voluntate* etiam suum *peculium* sibi *sanctificavit*, *Hebr.* X. 10. & nomen Dei ita ab omni peccato sanctificavit, ut potuerit salvâ eâ, populum, per Christum eum adeuntem, gratum habere. Confer. *Deuteron.* XXXIII. 11. *Psal.* LI. 20. LXXXV. 2. CXLIX. 4. *Jes.* XLIX. 8. LVI. 7. & LXI. 2.

PARS V.

DE RELIQUIS VESTIBUS SACERDOTALIBUS.

Analysis.

Sequuntur nunc *reliqua vestimenta* Pontifici fere cum omnibus Sacerdotibus communia, ubi agitur

α. De tunica una cum balteo, *vers.* 39.—41.

β. De bracha seu femorali, *vers.* 42.

γ. Concluditur totum argumentum de investitura Pontificis & reliquorum Sacerdotum, *vers.* 43.

Scholia.

Vers. 39. *Facies tunicam*] Ita vocatur indumentum corpus nudum attingens & obvelans, demissum usque ad talos, & manicas habens circa

circa brachia adſtrictas, conſentiente *Joſepho* cum *Talmudicis*, vid. *Braun. lib.* II. *cap.* 2.

E lino, ſeu *byſſo*,] Et quidem optima, unde *Joſepho* vocatur, ἔνδυμα δύπλης σύνδων⊛ βύσσινης.

Teſſalatam] Alii voluerunt *ocellatam* fuiſſe; verum Clar. *Braunius lib.* I. *cap.* 17. pluribus oſtendit ex emphaſi vocis, figuras intextas fuiſſe foſſulas, ſive lacus angulares, quales reperiuntur in animalium ruminantium ſtomacho, qui inde à medicorum filiis *reticulatus* dicitur. Figuræ itaque polygonæ fuerunt huic induſio intertextæ, quale veſtimenti genus olim vulgare fuit, unde apud *Herodianum lib.* V. Sacerdotes Phœnicum habebant *tunicas lineas clavatas*, *talares & manicatas*. Ex coll. *Cap.* XXXIX. 27. patet; Totum opus textile fuiſſe, id eſt, inconſutile, ut adeo tunica hæc fuerit ἄῤῥαφ⊛, quod artificium, ex oblivionis puteo revocavit, ſæpe laudatus *Braunius*.

Facieſque Tiaram ex byſſo] Hic obiter inſeritur collatio tiaræ cum tunica, oſtenditurque materiam fuiſſe eandem, ex byſſo deſumtam.

Et facito balteum] Hebr. אבנט. *Joſephus* ſcribit Ἀ'βανήθ. LXX. Ζώνην vertunt, ſignificatque ligamentum, quo tunica erat lumbis alliganda & conſtringenda. Sæpiſſime non longiores erant baltei veterum, quam ut corpus ſemel tantum ambirent, nonnunquam etiam pluries corpus ambiebant. *Joſephus Ant. lib.* III. *cap.* 8. dixit Zo*nam hanc*, *ſemel atque iterum circa pectus revolutam*, *ligari*, & *ad talos uſque defluere*. *Talmudici* in *Maſſechet Joma*, *cap.* 7. longitudinem ejus definiunt ad XXXII ulnas, quæ ſententia tamen videtur fabuloſa, quia balteus tunc debuiſſet multis vicibus corpus ambire, & in tantam molem aſſurgere, ut inde deformis protuberantia oriretur; neque pallium commode corpori aſtringi potuerit. Ut potior videatur *Joſephi* ſententia, quæ deſcribit Zonam tanquam πάλιν περιέλθουσαν, *rurſus*, id eſt, duabus vicibus ambientem. Ejus latitudo ſecundum *Joſephum*, accedebat fere ad IV digitos. *Maimonides* numerat III digitos, quæ facile concilientur, cum uterque adhibeat voculam *quaſi*, ac proinde in eo conveniunt, quod intra III & IV digitos latitudo coarctanda videatur.

Opere Phrygionico] Ac proinde in balteo variæ figuræ acu fuerunt aſſutæ; adeo ut balteus Pontificalis, conſtiterit filamentis purpureis, hyacinthinis & coccineis, byſſo aſſutis. *Joſephus* aſſerit, flores intertextos fuiſſe. Errant, qui putant *Joſephum* baltei figuram ſerpentis exuviis aſſimilaſſe, cum *Joſephus* tantum reſpexerit ejus longitudi-

 nem

nem & cavitatem, atque ita quaſi inteſtinis, & ſerpentis exuviis comparat.

Verſ. 40. *Filiis autem Aaronis*] Id eſt, reliquis Sacerdotibus gregariis.

Quoque facies tunicas] Ubi nota, in tunicis convenientiam fuiſſe inter Pontificem, & Sacerdotes gregarios.

Et facies eis balteos] Verum cum illa differentia, ut baltei Sacerdotum gregariorum non fuerint acu picti, ſed tantum byſſini, & ſimplices.

Etiam facies iis mitras] Mitræ in textu originali מגבעות ſunt tegumenta capitis, à tiaris Pontificum ſolummodo diſtincta quoad figurem, nam materia utrique fuit byſſina. Mitra autem convolvebatur, in figuram magis cuſpidatam & acuminatam, quam figuram pluribus *Braunius lib.* II. *cap.* 4. proſequitur.

Ad gloriam & ornatum] Vid. ad *verſ.* 2. & nota obiter, quam aberrent à ſcopo, qui tegumenta capitis concipiunt, ut ſymbola ſervitutis; non diſtinguentes, velamenta faciei, mulieribus conceſſa in teſtimonium quod ſint ſub poteſtate viri, à velamentis capitis, faciem apertam relinquentibus, quæ dicuntur illis ad *gloriam* & *ornatum* fuiſſe.

Verſ. 41. *Et indues illis Aaronem*, &c.] Moſes nomine Dei, veſtibus illis induere debuit Pontificem & Sacerdotes, quod ſpeciem habuit, ac ſi ipſe Deus illos induiſſet.

Et ungens eos, conſecrabis miniſterium eorum] Unctio igitur inter primarios ritus conſecrationis fuit, capite ſeq. deſcribenda.

Verſ. 42. *Fac quoque eis femoralia ſive brachas*] Vocabul. Hebr. מכנסים dualis formæ, indicat veſtimenti genus in duas divaricationes diviſum. Ex contextu facile conſtat, hoc veſtimento, ventrem tegendum fuiſſe cum ſuis pudendis. *Joſephus Antiquit. lib.* III. *cap.* 8. dicit fuiſſe διάζωμα περὶ τὰ αἰδοῖα ῥαπτὸν, id eſt, *ſubligaculum circa verenda commiſſum.*

Linea] Materia itaque fuit בד, id eſt, *byſſus* & quidem, ut conſtat ex *Cap.* XXXIX. 38. *retorta*, ut color proinde fuerit albus, prout etiam erat color indumenti.

Ad tegendum carnem nudam] Vel ut eſt in Hebr. *carnem nuditatis.* Hæc eſt caſtitas ſtyli ſacri, pudenda deſcribere ſub nomine nuditatis: uſus itaque femoralium fuit efficere, ut ſacra caſte & pie fierent, cum enim

enim Sacerdotibus fæpe incurvandum fuit in mactandis & immolandis victimis, facile fieri potuisset, ut verenda coram populo detegerentur, nisi femoralia id prohibuissent. Exemplum est apud *Martialem*, qui Aruspicem *Thuscum* sacrificantem, ex hinc albis dentibus deridet, *Lib.* III. *Ep.* 24.

Ipse super virides aras luctantia pronus
Dum resecat cultro colla, premitque manu:
Ingens iratis apparuit hernia sacris.

A lumbis usque ad femora sunto] Ita describitur *femoralium* extensio, scil. suprema pars ascendebat supra lumbos, ubi femoralia constringebantur, infima descendebat usque ad genua. Male aliqui viri docti ultra genua; in qua re, *Leo Juda*, & qui eum sequitur *Leusdenius*, à textu, & ab antiqua Judæorum sententia aberrant. Hisce addendum est, quod *Josephus* dixerit, *huic subligaculo pedibus Pontifices descendisse* vel *inscendisse*, verba Græca sunt ἐμβαινόντων εἰς αὐτὸ τῶν πόδων. Ex quibus verbis recte eruitur, femoralia undiquaque clausa fuisse, ut Sacerdotes desuper inscendere debuerint, quod quomodo fieri potuerit, ostendit *Braunius lib.* II. *cap.* 1.

Verf. 43. *Hæc erunt super Aaronem*, &c.] Scil. hæc ultima, Pontifici cum Sacerdotibus vulgaribus erunt communia.

Cum ingredientur tentorium conventus] Ita vocat ipsum Tabernaculum.

Aut cum accedent ipsum altare, &c.] Non itaque licuit cuiquam ministranti versari in atrio Sacerdotum, nisi mutatis vestibus, propriis & quotidianis depositis, sacris vero assumptis.

Ne ferant iniquitatem, &c.] Id est, iniquitatis pœnam, quæ illico subjungitur, quando additur & *moriantur*. Hæc erat œconomiæ legalis rigiditas, quia in transgressione horum præceptorum, erat quasi abnegatio alicujus dignitatis Christi; debebant enim Pontifices & Sacerdotes Christum profiteri opere suo, cumque omnia essent significativa, aliquid horum omittere, non poterat non habere rationem abnegationis.

Ratio OEconomiæ.

§. 1. Ostenditur hisce ultimis, quousque vestitus Pontificis, convenire debuerit cum vestitu Sacerdotum gregariorum, ac proinde tota

hæc inveſtitura fere pertinuit ad inveſtituram vulgarem, exceptis tantummodo femoralibus, non enim aliunde conſtat olim inter Orientales ſemoralia adhibita fuiſſe, niſi hoc loco & caſu, unde & ratio adjicitur, quod hoc requiſitum fuerit ad conſervandum pudorem in opere ſancto. Habuerunt tamen reliqua veſtimenta id peculiare, quod ex materia conſtrui deberent pretioſiſſima, nempe ex byſſo Ægyptiaca & optimæ notæ, ut Judæi intelligerent, in Aula omnia debuiſſe æſtimari, ex munditie & pretio.

§. 2. In œconomia Novi Teſtamenti ſignificabatur

α. Per *communionem harum veſtium*, cum Pontifici, tum reliquis Sacerdotibus; aliquam debere eſſe convenientiam, inter Chriſtum Pontificem, & Chriſtianos; qui ſunt *Regale ejus Sacerdotium*; quædam enim in Chriſto habent ſe per modum exemplaris, alia vero ipſi ſunt peculiaria, quod magis pellucebit, ſi inſpiciamus ſignificationem harum veſtium in ſpecie.

β. Per *veſtes igitur ipſas*, quatenus ſunt indumentum Sacerdotum vulgarium, peculiares Chriſtianorum dignitates & virtutes repræſentatæ fuerunt.

a. *Mitra*, huc primo ſpectat, quæ à Tiara non differebat niſi figura, & quod ab illa, lamina aurea abeſſet. Cum Legiſlator dicat Mitras datas eſſe *in decus & ornamentum*, proculdubio ſignificant Mitræ, Chriſtianorum vere credentium dignitatem, qua ſub Chriſto monarcha, ipſi quoque reges facti ſunt, & eo honore condecorati, ut illis liceat libertate plena frui.

b. *Tunica*, ſeu indumentum byſſinum, reſpicit ſanctificationem credentium, qui concipiuntur ut *albis ſtolis* induti, conf. *Apoc.* III. 5. & VI. 11. quæ ſanctificatio, conſiderata tanquam fructus & meritum juſtitiæ Chriſti, pertinet ad δικαιώματα τῶν ἁγίων, habentque vim argumenti, eos, qui Chriſtum induerunt, eumque habent in ſe viventem, propter Chriſtum quoque juſtificatos eſſe.

c. *Balteus*, veſtimenta lumbis adſtringens, eſt ſymbolum promptitudinis, ex firmato bene agendi conſilio natæ; attribuiturque *Chriſto*, *Jeſ.* XI. 5. nec non *fidelibus*, *Epheſ.* VI. 14. quatenus hi ſequaces Chriſti, ſibi ejus promptitudinem in obeundo munere, tanquam exemplar proponunt, poſtquam ſe in rati propoſiti argumentum, juramento quaſi Deo adſtrinxerunt, quod ſibi ſolvendum perpetuo in animo volvunt.

d. *Bra-*

d. *Brachæ*, tegendis nuditatibus deſtinatæ, monebant, decus verſanti in domo Dei ſervandum eſſe, & curandum, ut nihil turpe, aut pudendum, in quoquam cernatur, quod etiam *Pontifex* cum *reliquis Sacerdotibus* commune habebat obſervandum. Ac reſpectu Pontificis denotavit, Chriſtum aliquando in Eccleſia viſum iri ut hominem inculpatum, & tantopere ab omni turpitudine & pudoris cauſa remotum, ut vere de ipſo dici poſſet, quod *renes ejus* eum *erudirent in gremio*, *Pſal.* XVI. 7. quod autem reliqui Sacerdotes idem tenebantur obſervare, monet; Chriſtum, & in hiſce typum & exemplar dediſſe, inculpatæ converſationis. Hoc enim regale illud Sacerdotium decet, ut μετ᾽ αἰδῶς καὶ εὐλαβείας *Deo ſerviant*, *Hebr.* XII. 28. & abnegatis omnibus carnis concupiſcentiis, temperantiæ ſtudeant, & nulla in re parvulis ſcandalum objiciant.

CAPUT XXIX.

Analyſis.

PRæmiſſa hac deſcriptione veſtium Sacerdotalium, quibus in ordinatione Sacerdotes veniebant induendi; nunc Legiſlator ſe accingit ad ipſius inaugurationis deſcriptionem, inde tranſiturus, ad quotidianum Sacerdotum opus, extra & in Tabernaculo quotidie obeundum, unde Caput hoc bimembre ſtatuimus, deſcribens.

α. Sacerdotum conſecrationem, *verſ.* 1. —— 37.

β. Opus Sacerdotum quotidianum ad portam tentorii perficiendum, *verſ.* 37. —— 46.

PARS I.

CONSECRATIO Sacerdotum ſeu inauguratio deſcribitur

α. In ſuo apparatu, *verſ.* 1, 2, 3.

β. Ritibus inaugurationi adhærentibus; quales ſunt

a. Lotio, *verſ.* 4.

b. Inveſtitura, & quidem

1. Pontificis cum unctione, *verſ.* 5, 6, 7.

2. Gregariorum Sacerdotum ſine unctione, *verſ.* 8, 9.

c. Obla-

c. Oblationes triplices, nempe
1. Juvenci, in sacrificium pro peccato, *vers.* 10.—14.
2. Arietis, in holocaustum, *vers.* 15.—18.
3. Alterius arietis, in sacrificium eucharisticum, *vers.* 19.—28.

γ. Consequentibus, ubi Legislator per modum appendicis subjungit
a. Statutum pro successione aliorum, in locum mortui Pontificis, *vers.* 29, 30.
b. Statutum de convivio ex rebus oblatis celebrando, *vers.* 31.—34.
c. Definitionem temporis, intra quod solemnitas veniebat absolvenda, *vers.* 35.
d. Conjunctionem consecrationis altaris holocaumatum, *vers.* 36, 37.

Scholia.

Vers. 1. *Hoc facies iis, sanctificando eos*] Eos separando à reliquo populo, & legaliter eos purificando.

Ut Sacerdotio fungantur mihi] Secundum vim verbi, ut *cum libertate accedant ad me*, verbum enim כהן ex etymo significat, adire regem, jure officii & muneris, cum libertate.

Juvencum unum subrumum] Hebr. *filium bovis*, atque ita appellant vitulos nondum à lacte depulsos.

Vers. 2, 3. *Panes azymos*] Hebr. *panes azymorum*, qui nempe conficiuntur ex massa non fermentata. Definit hic lex triplex panis genus, cujus primum genus, non habet oleum admixtum, alterum vero, oleo imbutum, tertium, oleo extrinsecus solummodo inunctum, videnturque etiam crassitie tria illa genera distincta fuisse, ut *panes* habuerint formam & crassitiem vulgarem, *placentæ* formam rotundam, & crassitie minorem, *lagana* autem minimam.

Vers. 4. *Lavabis eos aqua*] Scil. quam invenirent ad portam tentorii, hauriendam ex labro in eum finem construendo, cujus descriptio sequetur ad *Cap.* XXX. 17. & seq.

Vers. 5. Describitur hic *investitura* in qua descriptione ordo vestimentorum pellucet, incipit enim à *Tunica* cutim tegente, inde pergit ad *Pallium*, cui superinjiciendum venit *Amiculum*. Interim notandum quod secundum vestimentum vocitetur *Pallium amiculi*, non aliam ob causam quam quod amiculum immediate in se susciperet, pallio scil. super injiciendum.

Apta-

Aptabis inſigne ſanctitatis ſuper illam cidarim] Laminam intelligit auream, cujus deſcriptionem vidimus ad *Cap.* XXVIII. 36.—38.

Verſ. 6. *Oleum unctionis*] Id eſt, in uſum unctionis præparandum, non enim erat oleum vulgare, ſed in peculiarem uſum componendum, rebuſque odoratis impraegnandum, cujus deſcriptionem vid. *Cap.* XXX. *verſ.* 23.—25.

Verſ. 7. *Fundes ſuper caput ejus*] Id eſt, ſuper frontem Aaronis, caput enim metonymice dicitur pro anteriore ejus parte.

Verſ. 8, 9. Deſcribitur Inveſtitura Sacerdotum Gregariorum, ſine unctione, quibuſdam veſtibus, Aaroni aliiſque Sacerdotibus communibus, tantum peragenda, ut *Balteo* & *Pileo* ſive Mitra.

In ſtatutum perpetuum] Hebr. in *ſtatutum ſeculi*, de qua phraſi vid. *Cap.* XXVIII. 43.

Sic manus implebis] Partibus nempe rerum offerendarum, qui ritus denotat, alicui concedi poteſtatem offerendi, & qualiacunque dona à populo oblata, ad Deum adducendi.

Verſ. 10. *Tunc admovebis juvencum*] Unde primum deſumebatur ſacrificium, & quidem hilaſticum, ſeu expiatorium, primo loco offerendum, quia expiatio cæteris omnibus debuit præmitti.

Et imponet manus ſuas ſuper caput juvenci] Ritus denotans ſubſtitutionem ſacrificii offerendi, ejus loco qui offert.

Verſ. 11. *Et mactabis juvencum*] Notandum hoc opus Moſi commendari, ſeu, quod inter Sacerdotes recenſitus fuerit, *Pſ.* XCIX. 6. ſeu potius, quod mediator fœderis iſtius fuerit denunciatus, qui quaſi nomine Chriſti Filii Dei egit.

Verſ. 12. *Deinde accipiens de ſanguine illius juvenci, impones cornibus altaris digito tuo*] Hoc pertinet ad primum uſum ſacrificii hilaſtici, cujus ſanguis, partim impendendus fuit aſperſioni cornuum altaris, quaſi illis in ornamentum, dum flavum metalli colorem, rubro ſanguineo cernebant temperatum.

Totum autem reliquum, &c.] Hic alter uſus ſanguinis deſcribitur ad baſin altaris effundendi, atque adeo conjungendi inſtrumento ſanctitatis, quaſi ſupra ſanguinem fundando.

Verſ. 13. *Sumes etiam adipem*, &c.] Deſcribitur hic omnis adeps ventris inferioris.

Qui operit inteſtina] Intelligit totum omentum adipe refertum, & pelliculis ac tunicis incluſum.

Et reticulum quod est super jecur] Hic disceptant Philologi. *Fullerus* accipit vocabulum originale pro membrana tenuissima jecur integente. Doctiss. *Bochart. lobum hepatis maximum* interpretatur, cui folliculus fellis adhæret. Verum melius rem expedivit Clar. *Cocceius*, in *Lexico* pag. 351. qui non partem jecinoris denotari, sed aliquid illi affixum & juxta renes situm, animadvertit, atque adeo *adipem fistulosum* interpretatur, ex quo folliculus fellis procedit, una cum reliqua pinguedine offerendum.

Vers. 15. *Postea arietum illorum unum accipito*] Hic describitur alterum sacrificium *holocausticum*, cui alter duorum arietum destinatus erat.

Et imponent manus suas, &c.] Vide ad *vers.* 10.

Vers. 16. *Sanguinem ejus insperges altari circumquaque*] Hic iterum primus usus est sacrificii holocaustici, sanguisque ejus impendi debuit inspersioni altaris circumquaque, id est, per oras & latera.

Vers. 17. *Appones membris ejus*, &c.] Secundus itaque usus hujus sacrificii fuit intestiua lota, & crura arietis, certo quodam ordine collocare, supra membra & caput ejus, qua in re Legislator jubet offerentem esse curiosum.

Vers. 18. *Sic adolebis arietem*] Id est, igne combures, & in cinerem rediges.

Odor gratus] Quod non intelligendum de naturali odoris qualitate, cum potius nidorem gravem exhalaret, sed de Dei gratiosa acceptione, qua voluit sacrificium gratum habere. Conf. *Genes.* VIII. 21.

Vers. 19. *Accipies quoque arietum illorum alterum*] Hoc pertinet ad tertium sacrificium, *pacificum* seu *eucharisticum*, præparandum ad convivium aliquod quasi instituendum Deum inter & Sacerdotes.

Vers. 20. *Accipies sanguinem ejus*, &c.] Hujus sanguinis triplex fuit usus, *primus* hoc versu describitur, quod nempe pars ejus *illiniri debuit auriculæ infimæ* Sacerdotum, & *pollici* tam *manus*, quam *pedis dextri.*

Insperges reliquum, &c.] Conf. *vers.* 16. pertinetque ad *secundum* usum sanguinis.

Vers. 21. *Insperges Aaronem & vestimenta ejus*, &c.] Hic *tertius* ejus usus est, ubi notandum, quod sanguis veniret oleo unctionis aliquantisper miscendus, & temperandus, antequam inspergeretur vestibus Sacerdotalibus.

Vers. 22. *Et accipies adipem cum cauda*] Hic secundus est usus sacrificii hujus pacifici, *cauda arietum* in Oriente valde adiposa erat, adeo

ut

ut minima penderet libras x. aut xII, qua de re plura annotavimus in *Zoologia cap. de Ariete.* Conferatur *Noldius* in concordantiis particularum ad numerum 1646.

Verſ. 23. Jubet hic Legiſlator *panes huic adipi & armo dexrro* jungi, conf. *verſ.* 2.

Verſ. 24. *Impones hæc omnia manibus Aaronis*] Scil. ut nunc auſpicetur primum opus muneris, qui ritus in hac auguratione celebris erat.

Et agitabis illa agitatione] Scil. hinc inde, ſurſum & deorſum movendo, & quaſi nunc Deo, nunc hominibus proponendo.

Verſ. 25. *Adolebis in ipſo altari ſuper holocauſtum*] Ita, ut pars hujus ſacrificii pacifici, ſimul cum holocauſto debuerit comburi.

Verſ. 26. *Accipies etiam pectus ipſum*, &c.] Deſcribitur hic altera actio Moſis circa ſacrificium pacificum, qua partem ejus præparare debuit convivio & edulio, in quem uſum ſeparatur pectus & armus arietis ſiniſter.

Verſ. 29. *Veſtes autem ſacræ*, &c.] Hæc inſerit Legiſlator, tanquam opus pertinens adhuc ad agenda circa altare, pertinentia ad legem ſucceſſionis Pontificum, ſcil. hi ritus non tantum pertinebant ad Aaronem, verum etiam repeti debuerunt, quandocunque Pontifici mortuo, novus ſucceſſor ejus loco inaugurandus veniebat.

Verſ. 30. *Septem dies*] Id eſt, per univerſam ſeptimanam, ſingulis diebus, omnes illi ritus debuerunt repeti, & inſtaurari.

Verſ. 31. Hic Legiſlator accedit ad ſolemnitatem aliquam conſequentem, celebrandam poſt aliqua ſacrificia, ſc. ad *apparatum convivii.*

Coques carnem ejus in loco ſancto] Id eſt, in atrio, in quo poſtea templo conſtructo, culinæ quoque in eum uſum ædificatæ fuerunt.

Verſ. 32. *Et comedito*, &c.] Carnem & panem, poſtquam illa ſupra altare fuerant conſecrata, quæ ſpeciem habebant convictus cum Deo, nam pars flammis abſumpta videbatur pars Dei & ejus portio, reliqua Sacerdotum.

Verſ. 33. *Illi pro quibus expiatio facta*] Nemini itaque licuit edere, præter Pontificem & Sacerdotes conſecratos, qui hic præſupponuntur peccatores, & ex peccatorum numero ſelecti, nec non intercedente ſacrificio hilaſtico Deo conciliandi.

Extraneus autem ne comedito] Per extraneum non intelligendus eſt homo gentilis, aut alienigena, verum quotquot extra Tribum ſunt Leviticam, & inter conſecrandos non numerandi.

Verſ. 34. *Reliquum de ipſa carne*, &c.] Quod nempe convivio iſtius diei non fuit abſumptum, jubet Legiſlator comburi, ac proinde non licuit Sacerdoti edere hac ſolemnitate, niſi de oblatis ejuſdem diei.

Verſ. 36. *Poſtquam unxeris illud*, &c.] Altare ipſum, diebus conſecrationis Sacerdotum, non tantum ſanguine ſacrificiorum conſpergi, verum etiam inungi debuit oleo unctionis ſacro, atque adeo ſeparatum fuit ſingulari ſanctitate à rebus reliquis in atrio occurrentibus.

Verſ. 37. *Altare ſanctum ſanctorum erit*] Id eſt, inter res ſanctiſſimas numerandum erit, cujus virtus eſſet dona populi ſanctificare, quod & additur in poſteriori verſus hujus colo. Conf. *Matth.* XXIII. 19.

Ratio OEconomia.

§. 1. Præſens conſecrationis Sacerdotum deſcriptio, externe & ſecundum literam conſiderata, repræſentat muneris dignitatem.

α. *Lavandi* omnes veniunt, juxta ritus populorum Orientalium, qui lotiones in frequenti habuerunt uſu, quotieſcunque ad conſuetudinem magnatum admitterentur, quia ſub fervidiori cœli climate, ſudores æſtu prolecti, malum ut plurimum concitabant odorem, à quo intercedente lotione liberandi veniebant. Hinc etiam, ad officia humanitatis olim pertinuit, alicui offerre miniſterium lavandi pedes. *Heſt.* II. 12. virgines ex quibus Perſarum rex delectum faceret, antequam ad regiæ majeſtatis conſpectum producerentur, lavabantur. Cumque etiam Sacerdotes, non minus ac Pontifex, Deum ſub nomine Regis populi Iſraëlitici, adire ſæpius deberent, (hoc enim notat Emphaſis verbi כהן) reverentia divinæ majeſtati debita exigebat, ut non niſi loti admitterentur, & ad muneris dignitatem pertinuit, quod per miniſtros regios, ejuſdem divinæ majeſtatis, officium lotionis illis præſtaretur.

β. *Unctio*, ritus fuit præparationis, quoque conſecrationem antecedens & inveſtituræ conjunctus, attamen non imponenda niſi ſoli Pontifici: vulgares enim Sacerdotes non ungebantur; pertinuitque ad majorem dignitatem Pontificatui conciliandam: In ſolemnitatibus enim, ſolis exceptis regibus, nulli, præter Pontifices ungebantur coram populo; ut proinde, illam ſpeciem venerationis communem cum regibus habuerint. Itaque Pontifex tanquam alter à Rege, & vicinæ dignitatis perſona, populo oſtentabatur. Verum etiam notare opor-

oportet, unctiones habuiſſe ſignificationem aliquam politicam & vulgarem; qui enim aliorum nomine aut miniſterio ungebantur, publicum retulerunt ab iis teſtimonium, quod haberentur pro viris grati odoris: Cum itaque Pontifex, oleo ſacro quaſi Dei nomine ungebatur, habuit illa unctio rationem teſtimonii, quod perſona Pontificis, Deo regi grata eſſet non ſolum, ſed & populo exhibeatur ut perſona commendata, quem omnes, propter Deum gratum habere tenerentur.

γ. *Inveſtitura*, & quidem

a. *Pontificis* tota ſpectat ad extollendam muneris dignitatem, ſapitque aliquid Aulicum, reſpondens majeſtati regis, cui Pontifex exiſtimandus erat proximus, unde omnia, ut ante vidimus, pretioſa.

b. *Sacerdotum* erat munda eſt pura, qui in albis incedebant in atrio, quod etiam ad decus Sacerdotii pertinuit.

δ. *Sacrificia* triplicia etiam triplici reſpondebant ſcopo

a. *Hilaſticum* ſeu *expiatorium*, clanculum denotabat Pontificis & Sacerdotum imperfectionem, utpote qui ex reconciliandis deſumebantur, ipſi reconciliatione indigentes, qua in re prius teſtamentum arguebatur tanquam invalidum ad præſtandam veram reconciliationem & expiationem.

b. *Holocauſticum* proprie pertinuit ad muneris auſpicium, habuitque ſtricte dictam rationem inaugurationis, ejuſque fruſtis manus Pontificis & Sacerdotum primo implebantur; habuitque totum hoc Sacrificium ſpeciem præſentationis Pontificis & Sacerdotum, Deo ſiſtendorum ad ſpontaneum miniſterium, nam holocauſtum eſt munus offerentis loco ſubſtitutum, quo teſtatur qui offert, ſe ita velle regi ad miniſterium ſubeſſe, ſicut holocauſtum ſubeſt ſacrificanti.

c. *Pacificum* præparabatur ad gaudium ſolemnitatis celebrandum, utpote deſtinatum ad convivium, quo repræſentabantur Pontifex & Sacerdotes, tanquam Dei convivæ & commenſales, ejuſdemque lætitiæ participes, qualia convivia ſolemnia gaudia ſequi ſolent.

§. 2. Ratio autem *typica* jubet ut omnia Pontificis referantur ad *Chriſtum*, & Sacerdotum referantur ad *Fideles* quoſcunque, qui ſub Novo Teſtamento decorantur honore Sacerdotii, poſtquam acce-

perunt libertatem Deum ipſum accedendi, & ſacrificia Novi Teſtamenti ſpiritualia Deo offerendi.

α. *Pontifex Chriſtus*, Pontifice Veteris Teſtamenti denotatus eſt.

a. Per *lotionem* Pontificis Aaronidum denotatum eſt, quod Chriſtus debuerit eſſe mundus & purus, quæ conditio mediatoris & veri Pontificis requiritur *Hebr.* VII. 26. quippe ipſe lotione non indigebat ut purus fieret, qua in re Aarone eſſe debuit longe excellentior.

b. *Unctio* reſpectu veri Pontificis, denotat *Spiritum Jehovæ fore ſuper ipſum*, conf. *Pſ.* XLV. 8. *Jeſ.* XI. 2. LXI. 1. quippe propter chariſmata Spiritus, Deo Patri regi, & Eccleſiæ credenti, foret gratiſſimus, *Cant.* I. 3.

c. *Inveſtitura* reſpectu Chriſti ſignificat, quod cum ornatu varias partes muneris obiret, conf. dicta de veſt. Sacerd.

d. *Sacrificia* propter *Pontificem offerenda* denotabant, jus interceſſionis Chriſti, etiam fundatum iri ſuper ſacrificium aliquod, tribus illis ſacrificiorum ſpeciebus correſpondens.

1. *Hilaſticum* debuit offerre Chriſtus, quatenus tanquam ſponſor, aliorum peccata in ſe ſuſceperat expianda, ipſe peccati expers. Hoc in Chriſto impletum, quando noſtras paſſiones ſuſcepit, ipſe ἱλασμὸς factus.

2. *Holocauſtum* in Chriſto denotat oblationem ſui ad obedientiam, qua omnes partes muneris ſponte adiret, & obedientiam activam abſolveret, qua nobis fieret cauſa juris ad vitam: nam ignis, qui conſumebat holocauſta, eſt ſymbolum fervoris, quem in amore & zelo pro gloria nominis Dei, & ſalute electorum, aliquando exhibuit Chriſtus, qui tantus fuit, ut totum hominem occupaverit & conſumpſerit, *dum obediens factus eſt ad mortem, imo ad mortem crucis.*

3. *Pacificum* reſpiciebat applicationem meritorum Chriſti, cum effectu gaudii. Conſequens enim impetratæ gratiæ & ſalutis eſt pax, quæ intercedit, non tantum inter Deum & electos, verum etiam gaudium intercedens inter Deum Patrem & Chriſtum mediatorem, qua impetrata pace pro ſuis, & abſolutis paſſionibus, ſibi inveniret præparatam *ſemitam vitæ ad ſatietatem gaudiorum in conſpectu Patris, & ad amœnitates quæ ſunt à dextra Patris in æternitatem*, *Pſal.* XVI. 11. ut proinde à ſacrificio Chriſti, inter Patrem & Filium intercedat communi-

tas

tas deliciarum in Filiis hominum fervandis, conf. *Prov.* VIII. 30, 31.

β. *Sacerdotes vulgares*, qui fere iifdem ritibus veniebant inaugurandi, & formabant typum *Fidelium Novi Teftamenti.*

a. *Lotione* præfigurabant, omnes electos, intercedente fpirituali lotione, demum admitti ad communionem Dei, & fruitionem œconomiæ ejus, nemo enim irregenitus, id eft, *illotus* admittitur ad ingreffum in regnum cœlorum, unde iftius lotionis fpiritualis frequens in facra Scriptura mentio.

b. *Inveftitura fimpliciore* defignabatur, indumentum juftitiæ fidei, una cum fanctificatione, & confirmatione vocatorum & ablutorum, qua de re *Cap.* præcedente.

c. *Sacrificiis* & quidem

1. *Hilaftico* denotatum fuit facrificium hilafticum Chrifti fponforis, qui electorum in locum fubftitutus, eorum quoque peccata deleverat, qui ἱλασμὸς, caufa meritoria fuit omnis gratiæ & applicationis falutis.

2. *Holocauftico*, quo figuravit lex, vocatos ad illam dignitatem fpiritualem, Deoque per fidem reconciliatos obligari, ut fe ipfos Deo fiftant totos in holocauftum, *Rom.* XII. 1. & agnofcant obligatos, ut ex zelo divino, femet fiftant Deo ad omnia facrificia euchariftica, qualia funt preces, eleemofynæ, imo & ipfum martyrium Deo offerendum.

3. *Pacifico* repræfentabatur confequens fufcepti officii, nempe communio cum Chrifto & Deo, & communitas gaudii ac pacis propter Chriftum, cujus facrificium hilafticum, in pacifico repræfentabatur fecundum perpetuitatem fructus, qui eft *juftitia*, *pax* & *gaudium per Spiritum Sanctum.*

d. *Peculiares* circumftantias non attingimus quæ circa illa tria facrificia erant animadvertendæ, quoniam pertinent ad fpecies facrificiorum, quas videbimus, in annotatis ad *Leviticum*, verum funt duæ peculiares hoc in cafu non omittendæ.

a. Quod *fanguis* facrificii holocaufti debuerit

1. Partim *illiniri auriculæ Aaronis* & *pollici manus dextræ*, nec non *pedis dextri*, qui ritus quoad typum quoque refpicit Chriftum, cui aures veniebant afpergendæ proprio fanguine, quatenus inter paffiones debuit fe oftendere aufcultan-

tem

tem & obedientem mandato Patris; nec non manus & pedes quoad pollicem notantur ſanguine, ad denotandam ejus promptitudinem, & conſtantiam in executione demandati operis: Manus enim dextra, utpote promptiſſima, operi debebat admoveri, & pes dexter, utpote fortiſſimus, debuit in opere incepto pergere.

2. Partim *effundi circa altare*, quod indicium fuit pertinere ad ornamentum altaris ejuſque ſanctificationem: cumque Chriſtus ipſe denotetur altari, propter effuſum ſanguinem ejus, eſt, cur poſſit dona illi impoſita quoque ſanctificare, & Deo grata facere.

b. Quod partes ſacrificii pacifici debuerint *abſumi eodem die*, habuit vim teſtimonii imperfectionis iſtius ſacrificii: cum enim ejus mactatio repetenda fuit quotidie, ſignum erat nondum adeſſe illud ſacrificium, quod uno die auferret peccata; cum tamen hi ritus per ſeptem dies veniebant inſtaurandi, repræſentabatur, totum tempus Novi Teſtamenti in VII. Periodos diviſum, habendum eſſe pro perpetua ſolemnitate, qua Fideles intuerentur unicum ſacrificium Chriſti, ſub triplici relatione, ſolidum & validum, tam ad expiationem peccatorum, quam ad imputationem juſtitiæ, Deo perpetuo repræſentatum, nec non ad pacem & gaudium Eccleſiæ propoſitum, ut in perpetua communione cum Chriſto, fideles perpetuo deliciarentur.

Pars II.

Analyſis.

§. 1. Nunc accingit ſe Legiſlator ad opus quotidianum extra Tabernaculum, ad altare holocauſticum perpetuo præſtandum, ſcil. ſacrificium תמיד ſeu *Juge* dictum, tempus cultus publici terminis includens, à quo mane cultus auſpicium, & veſperi ejuſdem concluſio fieri ſolebat.

§. Hoc ſacrificium Juge

α. Explicatur

a. In genere, *verſ.* 38.

b. In ſpecie,

1. A tem-

1. A tempore ſimul ac materia, *verſ.* 39.
2. Ab adjunctis, munere nempe dapali, & libamine, *verſ.* 40, 41.
3. A loco & fine, *verſ.* 42.

β. Commendatur à gratioſa Dei promiſſione quænam
a. In genere illuſtrat ab effectu ſanctificationis, *verſ.* 43.
b. In ſpecie per partes,
1. In ordine ad tentorium conventus, altare, & Sacerdotes, *verſ.* 44.
2. In ordine ad univerſum populum, qui haberet
ϡ. Deum habitantem inter ſe, *verſ.* 45. p. pr.
ϑ. Deum propitium & fœderatum, ſeſeque talem per experientiam manifeſtantem, *verſ.* 45. p. alt. — 46.

Scholia.

Verſ. 38. *Offeres in iſto altari*] Hebr. תעשה, *facies*, per ſynechdochen generis pro ſpecie, *facere* enim hic ſignificat opus Sacerdotis facere, quod eſt *offerre*, quæ oblatio reſtringitur ad iſtud altare, hoc modo ſcil. ſanctificatum, nam ſacrificia peculiaria, quorum oblatio cujuſcunque facultati erat relicta, & quæ privato alicujus nomine veniebant offerenda, nondum reſtringebantur ad hoc unum altare, verum Sacerdotes non debuerunt alibi, quam in hoc altari oblationes ſuas perficere.

Agni anniculi bini] Utrumque ſacrificium *Juge* eligi debuit ex eadem materia, & ejuſdem eſſe conditionis, ſcil. *agnus anni*, unde in textu vocantur duo illi agniculi בני־שנה *filii unius anni.*

Verſ. 39. *Unum offerto mane*] Scil. in principio diei, quod Judæi definiunt circiter convenire cum hora tertia à ſolis exortu, quæ quoque fuit hora precum matutinarum.

Alterum inter duas veſperas] Quæ phraſis quoque occurrit *Exod.* XII. 6. ſignificatque duas veſpertini temporis extremitates, quarum prior, ad finem diei inclinantis pertinet, altera, ad principium noctis, ſcil. ab hora nona uſque ad ſolem occidentem, unde Judæi definiunt, ſacrificium juge veſpertinum non diu poſt horam nonam offerendum fuiſſe: relinquitur tamen in lege aliqua temporis latitudo, eo quod aliquando nonnulla ſacrificia peculiaria venirent offerenda, quæ cogerent Sacerdotes, hoc tempus ſacrificii jugis cultum concludentis,

nonnihil protrahere ad alteram vesperæ extremitatem, quod præcipuè locum habuit, quando agni Paschales multo numero aute juge vespertinum erant mactandi.

Vers. 40. *Decimam Ephæ similæ*] Describitur materia muneris *dapalis* una cum ejus quantitate, *Epha* enim erat mensura aridorum satis ampla, cujus decima pars hic exigitur ad massam aliquam depsendam, de qua mensura videantur Philologi, & præcipue doct. *Bernardus*, qui exactissime nuper pondera & mensuras Hebræorum expendit.

Mixta quarta parte τῦ Hin olei tusi] Oleum nempe olivarum, mediante contusione elicitum, debuit cum simila misceri, ut ita massa panis conficeretur depsendo: Mensura autem *Hin* fuit liquidorum, quam idem doct. *Bernardus* accuratissimè expendit.

Et libamen vini] Munus dapale, ut plurimum habuit conjunctum libamen, ex vino super affundendo electum.

Vers. 41. *Secundum oblationem matutinam*, &c.] Scil. munus dapale & libamen, juxta eandem quantitatem & mixturam confici non tantum debuerunt, verum & cum sacrificio jugi vespertino conjungi.

In odorem gratum sacrificium ignis] Scil. omnia illa veniebant comburenda, & igne absumenda, unde mediis in flammis halitus atque odor transcendit, quem Deus vellet concipere ut gratum, confer *vers.* 18.

Vers. 42. *Holocaustum juge esto*] Ubi notandum, quod hoc sacrificium revocetur ad eandem speciem oblationum, quæ holocausta vocantur, quorsum etiam spectabat *aries primus*, de quo *vers.* 18.

Ante portam tentorii conventus] Ita describitur Tabernaculum, ratioque dominationis subjungitur, quando additur, *ubi conveniam vobiscum, alloquendo te ibi.* Errant qui vertnnt, *intra portam tentorii*, quia altare holocaumatum sub dio in atrio collocatum fuit. Vid. *Exod.* XL. 29.

Vers. 43. *Ut gloria mea sanctificetur*] Hebr. *in gloria mea;* nempe unusquisque filiorum Israël, qui erat sanctificandus, per, & propter præsentiam Dei. *Gloria Dei* sæpe vocatur unumquodque symbolum præsentiæ Dei, unde mihi videtur respicere ad nubem illam supra Arcam collocatam, quæ erat symbolum præsentiæ divinæ, & alibi vocatur *Gloria Dei.* Vid. 1 *Reg.* VIII. 11.

Vers. 44. *Et sanctificabo tentorium*, &c.] Id est, declarabo ad usum sanctum pertinere, & per illa instrumenta aliquem posse me sancte adire.

Vers.

Verſ. 45. *Et habitabo inter filios Iſraëlis*] In textu Hebr. eſt verbum שכן, ac proinde beneficium promiſſum eſt שכינה, quæ inhabitatio tantum de ſymbolo præſentiæ Dei intelligi poteſt, quo Deus pignus dedit gratiæ & auxilii præſentis, ſeque non aliter acturum cum populo, ac ſi ipſe Rex, in prætorio caſtris eorum intereſſet, hoſtes propulſando, conſilium ſuum per oracula in omni caſu ſuppeditando, moreſque populi legibus circumſcribendo.

Verſ. 46. *Et experientur me eſſe*, &c.] Quæ promiſſio provocat ad effecta fœderis gratiæ, in quo Deus ſemet obſtrinxit ad omnia illa præſtanda, quæ quiſpiam à Deo fœderato & propitio expectare poſſet: verum hic ultra promittit, experimenta iſtius gratiæ ubertim affore.

Qui eduxi ipſos, &c. *ut habitem inter ipſos*] Hæc verba explicant finem liberationis populi ex Ægypto, eſtque præſentia illa gratioſa Dei in Tabernaculo vera ratio ſeparationis Iſraëlitarum à reliquis gentibus: dum enim inter ipſos habitat ut Rex in medio populi, involvitur ſimul directio ejuſdem, ad omne officium cultus & pietatis Deo exhibendum, cum eo fructu & conſequenti, quod Deum haberent propitium & amicum.

Ratio OEconomiæ.

§. 1. *Holocauſtum juge* ſeu quotidianum proponitur, ut medium impetrandi alloquium Dei, & ſanctificationis populi, cum omnibus beneficiis fœderalibus: quia involvit agnitionem gratiæ Dei cum abnegatione propriæ juſtitiæ, qua in re Deus à peccatore tantummodo glorificari poteſt, finemque ſuum obtinere.

§. 2. Quod attinet rationem Typicam, repræſentatque *juge* hoc ſacrificium.

α. *Sacrificium Chriſti* tanquam perpetui valoris, Deo quotidie repræſentandi nomine populi, ſpem ſuam in futurum illud ſacrificium collocantis, & ſub Novo Teſtamento, per confeſſionem fidei, ejus effectum celebrantis.

β. *Duo agni mane & veſperi* ad cultus auſpicium & concluſionem oblati, involvunt tacite confeſſionem Chriſti patientis, & à mane ad veſperam à cruce pendentis: teſtanture nim Evangeliſtæ, Jeſum hora tertia in crucem ſublatum, hora nona animam exhalaſſe.

γ. Quod cultus inde *inciperet* & vesperi *terminaretur*, ostendit principium cultus esse fidem in Christum, nec non ejusdem terminum, ut *justitia sit ex fide ad fidem*, *Rom.* I. 17. incipiendo à fide confugiente, & concludendo in fide πληροφορίας.

δ. Quotidie *repetebatur* non tantum, ut moneret lex, pecuinum hoc sacrificium non posse *consummare conscientiam*, *Hebr.* X. 2. verum etiam fidem, ejusque confessionem perpetuo in hoc opere esse, ut Christum patientem precibus Deo sistat.

ε. Hoc sacrificium quotidie *iisdem* cum *ritibus* peragebatur, ut erudiremur unum eundemque esse Dei cultum, idem habentem sacrificium, eodemque modo fide circa Christum versantem.

ζ. *Holocaustum* fuit, in totum conflagrandum, quo significabatur, hoc sacrificium Deo proponi in gratum cibum & odorem, quatenus zelus, amoris Dei & redemptionis populi, Christum corripuit, causaque fuit conciliatæ nobis gratiæ Patris: nam *voluntas Christi* spontanea, in oblatione corporis sui manifestata, *sanctificavit nos* Deo, *Hebr.* X. 10.

§. 3. Huic sacrificio conjungebantur

α. *Munus dapale* ex *farina oleo* mixta confectum: sc. in theologia symbolica, redempti sunt cibus Dei & munus dapale, ut videbimus suo loco. Hi vero Deo sistendi veniebant in confessione Ecclesiæ, tanquam membra corporis Christi, illi adhærentia & conjuncta, quique se, ex zelo divini amoris Deo, quoque sistere debuerunt, in sacrificium spontaneæ subjectionis, *Rom.* XII. 1. *Oleum* autem farinæ immixtum, significabat Spiritum Sanctum, quo electi ad fidem vocati, imbuti sunt, unde & Deo gratum exhibent epulum.

β. *Libamen* adjungitur, commodum repræsentamen sanguinis martyrum, non tantum sacrificio Christi affundendi, verum & muneri dapali; patiuntur enim non tantum propter causam Christi, sed & Ecclesiæ, qui Euangelium sanguine suo confirmant, quorsum respicit Paulus *Philip.* II. 17. 2 *Tim.* IV. 6.

§. 4. *Fructus* hujus oblationis etiam in regno Christi conveniunt, est enim Deus & Christus in medio eorum, qui in nomine ejus congregati sunt, ibique

α. *Alloquium* suum dirigit ad Ecclesiam per præconium Euangelii, seu testimonium Patris de Filio una cum commonstratione viæ vitæ æternæ.

β. *Sancti-*

β. *Sanctificat* Eccleſiam per *præſentiam* Spiritus gloriam Deo amplificantis, & operibus gratiæ manifeſtantis.

γ. *Sanctificat tentorium conventus*, id eſt, efficit unicum hoc Chriſti ſacrificium, ut Eccleſia domus Dei ſanctificetur, illeque, ſalvo honore ſuo, inter illos qui ad communionem Eccleſiæ vocati ſunt, habitare poſſit.

δ. *Sanctificat altare ipſum*, id eſt, efficit ut Chriſtus jure poſſit ſuſcipere omnia dona gratitudinis, patrique grata facere: nam propter ſacrificium Chriſti imperfecta noſtra opera ſanctificationis, dum in Chriſto fiunt, & per eum Patri proponuntur, à Deo approbantur.

ε. *Aaronem & filios ſanctificat ad Sacerdotio fungendum*, id eſt, efficit ut tam Chriſtus, quam Chriſtiani, libertatem habebant Deum adeundi.

ζ. Ad illud ſacrificium ſequitur quoque, Deum velle ipſo experimento oſtendere ſe eſſe *Jehovam Deum ſuorum*, id eſt, omnia beneficia applicationis ſalutis ſe velle quotidie diſpenſare inter fideles, idque etiam, propter idem illud ſacrificium Chriſti fide agnitum, & confeſſione fidei Deo repræſentatum.

CAPUT XXX.

Analyſis.

§. 1. HOc Capite quædam ſubnectuntur ad certas quaſdam occaſiones, quæ duplices ſunt,

α. Prima eſt, quod officium Sacerdotale quotidianum veniebat continuandum per incenſionem thymiamatum, unde altare thymiamatum, hactenus nondum deſcriptum, delineandum fuit, & quia ſumptus quidam debuerunt impendi, ad coemendam materiam ſacrificio jugi impendendam, lex quoque datur de penſione hemiſicli, unde reditus cultui deſtinatus, tandemmixtura quoque thymiamatum, eandem ob cauſam definitur.

β. Occaſio altera deſumpta eſt ab inauguratione Sacerdotum, qui ablutione, & Pontificis, qui oleo unctionis ſacræ, conſecrandi veniebant.

§. 2. Proinde hoc Caput abſolvitur V. partibus. Definitur

α. Altare thymiamatum ejuſque uſus quotidianus, *verſ.* 1. — 10.

β. Penſio hemiſicli in theſaurum tabernaculi præcipitur, *verſ.* 11. — 16.

γ. Labrum ad Sacerdotum ablutiones delineatur, *verſ.* 17. — 21.

δ. Oleum unctionis sacræ conficiendum jubetur, *verf.* 22. —— 33.
ε. Thymiama seu suffimentum sacrum ejusque mixtura & usus præscribitur, *verf.* 34. —— 38.

Pars I.

DE ALTARI THYMIAMATUM.

Analysis.

Legislator nunc accedit ad *Altare Thymiamatum*, descripturus alteram partem officii Sacerdotalis quotidie peragendi, & quidem in ipso tabernaculo, ac proinde notari debet

α. Structura altaris,
  1. Quoad materiam, *verf.* 1.
  2. Quoad figuram & magnitudinem, *verf.* 2. p. pr.
  3. Quoad ornatum, scil.
    a. Cornua altaris, *verf.* 2. p. alt.
    b. Tectorium, *verf.* 3. p. pr.
    c. Limbum, *ibid.*
  4. Quoad instrumenta portatilia, & quidem
    a. Annulos, *verf.* 4.
    b. Vectes, *verf.* 5.

β. Usus, ubi describitur
  a. Locus ubi ad usum collocari debuit, *verf.* 6.
  b. Usus ipse, & quidem
    1. Quotidianus, qui explicatur
      ꝛ. Per thesin, *verf.* 7, 8.
      ϑ. Per antithesin, *verf.* 9.
    2. Anniversarius, spectans ad ritum expiationis, *verf.* 10.

Scholia.

Verf. 1. *E lignis Cedrorum lectissimorum*] Materia itaque eadem, quæ totius tabernaculi, conf. Cap. XXV. 5.

Verf. 2. *Cubiti langitudine*, &c.] Quadratum itaque fuit altare quoad superficiem.

Duo-

Duorum cubitorum altitudine] Itaque proportio altitudinis reſpectu ſuperficiei dupla fuit, totaque commenſuratio accommoda, ut ſtructura per portam anteriorem introduci poſſet; ejuſque altiuudo, relata ad altitudinem tabernaculi, conficiebat quintam partem, ut reſtarent adhuc VIII. cubiti, antequam fumus ſuffituum exhalans, ad tectum pertingeret.

Ex ipſo cornua ſunto] Conf. quoad phraſin Cap. XXVII. 2. ſcil. ad IV angulos in plano marginis exſurgebant IV cornua ſtriata, inflexa? an minus? dubitant Philologi.

Verſ. 3. *Obduces illud auro puro*] Unde vulgo *altare aureum* vocatur, quia auri laminis obductum fuit undiquaque.

Tectum ejus] Intellige aream ſeu ſummam ejus altaris partem, quæ tectum vocatur, quia cavitatem altaris obtegebat intra margines. Errant qui hic craticulam fingunt prunis excipiendis deſtinatam, quia illa foret inutilis, cum prunæ ad ſuffitum excitandum, huc allatæ, & in vaſculo exceptæ, una cum vaſe imponebantur huic areæ, ac proinde lamina fuit ſolida, ex auro conflata, quam prunæ nunquam niſi intermedio vaſculo attingebant, conf. *Lev.* X. 1. XVI. 12.

Facies ei limbum aureum] Hic limbus margini ſuper impoſitus fuit, ne quis concipiat cimacium fuiſſe, adhibituſque fuit non tantum ad ornatum, ſed etiam ad uſum, ut vaſculum ſuffitus includatur, & non facile ex altari excidat. Probabile quidam putant, limbum hunc, opus fuiſſe reticulatum, aut quibuſdam ornamentis diſtinctum.

Verſ. 4. *Deinde binos annulos*, &c.] Annuli hi quoque aurei fuerunt, & IV quidem numero, bini ab uno, & bini ab oppoſito latere dependentes, inſerebanturque prope margines & limbum, ut altare facilius portari poſſet.

Verſ. 6. *Pones illud ante velum*, &c.] Ac proinde locus huic altari deſtinatus fuit in prima regione tabernaculi. Errant enim qui putant intra Sanctum Sanctorum collocandum eſſe, definiturque locus in medio latitudinis tabernaculi, ultra candelabrum, & menſam auream, non procul ab ingreſſu in Sanctum Sanctorum, atque ita è regione arcæ.

Verſ. 7. *Ut adoleat ſuper illud Aaron*] Aaron Pontifex nominatur, non quaſi nemini licuerit id facere niſi Pontifici, verum, quia Aaron id debuit præſtare prima vice, nec non die expiationis, imo etiam, ut quidam volunt, Sabbatho, noviluniis & feſtis; reliquis autem diebus quando illi allibuit, alias enim vulgares Sacerdotes, quorum erat ἐφη-

μερίδα, & qui forte erant designati, tempore sacrificii jugis id faciebant, ut colligi potest ex locis *Lev.* X. 1. 1 *Chron.* VI. 49. 2 *Chron.* XXVI. 18. *Luc.* I. 5, 9. conf. ad ultimum locum Clar. *Ligtfoti* commentarium.

Suffitum aromatum] Vid. *vers.* 34. aromata enim huic mixturæ erant conjuncta.

Unoquoque mane] Hebr. *mane mane*, quæ reduplicatio Hebr. familiaris.

Vers. 8. *Inter duas vesperas*] Conf. *Cap.* XXIX. 39. quæ secundæ vices suffitus quotidiani fuerunt.

Vers. 9. *Ne offeratis in eo suffitum exterum*] Id est, aliunde prolatum, aut alio modo compositum, quam imperaverat Legislator, præscribitur enim mixtura in sequentibus à *vers.* 34. — 38.

Aut holocaustum, &c.] Ibi includuntur omnia alia genera sacrificiorum, quæ solummodo offerri debuerunt in altari holocausti, ac proinde distinguitur usus hujus altaris, ab usu alterius.

Vers. 10. *Semel quotannis expiationem faciet*] Aaron scil. die expiationis magnæ, quæ incidit, in mensis septimi, diem decimum, vid. *Lev.* XVI. 18.

Super cornua ejus] Quod ergo ad expiationem fieri debuit, attingebat solummodo cornua hujus altaris aurei, quæ sanguine aspergebantur.

E sanguine sacrificii pro peccato] Sanguis ergo aspersionis expiatorius non admittebatur promiscuus, verum desumi debuit ex sanguine hirci, in sacrificium oblati, qui gesserat peccata totius populi, ipso expiationis die.

OEconomia.

§. 1. Pertinuit hic *suffitus* ad decus tabernaculi, & venerationem majestatis ibidem habitantis. Sacerdotes enim regi ministrantes, hoc præstiterunt tanquam gratum aliquod ministerium. In vita enim politica, suffitu excipiebant orientales, quos honorare volebant; inter sensus odor delicatissimus est, ac nescio quo modo spiritus refocillat & cor exhilarat, conf. *Prov.* XXVII. 9. Habuitque primum Sanctuarium, quæ ad tres primarios sensus fovendos respiciebant & pertinebant: mensa aurea cibum palato, candelabrum aureum, lumen oculis, nec non altare aureum, suffitum naribus, eaque omnia cum pompa

regia

regia majeſtate digna præbebant. Notandumque etiam quod ſuffitus proxime throno regis admovebatur, tanquam res gratiſſima.

§. 2. Totum hoc choragium legis continuit in ſe gratiſſimum repræſentamen *cultus Chriſtianorum in precibus*, unde & Eccleſia *domus precum* vocatur *in qua Deus adductos lætificare vellet*, *Jeſ.* LVI. 7. Verum ut ſingulatim omnia contemplemur, conſideremus

α. *Suffitum*, commodum & indubium emblema precum, juxta indicium ſacræ Scripturæ, *Pſal.* CXLI. 2. *Apoc*: V. 8. cujus tota mixtura & ratio videnda erit in ſequentibus. Hic autem ſola adminiſtratio conſideranda, quæ attribuitur

a. *Pontifici*, quoad *primas vices*, aliâs etiam *Sacerdotibus*, notaturque, quod Chriſtus Pontifex primus ingrederetur Sanctuarium, & ſupra fundamentum meritorum propriorum, Deum rogaret pro Eccleſia; verum poſtea omnes fideles ſequerentur, & ejus ſanctitati & juſtitiæ confidentes, poſt perpetuas preces Deo offerent.

b. *Incenſio aromatum* ad ipſum opus ſpectabat, & fiebat ope prunarum ab altari holocaumatum deſumptarum, emblema precum in fervore ſpiritus offerendarum, qui ſpiritus vocatur ſpiritus precum, *Zach.* XII. 10. eſtque ſpiritus *Chriſti clamantis pro nobis*, *Gal.* IV. 6. quem Chriſtus pro nobis meruit, unde quaſi ex altari holocaumatum deſumitur, & in medio electorum fidelium collocatur, ut ignis inſtar, divinum zelum in precibus accendat.

c. *Inſtrumenta* prunas recipientia fuerunt quoque *phialæ pretioſæ*, quæ ab altari holocaumatum portabantur ad altare ſuffitus, ejusque laminæ imponebantur, ut inſperſis aromatibus gratum odorem exhalarent; Egregium repræſentamen fidelium, qui quoque vaſa ſunt in domo Dei, & cum fide mortis Chriſti quaſi ſtantes ad altare holocaumatum, ſpiritum Chriſti accipiunt in cordibus, ac poſtea fiduciam accipientes, Deum per Chriſtum adeunt, precibus omnem reſtipulationem fœderis repræſentantes. Neque mirum videri debet, quod iidem ſint, & vaſa, & Sacerdotes, cum hæc dicantur diverſo reſpectu: Sacerdotes ſunt, quatenus habent propoſitum ſe ipſos Deo ſiſtendi; vaſa ſunt altari impoſita, quatenus conſiderantur ſemet tradidiſſe Chriſto ad portandum, & cauſam eorum ſuſcipiendam, quæ cum uno repræſentamine delineari non poſſent, plura aſſumuntur; ita ali-

bi quoque vidimus quod ſint ſimul & Sacerdotes, & holocauſtum.

d. Nonniſi ex *præſcripto* ſuffitus licuit mixturam adducere, quod ſignificabat preces Deo non placere, niſi quando rogamus juxta voluntatem Dei, & eo modo quo Chriſtus nos docuit, confer *Jac.* IV. 3. 1 *Joh.* V. 14.

β. Altare hic deſcribitur *aureum*, emblema & ſymbolum Chriſti iterum, verum ſub ſpeciali relatione, quatenus concipitur ut interceſſor, & glorificatus apud Patrem, preces fidelium quaſi excipit, & Patri ſiſtit, unde preces nihil valent *niſi nomine Chriſti*, *Joh.* XIV. 13, 14. XVI. 24. nemoque *venire poteſt ad Patrem niſi per Chriſtum*, *Joh.* XIV. 6. cujus merita ſunt fundamentum exauditionis.

a. *Materia* cum fuerit *lignum* auro obductum, ut alibi vidimus, denotat naturam Chriſti humanam, in perſona Chriſti jam glorificatam.

b. *Quadrata figura* monet, à quatuor mundi cardinibus adventantibus, æqualem dari acceſſum.

c. *Cornua*, quæ etiam in altari holocaumatum vidimus, Chriſti potentiam denotant, qua ſufficiens eſt ad Eccleſiæ defenſionem.

d. *Sanguis expiationis cornua conſecrans*, ſignificat, ex merito Chriſti factum eſſe, ut ejus potentia, ſit juſta & legitima poteſtas à Patre rogandi, & cum Patre rogatum præſtandi.

e. *Portatile* fuit altare, ac proinde vectibus & annulis inſtructum, cujus ratio erat, quod ipſum tabernaculum portatile eſſet, à quo altare aureum ſeparari in cultu non debuit. Ratio autem *Typica* eſt, quod Chriſtus non poſſit ſeparari ab Eccleſia, cui aliquando neceſſitas imponitur migrandi de loco in locum, ut ipſe Chriſtus concipiatur migrare cum Eccleſia, cui ſemper præſens eſt, conf. *Apoc.* I. 13. cum II. 5. Inſtrumenta autem portationi inſervientia hic idem ſignificant, quod in arca, & altari holocaumatum, de quibus antea egimus.

f. *Abuſus prohibitus*, dum Legiſlator alia ſacrificia præter ſuffitum non admittit, egregie monet, poſt unicam oblatam victimam Chriſti, in Novo Teſtamento non habere locum, niſi ſacrificium ſuffitus ſpiritualis: qui enim nova ſacrificia hilaſtica admittunt, valorem unici ſacrificii abnegant.

γ. *Locus* quo altare aureum collocandum erat, definitur

a. Per *Sanctum*, id eſt, Sanctuarium primum, ſymbolum Eccleſiæ ſpiritualis ſeu inviſibilis, in qua ſola, verus cultus perficitur, dum veri adoratores, Deum tantum *invocant in ſpiritu & veritate*, *Joh.* IV. 23, 24. Fateor quidem, quod in Eccleſia externa viſibili, cujus ſymbolum eſt atrium Sacerdotum, Deum coli externis ritibus, verum ille cultus tunc demum perficitur, quando illi cultores viſibiles, fidem & ſpiritum internum, externo cultui conjungunt, ſecundum quos internos actus concipiuntur verſari in ipſa domo Dei.

b. Per *poſitionem* ultra menſam auream, & candelabrum aureum; qui enim ſuffitum adolebant, illa vaſa tabernaculi præterire debuerunt, antequam altare aureum attingere potuerunt. Quo ſymbolo denotatur, Deum non recte coli vero cultu ſpirituali, niſi ab iis, qui communionem habent cum Chriſto, & in illa communione illuminati ſunt à ſpiritu, & Chriſtum experti ſunt vitæ cauſam, tanquam cibum noſtrum ſpiritualem.

c. Per *viciniam arcæ*, altare enim poſitum fuit in medio tabernaculi è regione arcæ, ac proinde habuit acceſſus ad altare aureum, ſpeciem acceſſus ad Deum ſupra arcam habitantem; ut proinde per hoc emblema notetur, liberrimus ille acceſſus fidelium Novi Teſtamenti ad thronum gratiæ, per Chriſtum interceſſorem; præcipue, poſtquam cum morte Chriſti velum concipitur ut ruptum, & utraque pars ædis ſpeciem repræſentat unius ejuſdemque conclavis: nam & Paulus animadvertit, ante velum ruptum, *nondum manifeſtum fuiſſe ſacrarii ingreſſum*, *Hebr.* IX. 8.

δ. *Tempus* quoque definitur, ut matutinum & veſpertinum, cultum aperiens & claudens, idque quotidie, in ſymbolum, ſub Novo Teſtamento preces fore perpetuas, & quotidie indeſinenter inſtaurandas, vid. 1 *Theſſ.* V. 17, 18.

PARS II.

DE PENSIONE HEMISICLI.

Analysis.

Ut thesaurus redituum erigeretur ad refundendos sumptus, qui in cultu publico impendebantur, Rex Israëlis quasi tributum aliquod instituit annuatim solvendum, cujus describitur

α. Collectio, *vers.* 11.—15. ubi Legislator
   a. Tempus collectionis primæ definit, *vers.* 12.
   b. Quantitatem tributi circumscribit, *vers.* 13.
   c. Debitores hujus tributi designat, *vers.* 14, 15.
β. Usus seu finis tributi triplex subjungitur, *vers.* 16.

Scholia.

Vers. 12. *Cum recensebis summam filiorum Israël,* &c.] Hic definitur tempus primæ collectionis, quod præceptum tamen non temporarium fuit, sed perpetuum, ex mente Judæorum, qui statuunt annuatim idem tributum colligendum fuisse, ultimisque temporibus curabant id perfici per collectores, qui mense *Adar*, aut si annus esset intercalaris, mense *Veadar*, totam terram Israëliticam pervadebant, ut à quocunque pensum exigerent. Primo die mensis fiebat denunciatio, decimo quinto blanda exactio per omnes urbes & vicos, ast vigesimo quinto coactio, cum exactores sederent ad mensas in Sanctuario, atque pignora sumendo, vel alia ratione oppignorando, & obligando, ad solutionem cogebant, conf. *Ottonis Lexicon* pag. 600. & seq.

Quisque redempturam vitæ suæ Jehovæ, &c.] Pecunia à quolibet offerenda refertur ad redemptionem vitæ uniuscujusque, qui vitam suam salvam esse volebant; in textu originali pro vita est *anima*, per metonymiam efficientis.

Ut non sit in iis plaga] Proinde vita hæc quasi redimenda veniebat, ex plagis divinitus alias infligendis, pœna enim neglectæ solutionis non committitur judicibus, sed Deo, qui ipse causam suam defendere vellet.

Verſ. 13. *Dimidium ſicli*] Eſt autem ſiclus norma ponderis alicujus. Solebant autem Judæi pretium æſtimare ad pondus, quia appendebant olim creditoribus nummos, & non adeo annumerabant. Hic autem intelligi debet hemiſiclus argenteus, quod locum habet, quotieſcunque appendendum non definitur.

Prout eſt ſiclus ſacer] Hic diſceptant Philologi, an ſiclus ſacer & communis inter ſe pondere differant, aliis ſtatuentibus, ſiclum ſacrum communi duplo majorem eſſe, aliis vero id ſtrenue negantibus, & exiſtimantibus, ſiclum ſacrum vocari normam exactiſſimam, quia apud tabernaculum norma ponderum exactiſſima aſſervabatur, ad quam omnia pondera aliis in locis exigi debuerunt, quæ ultima ſententia videtur veriſimilior; conf. noviſſimum Tractatum *de ponderibus & menſuris Judæorum*, quem nuper edidit Clar. *Bernardus*.

Viginti obolorum hic eſt ſiclus] Hebr. obolus גרה vocatur, animadvertitque Clar. *Bernardus* quod גרה Moſaica recte vertatur *obolus*, ſi id modo intelligamus de *obolo Charontis*, ſeu obolo antiquorum, qui aliquanto plus valuit quam obolus communis Atticus Athenarum: differentia enim valoris proportionem habet ut v. ad iv. ut proinde hic ὡς ἐν τύπῳ valorem monetæ ſacræ tradamus; ſciendum eſt, induſtria virorum doctorum, rem nummariam ſollicite ponderantium, hodie conſtare, ſiclum argenteum, characteribus Samaritanis inſignitum, pendere ſemiunciam anglicam argenti, atque ex æquo convenire tetradrachmæ Thaſiorum & Phœnicum, ac proinde Hemiſiclus congruit duabus drachmis Atticis, æquivalentibus duobus ſchellingis Batavis, notante id quoque doctiſſimo *Gronovio*. Una drachma Attica continuit proinde v. obolos Moſaicos, verum vi. obolos Atticos, atque adeo גרה Moſaica, aliquantiſper exceſſit valore ſtuferum Batavicum, quem obolus Atticus juſte exhaurit.

Verſ. 14. *A nato viginti annos*] Qui infra illam ætatem erant nihil pendebant, verum illum terminum excedentes, ad quamcunque etiam ætatem pervenerint, hemiſiclum illum pendebant.

Verſ. 15. *Qui dives eſt, ne augeto, &c*] Nulla hic differentia admittitur inter divites & pauperes, ut tributum hoc fuerit capitatim ſolvendum.

Verſ. 16. *Pecuniam expiationum*] Hæc phraſis denotat primam rationem penſionis, habuitque pretium hoc rationem τȣ̃ λύτρȣ, quo ſe redimere debuerunt ex metu judiciorum Dei.

Repones eam ad ministerium tentorii] Hic describitur alius finis, scil. in quem usum deberent nummi illi impendi, nempe ut perpetuum ministerium conservaretur: sumptuosus enim erat ille cultus Leviticus, & sacrificium juge quotidie totius populi nomine offerri debuit. Errant viri docti, qui hoc tributum referunt ad sumptus impendendos in ædificationem tabernaculi; nam materia ad structuram tabernaculi adducenda *Cap.* XXV. exigitur ab Israëlitis tanquam donum spontaneum, ab unoquoque pro libertate sua adducendum, vid. *Cap.* XXV. 2. Hoc tributum autem argento solvendum fuit ex debito, & ex æquo.

Eritque pro filiis Israëlis in monumentum coram Jehova] Id est, erit quasi coram Jehova argumentum, in memoriam revocans, quod λύτρον solvissent, ac proinde reputari debeat, ad eorum absolutionem carnalem & externam. Nam sacrificia quotidiana, nomine populi peracta, & hoc pretio empta, Deo quasi tradebantur in holocaustis, ut λύτρον ipsum quasi commutatum.

OEconomia.

§. 1. Ratio hujus ordinationis divinæ satis evidens est; sacrificia enim omnium nomine offerenda, omnium sumptibus erant coemenda, ut revera communis populi essent, atque eum in finem communis quædam collecta, certo quodam tempore, institui debuit, qua quisque debitum suum, ad communem thesaurum adduceret. Hinc etiam in templo Salomonis, & Zerubabelis, peculiaria conclavia fuerunt exstructa, in quibus thesaurus ille reconderetur, de qua re pluribus egit Clar. *Otto* in *Lexico pag.* 226. Hinc etiam in templis collybistæ, quia hemisiclus, sub secunda domo, non pendebatur ex quovis nummo, sed sub certa aliqua monetæ specie, quam qui præ manibus non haberet, monetam suam apud collybistam mutare debuit.

§. 2. Ex hoc tamen ritu discere debebant Israëlitæ

α. Omnem animam indigere λύτρω, ut eripiatur ex ira Dei ventura.

β. Id λύτρον debere esse pretiosum, argentum enim inter res pretiosas numeratur, unde & λύτρον Christi *pretiosum* vocatur 1 *Cor.* VI. 2. 1 *Petr.* I. 19.

γ. Hoc λύτρον non fuisse tamen illud verum, cum Prophetæ λύτρον ex argento desumptum postea rejicerent, vid. *Esaiæ* LII. 3. confer 1 *Petr.* I. 18.

δ. Quod

δ. Quod *à divite non plus poſtulatur quam à paupere*, teſtimonium fuit, omnium animas æque pretioſas eſſe, eodem pretio aliquando redimendas, atque etiam opes, nullam dignitatem, aut prærogativam, cuique in regno Chriſti conciliare.

ε. Adde ob *æqualitatem lytri*, omnibus eandem libertatem, & eundem acceſſum ad Deum patere.

ζ. *Recenſiti* debebant argentum ſolvere, ita etiam Chriſtus non redemit niſi recenſitos, id eſt, *ordinatos ad vitam æternam*, *Actor.* XIII. 48. *Hebr.* XII. 23. *Epheſ.* I. 4.

η. *Lytrum* defendebat à plaga; Chriſti vero à *condemnatione*, *Rom.* VIII. 1, 34, 35.

θ. *Valuit ad miniſterium tentorii*, Chriſti autem valet, ad acquirendum omnia quæ ad ædificationem domus Dei erant neceſſaria, *Epheſ.* II. 21, 22.

PARS III.

DE LABRO ABLUTIONIS.

Analyſis.

Inter vaſa, quorum deſcriptio rejecta fuerat ad finem colloquii divini cum Moſe, eſt quoque *Labrum æneum*, cujus fit mentio occaſione inaugurationis Sacerdotum, quos vidimus præcedenti Capite deſcribi ut abluendos, antequam induerentur veſtibus ſacris, deſcribiturque etiam labrum hoc æneum.

α. A ſtructura, ubi occurrit
- a. Materia, *verſ.* 18.
- b. Subjectus locus, *ibidem.*
- c. Contenta, *ibid.*

β. Ab uſu, qui
- a. Deſcribitur, *verſ.* 19, 20, 21. p. pr.
- b. Amplificatur ex adjuncta duratione, *verſ.* 21. parte altera.

Scholia.

Verſ. 18. *Facies etiam labrum æneum*] Ita vocatur vas ex ære conflatum, aquis recipiendis aptum, cujus loco, poſtea Salomo conſtrui juſſit

jussit *Mare æneum*, ita appellatum ob majorem ejus amplitudinem: Multiplicato enim populo, receptaculum hoc amplificandum fuit, ejusque maris ænei accuratissimam descriptionem, solutis omnibus dubiis architectonicis, dedit Clar. *Bernardus* in fine *Tractatus de mensuris & ponderibus Hebræorum.*

Et scapum ejus æneum] Ita vocatur sustentaculum amplioris hujus receptaculi, concavum quidem, ut mediante epistomio, aquæ inde deducantur, & emittantur ad lotiones quascunque.

Inter tentorium & ipsum altare] Id est, ultra altare versus tentorium; ita tamen, ut protraheretur nonnihil versus Austrum, notantibus Talmudicis in Tractatu *Middoth*, *cap.* 3.

Vers. 19. *Ut lavent Aaron*, &c.] Usus ergo fuit ad lotiones quotidianas, Sacerdotes enim, ante cultus templi inchoationem, aquis se purificare debebant, nec non Pontifex, qui die expiationis quinquies lavare se debuit, vide Tractatum *Kippurim.*

Manus suas & pedes suos] R. *Schelomo Jarchi* ex Talmudistis animadvertit in hunc locum, quod manum dextram imposuerint super dextrum pedem, manumque sinistram super sinistrum pedem, cum Sacerdotes se lavabant. Conf. *Ottonis Lexicon pag.* 334.

Vers. 20. *Lavanto aqua, ut non moriantur*] Pœna statuitur satis gravis, quæ tamen committebatur vindictæ divinæ, qui itaque illotus ingrediebatur tentorium, reus censebatur mortis, tantum enim erat ut qui coram Deo appareret, mundus esset.

Vers. 21. *Statutum esto perpetuum*] Quandiu nempe œconomia illa Veteris Testamenti perseveraret, nam illa perpetuitas commensuranda est durationi œconomiæ istius temporis.

OEconomia.

§. 1. Externæ illæ lotiones in Oriente fuerunt frequentes pro natura climatis, unde nemo facile admittebatur ad consuetudinem honesti viri, nisi lotus, quam venerationem multo magis debebant Regi tabernaculum inhabitanti.

§. 2. In *Theologia Emblematica*

α. *Lotio* significabat *respectu Veteris Testamenti*, impuros fuisse omnes natura qui ex Aarone oriundi Deum accederent, ne Pontifice quidem excepto, quod exhibuit nobis testimonium, Pontificem Veteris

Testa-

Teſtamenti non fuiſſe illum verum, *qualis nos decebat*, *Hebr.* VII. *verſ.* 26.

β. Reſpectu *melioris Teſtamenti*

a. *Aqua* ſymbolum fuit obedientiæ Chriſti activæ, quæ concipienda, ut cauſa meritoria regenerationis noſtræ, *Joh.* III. 5. unde & Chriſtus dicitur *veniſſe cum aqua*, 1 *Joh.* V. 6. prout & *aqua* præter *ſanguinem effluxit ex latere ejus*, *Joh.* XIX. 34. Conf. 1 *Joh.* V. *verſ.* 8.

b. *Lotio* requiſita, comprehendit juſtificationem, & ſanctificationem, cum à reatu, tum à macula peccati. Vid. *Jeſ.* I. 16. 1 *Cor.* VI. 11. *Joh.* XIII. 10. *Hebr.* X. 22. *Apoc.* I. 5.

c. Quod autem *lotio* fieret quoad *manus*, & *pedes*, ſignificabat, *lotos non indigere alia lotione*, *Joh.* XIII. 10. Supponnntur enim Sacerdotes eſſe, id eſt, regeneratos & juſtificatos, verum, qui propter lapſus imbecillitatum quotidianos, neceſſe habuerunt perpetuo recurrere ad Chriſtum, ut cauſam continuatæ ſanctificationis, & juſtificationis in foro conſcientiæ, quam vulgo juſtificationem ſecundam vocant.

d. *Lavacrum* eſt Chriſtus, qui vocatur *labrum apertum*, *Zach.* XIII. *verſ.* 1.

e. Inter *altare* & *tabernaculum ſtabat labrum*, ut indicaretur nullam dari communionem, ſeu cum Chriſto, qui per altare, ſeu cum Eccleſia, quæ per Tabernaculum notatur, niſi cor eſſet lotum & fide purificatum.

PARS IV.

DE OLEO UNCTIONIS.

Analyſis.

§. 1. Quia variis in locis mentio facta fuerat unctionum ſacrarum, Legiſlator in appendice rerum præparandarum, ejus quoque deſcriptionem exhibuit.

§. 2. In qua deſcriptione *Olei unctionis ſacræ* exhibuit

α. Mixturam, *verſ.* 22.—25.

β. Varium uſum, enarrando ea omnia, quæ unguenda veniebant, *verſ.* 26. — 30.

γ. Cautelam ſubjungit qua prohibet ejus abuſum, *verſ.* 31. — 33.

Scholia.

Verſ. 23. *Accipe tibi*] Pleonaſmus eſt in ſacris frequens.

Aromata præſtantiſſima] Hebr. בשמים ראש, quaſi *æromata capitalia*, ad balſamum aliquem conficiendum, reliquis omnibus præferenda.

Myrrhæ ingenuæ] Eſt autem myrrha ſpecies lachrymæ, ex arbore humidiori collecta, & odorifera: huic balſamo immixta, ad illi corpus aliquod conciliandum. In textu vocatur מר־דרור, *myrrha libertatis*, quod Interpretes plurimum accipiunt de lachrymis ſponte profluentibus, quæ, & puriores, & liquidiores ſunt, ac proinde facilius cum oleoſis aliis particulis ſubiguntur, unde non male *myrrham electam* vertunt, modo id non accipiatur de myrrha concreta nimium, & ab impurioribus particulis ſeparanda. *Eſth.* III. 12. fit mentio *Balſami myrrhini*, quo mulieres nobiliores inungebantur, unde conſtat ex ſola myrrha liquorem aliquem balſamicum confectum fuiſſe; & præſtantiſſima ſpecies fuit Trogloditica & Minæa.

Quingentum ſiclos] Siclus autem in pondere valet, ut monuimus, unciam dimidiam.

Cinnamomi odorati dimidium ejus] Hujus aromatis in Veteri Teſtamento trina tantum fit mentio, *Prov.* VII. 17. *Cant.* IV. 14. & hoc loco, de Cinnamomo veterum, multum diſceptant medici, dubitantque, an cum cinnamomo Indico conveniat? & adhuc ſub judice lis eſt. Hic tamen notandum, quod vocitetur קנמון־בשם, unde doct. *Urſinus* in *Horto Aromatico* colligit, ex cinnamomo oleum aliquod balſamicum confectum fuiſſe, idque adhibitum fuiſſe in hac compoſitione, cum alias in forma pulveris, cinnamomum vix commodum ingrediens ſit, ad conficiendum hoc balſamum.

Calami odorati] Hujus etiam fit mentio *Jeſ.* XLIII. 24. *Jer.* VI. 20. *Ezech.* XXVII. 19. Hebr. vocatur קנה, neque dubium eſt ſi attendamus ad teſtimonia citata, quin fuerit aroma pretioſum advectum ex terra longinqua, & ut bene *Hieronymus* notat, ex India, quæ optimam ſpeciem ejus ſuppeditavit, alias enim *Calamus*, in Arabia,

aut

aut Syria natus, minoris pretii æſtimabatur. Verus *Calamus*, non confundi debet cum *Acoro*, quem hodie fere illi ſubſtituunt. *Plinius* ſcribit quod *Calamus odoratus veterum fuit arundinis ſpecies, quæ naſcitur in Syria & India, odorum & unguentorum cauſa, Lib.* XII. *cap.* 22. In Aſiaticis & Ægyptiis apothecis vulgo venalis eſt, unde per univerſam Indiam ſeritur. Cumque hic etiam vocitetur בשם, videtur Legiſlator quoque indicaſſe, oleum balſamicum, ex juncis illis odoratis, confectum. *Plinius lib.* XV. *cap.* 7. notat, olim *ex calamo balſamum, aliiſque ſimilibus ſiccis, in oleo maceratis, per oxpreſſionem factitatum fuiſſe.*

Verſ. 25. *Et caſſiæ*] Hebr. קדה, cujus etiam fit mentio *Ezech.* XXVII. 19. dubitant Philologi num *caſſiam*, *Irim*, an *Coſtum* ſignificet, cum balſami, ex illis omnibus confecti, ab antiquis commendentur. De oleo *Irino*, *Dioſcorides lib.* I. *cap.* 55. & teſtatur illud *optimum eſſe, quod ſolam Irim redolet, quale in Perga Pamphiliæ, & in Elide Achaiæ componebatur.* Negarique nequit LXX. per *Irim* tranſtuliſſe. In Oriente tamen magis frequens erat *Coſtum*, quod inter aromata odorata numeratur quoque, apud *Dioſcoridem* & *Plinium.* Clar. *Urſinus*, Coſtum irinum hic intelligi vult, propter authoritatem LXX. Interpretum, intelligitque unguentum aliquod ex Coſto Irino confectum.

Quingentos ſiclos] Ut proinde ejus pondus, conveniat cum pondere myrrhæ ingenuæ.

Olei olivarum] Hoc oleum videtur adhibitum, ut reliqua balſamica corpora nonnihil diluerentur, & omnis maſſa liquidiorem formam acquireret.

Hin] Hic denotat menſuram liquidorum, quam convenire cum 11 congiis atticis, animadvertit Cl. *Bernardus*, libri ſæpe citati, pag. 46. & ſeq.

Verſ. 25. *Opus apothecarii*] Id eſt, ſecundum artem miſcendi, apothecariis, & unguentorum confectoribus, familiarem.

Verſ. 26. *Eoque ungues tentorium conventus*] Quod proculdubio intelligendum de partibus tentorii aliquibus, cum alias nimia quantitas hujus balſami profunderetur, quænam autem partes venirent unguendæ, non definitur à Moſe, quia non nulla in typo Moſes videbat.

Verſ. 29. *Res ſancta ſanctarum*] Id eſt, res ſanctiſſima, qua non licuit uti ad profanos uſus.

Verſ. 32. *Carnem hominis ne quiſquam eo ungito*] Id eſt, vulgaris hominis, qui non admittendus erat ad Sacerdotium. Quamvis unctiones inter Judæos admodum eſſent familiares, nihilominus in vulgari conſuetudine non licuit hac mixtura uti, quæ ſolummodo rebus ſacris erat derelinquenda.

Secundum confecturam ejus, ne facito ſimili ei] Ita adhuc magis cavit Legiſlator, ne quis hoc oleo abuteretur, dum præter hoc in loco ſacro reponendum, ſimile quicquam confici prohibuit.

Verſ. 33. *Propterea exſcindetur è populis ſuis*] Quod quoque intelligendum videtur de judicio divino dictum, exaggeratque reatum, quem contraherent, qui hoc præceptum tranſgrederentur.

OEconomia.

§. 1. Cum Tabernaculum, una cum primariis vaſibus, æque ac Pontifex hoc oleo balſamico debuerint illiniri, neceſſe eſt, ut gratiſſimus odor totam hanc domum impleverit, quod conveniens eſt majeſtati inhabitantis: ad ſplendorem enim regium pertinet, pretioſiſſimo unguento omnia delibare.

§. 2. Verum in *Theologia emblematica*, unctio ſpiritualis pertinet ad εὐωδίαν conciliandam toti Eccleſiæ, notandumque

α. *Unguentum* pertinere ad Spiritum Sanctum, ejuſque gratiſſimam œconomiam, conf. 1 *Joh.* II. 27. 2 *Cor.* I. 21, 22. ad hoc unguentum miſcendum, præſcribuntur

a. *Aromata fragrantia*, quæ ſignificabant varia ſpiritus χαρίσματα, gratiſſimum in modum concurrentia, ad communem εὐωδίαν conficiendam; potuitque *Myrrha* denotare conſtantiam in paſſionibus, *Cinnamomum* opera charitatis, exhilarantia quemcunque hominem beneficiis excipiendum; *Calamus aromaticus*, qui Diis etiam offerri ſolebat, obedientiam & ſubjectionem ſub Deo, cum traditione ſui in ſervitutem Dei; *Coſtus irinus* omne exercitium ſpei & fiduciæ, quorum Chariſmatum conjunctio novum hominem conſtituens, eundem Deo poterat reddere gratiſſimum.

b. *Oleum* ſymbolum eſt ipſius Spiritus Sancti, ſeu gratiæ ejus, cumque deſtinabatur ut eſſet vehiculum εὐωδίας, indicabat illa χαρίσματα ſub hac gratia comprehendi, & per illum Spiritum hominum animis induci.

c. *Men-*

c. *Menſura largior* denotavit copiam gratiæ Spiritus, & donorum, quibus gaviſura eſſet Eccleſia Novi Teſtamenti.

β. *Subjecta recipientia* hanc unctionem, erant

a. *Pontifex*, qui emblema Chriſti interceſſoris fuit, qui ab hac unctione *Chriſtus* appellatur, conf. *Jeſ.* LXI. 1. *Pſal.* XLV. 8. *Luc.* II. 26. in quo gratia Spiritus variis cum donis ſe manifeſtaret, conf. *Jeſ.* XI. 2. unde & veſtimenta ejus, odorem funderent horum aromatum, *Pſal.* XLV. 9. quique gratiam illam acciperet ὀυχ' ἐκ μέτρε, *Joh.* III. 34. ac præcipue ſe commendaret à *Tolerantia* in paſſionibus, *Charitate* in redimendis miſeris, *Spontaneitate* ſubjiciendi ſe ſub lege, ad quærendam gloriam Patris, nec non vigore *Spei* & *Fiduciæ*, qua de felici rerum eventu perſuaſus, omnes partes officiorum ſuorum ſtrenue impleret.

b. *Vaſa nobiliora*, ut arca, utrumque altare, ipſa menſa & candelabrum, quæ etiam Chriſtum præfigurabant, ut vidimus, ac horum omnium unctio eandem habuit rationem cum unctione Pontificis, niſi quod nonnulla ſanguine aſpergebantur, ac poſtea ungebantur, in teſtimonium individuæ conjunctionis ſanguinis & ſpiritus Chriſti, id eſt, juſtitiæ & vitæ, juſtitiam enim promeruit Sanguine, vitamque promovet Spiritu.

c. *Tabernaculum* quoque ungebatur, quod fuit ſymbolum Eccleſiæ, quæ unctionis Chriſti debuit fieri particeps, unde & *Chriſtiani* dicimur, 1 *Joh.* II. 27. 2 *Cor.* I. 21, 22.

γ. *Uſus.*

a. *Verus* & *licitus*, qui fuit omnia ſanctificare, ita Spiritus Sanctus non tantum teſtis fuit ſanctitatis Chriſti, verum & cauſa ſanctificationis Eccleſiæ, qui fidelium omnium actiones, cæteroquin in ſeſe corruptas, & fœtidas, & Deo peroſas, ita gratiſſimo ſuo odore tingit, ut Deo reddat commendatos.

b. *Abuſus* prohibitus, dum non licuit ſimile quippiam in profanos uſus conficere ſub pœna mortis, hoc teſtimonium exhibuit, quod mundus *Spiritum illum veritatis accipere non potuerit*, *Joh.* XIV. 17. verum illum Chriſto eſſe proprium, & non niſi electis communicandum, qui partem ſpiritualis domus Dei conſtituunt.

Pars V.

De Thymiamate.

Analysis.

Tandem pergit Legislator ad compositionem *Thymiamatis*, sive suffitus sacri, cujus descriptio quoque huc rejecta fuerat, ne descriptio muneris Sacerdotum nimium interrumperetur: pertinuit enim oblatio suffitus ad sacrificium juge, & quotidianum Sacerdotii ministerium, describiturque hic suffitus

α. A mixtura & compositione, *vers.* 34, 35.
β. A vero usu, *vers.* 36.
γ. Cui subjungitur prohibitio abusus, *vers.* 37, 38.

Scholia.

Vers. 34. נטף] Philologi vertunt *Stactem*, estque lachryma myrrhæ, quæ profluit ex arbore incisa, distingui tamen debet à *Myrrha libertatis*, quæ ingrediabatur mixturam unguenti sacri, differunt enim forma externa, Stactes quamvis etiam sponte profluat, est pars lachrymarum concrescens, cum prior retineret formam liquidam & fluidam. Ratio compositionis id quoque confirmat, nam oleum unctionis effundi debuit, verum thymiama in pulverem redigi.

שחלת] LXX. vertunt *Onychen*, quod & Vulgatus sequitur, non hic cogitandum est de gemma ὀνύχες, verum de concharum specie, sive de conchilii tegumento. *Dioscorides lib.* II. *cap.* 8. ejus elegantissimam reliquit descriptionem: *In Indiæ*, inquit, *nardiferis paludibus invenitur, suavem ideo spirant odorem, quod conchilia inibi nardi pabulo vescantur. Est autem Onyx alius candidus, qui per Mare rubrum affertur, alius nigrescens ut Babylonius, uterque odoris grati suffitus, sed Castoreum quadautenus olent; fœminas vulvæ strangulatu oppressas, suffitu excitant, comitialesque*, addit *Matthiolus*, quod *omnium virium imbecillitatem firmet, cordis palpitationem confirmet, animique defectum maxumopere juvet, longuoque morbo dejectos, recreet.* Officinæ *Blattam Byzantiam* vocant.

חלבנה] Conſtanter *Galbanum* vertunt, hanc lachrymam, quoque arboris alicujus, deſcribit *Dioſcorides lib.* III. *cap.* 81. affirmatque, *Succum eſſe naſcentis in Syria ferulæ*, quod quidam vocant *Metopion*, *laudatiſſimum genus*, *thuris habet effigiem*, *odore gravi*, &c. unde odore ſuo ſerpentes fugare credunt veteres, *Virg. Georg. lib.* III.

Galbaneoque agitare graves nidore Chelydros.

Quod in Africa colligitur *Ammoniacum* vocatur, quia juxta Syrenen in Africa prope Ammonis oraculum colligitur. *Paulus Aetius* aſſerit, *Ammoniaco uſos fuiſſe antiquos in ſacrificiorum ſuffimentis*, unde *Thymiama* cognominat.

לבנה] Significat *Thus* redolens, cujus ſola patria eſt *Sabæa* Arabiæ provincia, vid. *Jeſ.* XLIII. 23. LX. 6. quod *Plinius* confirmat *lib.* XII. *cap.* 14. *Thura*, inquit, *præter Arabiam nullis*, *ac ne Arabiæ quidem univerſæ*, *propria Sabæis.* Nemo felicius deſcripſit *Garſia*, qui teſtatur *arbores eſſe humiles*, *folia habere lentiſco ſimilia*, *aliamque eſſe montanam*, *aliam in planis naſci*, *arboremque montibus cum fragroſis provenit*, *optimum Thus proferre*, *in planitie vero naſcentem*, *proferre Thus nigrum & improbum*, *quo cum aliarum arborum reſinis permixto naves picant & oblinunt.* Albus color in thure commendatur, unde & nomen obtinuit ſuum Hebr. quod ad Græcos quoque derivatum eſt: Latini vocant Thus ἀπὸ τοῦ θύειν· Germani & Belgæ *Wierook*, quaſi ſacrum ſuffimentum; *weyen* enim eſt idem quod ſacrare, nam ab antiquiſſimis temporibus thuris uſus fuit in cultu ſacro. *Arrianus* in *Periplo maris Erythræi* dicit *arbores thuriferas nec altas nec magnas eſſe*, *ſudare thus in cortice concretum.* *Plinius* arborem quotannis bis incidi, & thus bis meti; verba enim ejus ita ſe habent, *prisr atque naturalis vindemia circa canis ortum flagrantiſſimo æſtu*: *Autumno legitur ex Æſtivo partu*, *hoc candidum & puriſſimum eſt*: *ſecunda vindemia eſt vere*, *ad eam Hyemi corticibus inciſis*, *rufum hoc exit nec comparandum priori.* *Arrianus* teſtatur quoque à *ſervis regiis & ad ſupplicia damnatis colligi*, *nam loca eſſe inſalubria*, *ut & præter vehentibus peſtem*, *& operariis illis certam mortem afferant* πάντοτε θανατώδεις.

Verſ. 35. *Opus apothecarii*] Non omnium eſt lachrymas illas redigere in pulverem, verum ad hoc requiritur artificioſa ſatis manus, idque propter tenacitatem reſinarum, quæ in cauſa eſt, ut difficulter ſubigantur.

ממלח]

ממלח] Quidam *falitum* vertunt, verum concipere non poffum ad quem ufum fales immifcerentur fuffimento, quorum indoles atque natura adeo contraria eft, ut crepitando, quando prunas attingunt, omnia refilire faciant. Melius itaque alii referunt ad præparationem, ut hoc verbo denotetur, accurata omnium commixtio & conjunctio.

Verf. 36. *Pones ex eo coram ipfo teftimonio*] Id eft, in altari fuffitus ante arcam teftimonii collocato, ut fupra notavimus ad *verf.* 6.

Verf. 37. *Juxta confecturam ejus*, &c.] Prohibet lex, fuffitus, quorum ufus vulgaris erat, fimiles, extra Sanctuarium in ufum revocare, fcil. nullus fuffitus, præter hunc, conftare debuit ex quatuor illis defignatis fpeciebus.

Verf. 38. *Exfcindetur è populis fuis*] Vid. *verf.* 33.

OEconomia.

§. 1. Quorfum in fenfu literali fpectaverit Thymiama vidimus, quando egimus de Altari Thymiamatum, ut nil fuperaddendum reftet, nifi fola confideratio mixturæ rerum pretiofarum, fcil. mixtura odoratuum ad fuffitum, habuit, ex conjunctione variarum fpecierum, gratiffimam temperiem odoris, regiæque majeftati convenientem, cum aliarum rerum halitus effet gravior, aliarum vero blandior, & ex omnibus fimul conjunctis, fpirituum animalium amœniffima excitata eft refocillatio.

§. 2. Hic fuffitus in *Theologia fymbolica* repræfentat *Preces Sanctorum* Chrifto Pontifici quafi tradendas, ut eorum nomine Patri repræfentet, conf. *Pfal.* CXLI. 2. *Apoc.* V. 8. VIII. 3, 4. quorfum autem quatuor fpecierum mixtura tendat non eadem eft Interpretum fententia, difficilifque eft rei exacta denodatio, cum pleraque in re emblematica rara fint.

α. Quidam referunt ad quatuor partes, fanctorum preces conftituentes, de quibus *Paulus* 1 *Timoth.* II. 1. adhortor *igitur ante omnia ut fiant Deprecationes, Preces, Interpellationes, & Gratiarum actiones pro quibufvis hominibus.* Qui id ftatuunt, exiftimant *Stacten* referri debere ad *Deprecationes*, quibus conamur infortunia & mala, tum animæ, tum corporis, deprecari, cumque ftacte fit lachryma myrrhina amara, repræfentaret illam qualitatem animæ orantis, qua ex fenfu amaritudinis loquitur, & quafi lachrymas ex fenfu miferiæ fun-

fundit. *Onyx* reſpiceret *Preces*, ſeu deſiderium bonorum quibus mens indiget, cumque Onyx ſit pulvis conchiliorum contritorum ad ſuffimentum, reſpicit cordis ſtatum ex vehementia deſiderii confractionem patientis. *Galbanum* referunt ad *Interpellationes*, quatenus quis intercedit pro fratribus eorumque indigentiis, quod eſt opus charitatis, deſiderantis etiam cum aliqua moleſtia refectionem animi, ex alieno bono, in ſolamen Eccleſiæ. *Thus* reſpiceret *Gratiarum actiones* quibus profitemur ex indebita nos gratia qualiacunque beneficia accepiſſe, cumque nihil habeamus, quod rependere poſſimus, optat anima, ut ipſum ſuſpirium mentis gratæ, quæ vellet rependere, Deo gratum ſit inſtar thurificationis.

β. Alii potius quatuor chariſmata & virtutes animi recte orantis, ſignificari exiſtimant, quas etiam quatuor enumerare poſſumus, ſcil. *Fidem*, *Humilitatem*, *Charitatem* & *Spem*, quarum virtutum conjunctio preces ſanctorum reddit conſummatas.

a. *Fides* quatenus apprehendit paſſiones & merita Chriſti, Deoque repræſentat in reſtipulatione ut cauſam juris, conferri poteſt cum *Stacte*, myrrha enim coalita vulgo refertur ad amariſſimas Chriſti paſſiones, *Deo oblatas in gratum odorem*, *Epheſ.* V. 2. Coalitio autem indicare poteſt paſſiones illas concipi ut fide apprehenſas, atque ita nobis adhærentes, ſine qua fide, nullæ preces Deo poſſunt eſſe gratæ, propter ſtudium carnis cum ſpiritu luctantis, unde precibus adhæreret aliquid male olens, niſi ſuffimentum meriti Chriſti id ſuffocaret.

b. *Humilitas*, orantem præcipue decet *Mich.* VI. 8. quæ eſt virtus *contriti cordis quod Deus præcipue gratum habet*, *Pſal.* LI. 19. *Jeſ.* LVII 15. ac proinde elegantiſſime adumbratur per *Onychen* ſive teſtaceum conchiliorum vas contritum, cui odor adhæret Nardi, id eſt, Spiritus Sancti propriam abnegationem docentis.

c. *Charitas*, tam neceſſaria piæ precis conditio, ut niſi adſit, nulla oratio Deo grata ſit, 1 *Tim.* II. 8. *Matth.* V. 23.—26. VI. 15, &c. cujus charitatis repræſentatio ſit *Galbanum*, reſina ſummæ ſanitatis, prout charitas eſt gluten amicitiæ tendens ad totius corporis myſtici ἑνῶναι, & corroborationem, hoc enim quærit charitas odore ſuo, ut omnes convulſiones extinguantur, & ſpiritus vitæ in omnibus ſit vividus ac vegetus.

d. *Spes*, tandem precum omnium quaſi baſis eſt, nam orationes nihil aliud ſunt, quam ſpei exercitium, qui nihil ſperat, nihil deſiderat, aut rogat. *Thus* autem, fumum & halitum ſuum cœlum verſus facile emittens, gratiſſimum ſymbolum eſt Spei, mentis deſiderium per ſuſpiria in cœlum mittentis, & quaſi ſupra aſtra volantis, reliquaſque animi virtutes ſecum evehentis: Notandum eſt hic quod Thus totius mixturæ fuerit baſis, reliquarum ſpecierum odores facile in altum elevans & quoquoverſum diſpergens.

FINIS.

SALOMONIS VAN TIL, V. Cl.

ZOOLOGIA,

SIVE

COMMENTARIUS HISTORICO-EMBLEMATICUS,

DE

ANIMALIBUS QUADRUPEDIBUS,

IN

SACRA SCRIPTURA MEMORATIS.

PROOEMIUM
DE
ZOOLOGIA IN GENERE.

§. 1. ZOOLOGIA nostra sacra erit *doctrina de Animalibus, in sacra Scriptura allegatis, ad ejus elucidationem, explicans, præter nominum origines, animalium naturas, usus, encomia & vituperia, nec non rationes hieroglyphicas.*

§. 2. Est autem, *Animal* ab *anima* denominatum, Græcis ζωὸν, à *vita*, prout & Hebræis נפש חיה, id est, *anima viva*, quia animal est corpus organicum, & mobile per internum vitæ principium, quod consistit in spirituum animalium influxu & effluxu, musculos dilatante & coarctante, unde membrorum articularis motus.

§. 3. Hinc Hebræi omnia animalium genera ad quatuor classes revocant, eorum distinctione à motu externo desumpta, ut alia sint

α. QUADRUPEDIA, amplis satis gressibus progredientia.

β. Alia, VOLUCRIA, alarum subsidio aërem ferientia & se in altum elevantia.

γ. Alia sint NATANTIA, quæ nando gurgite in alto, provehuntur.

δ. Alia sint REPTILIA, quæ in terra *serpunt*, aut in aquis *verminant*, solentque *Hebræi*, ad reptilia referre quoque, omne *insectorum genus* & minuta animalcula, quæ ob exiguos pedes serpere magis quam gradiri videntur.

§. 4. QUADRUPEDUM majorum, sive gradientium generale nomen est בהמה, cujus vocabuli radix in lingua Arabica & Æthiopica etiamnum extat, significatque *mutum esse*, & *nescire loqui*, ut proinde animali loquenti opponatur, quasi dicas animal mutum & brutum, quod Petrus vocat ζῶον ἄλογον & ἄφωνον, 2 *Pet.* II. 12. & 16. Itaque in latissima significatione comprehendit, *Animal terrestre quadrupes viviparum alicujus molis*, dividiturque in duas species, quorum alia sunt

α. MANSUETA, hominum imperio & societati assueta.

β. FERA, quæ in agris & ſylvis, in montibus aut in luſtris degunt. Notandumque quod vocabula generis ſpeciei addita, aliquando alteram ſpeciem ſignificent, atque ita vocabulum בהמה nonnunquam opponitur voci חיה, quæ fera animalia ſignificat, vid. *Geneſ.* VII. 14. & 21. VIII. 1. & 17. atque tunc ſignificat *pecora* & *jumenta*, ſive omne animal manſuetum aut manſuefactum. Huc pertinet etiam vocabulum בעיר, quod ſignificat animal *Paſcuum*, agros & prata depaſcens. Nam qui ab Arabica voce deducunt, & *brutum* ſignificare *ſtupidum*que exiſtimant, illi ordinem invertunt, nam verbum Arabicum iſtam ſignificationem ab hoc vocabulo mutuatur, & ſignificat, *agere animalis in morem*, animadvertente Clariſſ. *Cocceio in Lexico.*

§. 5. VOLUCRIA deſignantur vocabulo Hebraico עוף, à volando, ut ſit *animal bipes, alatum & plumigerum, quod ſe in aërem ulteriorem elevare poteſt. Bipes, Alatum, & potentia in altum volandi præditum* dicitur, ut diſtingueretur à Quadrupedibus, Reptilibus & Piſcibus. *Plumigerum* additur, ut diſtingueretur à Muſcis & aliis inſectis animalculis, quæ alis prædita ſe in aërem efferunt.

α. INNOCUA, & in agro cibum quærentia.

β. Alia RAPACIA, quæ Hebraice peculiari vocabulo עיט vocantur, ab in volando ſeu irruendo, quia in minores aviculas inſurgunt.

Ex iis, quædam ſunt animalia Amphibia, alia in terra ſolummodo degunt.

§. 6. Tertium genus animalium eſt PISCIUM, Hebr. דג piſcem ſignificat: verum & extat generalius vocabulum piſces ſimul ac reptilia comprehendens, nempe רמש, quod motum repentium eleganter exprimit, vid. *Geneſ.* I. 20, 21. Verum cum talia animalia quædam in aquis, alia in tellure reperiantur, nomen illud generale aliquando ultimæ ſpeciei adſtringitur.

§. 7. REPTILIA quoque præterea vocantur vocabulo שרץ, à *verminando*, dum inter ſe motitantur, quod Belgico vocabulo *Krielen* optime videtur exprimi, Latini enim vocabulo carent, quo hunc ſenſum exprimant, involvit enim multitudinem animalculorum confuſo agmine inter ſe moventium.

SECTIO

SECTIO PRIMA.

DE ANIMALIBUS MANSUETIS.

CAPUT I.

DE ELEPHANTO.

§. 1. INcipimus ab *Elephanto*, animali quidem exotico atque ex India in Asiam translato, verum ex immani bellua mansuefactus, tanti est pretii atque æstimationis, ut inter utilissima jumenta referri possit. Hinc *Cajus Jurisconsultus lib.* 2. *ff. ad Legem Aquiliam* ait, *Elephanti & Cameli quasi mixti sunt, nam & jumentorum operam præstant, & natura eorum fera est.*

§. 2. Innotuit hoc animal etiam Hebræis, non tantum ex Syrorum expeditionibus contra Judæos, ut videri potest in libris 1. *Maccab.* VI. 37. & alibi, verum etiam ex adducto *Ebore*, quod Salomon classe instructa ex India accersiri jussit, unde appellationes aliquæ examini subjicienda sunt.

α. Judæi posteriores, vocabulum Syris, Chaldæis, Arabibus & Persis commune, adhibent, dum Elephantum appellant פיל, de qua appellatione videatur *Bochartus.*

β. Antiquiores tempore Salomonis Elephantos appellabant הבים, atque inde Ebur appellatur שנהבים, quasi dicas *dentem Elephantorum.* Verum laborant Philologi de vocabuli origine & etymo. Clar. *Bochartus* deducit ab Arabicorum אקהבים priori syllaba exclusa, ostenditque Elephantos ita dictos à fusco colore, verum doct. Dominus *Majus* animadvertit ב dagessatum, ac proinde radicem statuit הבב, unde Arabum *Habba*, quod *spirare* significat, putatque ita appellatos à *barrisu.*

γ. Discep-

γ. Disceptant quoque viri docti, an Elephantum designaverit *Jobus* Cap. XL. 10. —— 24. sub nomine בהמות, dum alii ejus significationem ad *Hippopotamum* trahunt, quod Clar. *Bochartus* pluribus persuasit. Negari tamen non potest, quod LXX. & *Chaldæus* intelligant omnem bestiam terrestrem vastæ magnitudinis, & posteriores *Hebræi* in specie applicent Elephanto, quam sententiam deffendit quoque doct. *Pfeiffer* in *dubiis vexatis*, neque videmus rationes, sufficientes ob quas vulgarem sententiam desereremus, nam *Hippopotamus* est animal amphibium quod piscibus vescitur, cum בהמות dicatur *gramen comedere, ut boves. Hippopotamus* est animal indomitum, sed de בהמות animadvertit Deus, quod *hominum dominium subierit*, ut posset ad mansuetudinem redigere, neque ullum aliud prædicatum est, quod non Elephanto commode applicetur, ut ex Celeberrimo *Coccei commentario in Jobum* constat. Restat igitur ut denominationis rationem reddamus cum בהמה in singulari significet omnem bestiam in genere, & בהמות in plurali contradistinguatur *bobus* vers. 15. atque *omnibus animalibus agri* vers. 20. Indubium est aliquam speciem animalis ob excellentiam בהמות vocari, eo quod omnibus æquiparari potest, ut sit quasi animal ex pluribus conflatum, & præ reliquis vastum & validum, non aliter ac חכמות vocatur summa sapientia, *Prov.* I. 20. IX. 1. quod Elephanto apprime convenit.

§. 3. Estque Elephantus *animal mole vastissimum, fortitudine robustissimum, forma inconditum, colore varium; alibi enim albi, alibi nigri sunt, cutis illi rimosa & densa*, unde Mauris & Peguanis clypeos & arma præbet, *nuda tamen, rarissimisque setis obsita, unde frigoris impatiens est.* Præcipue in hoc Animali spectandum *caput, patulas habens aures, os fere bovinum, sed quatuor tantum dentibus proprie dictis munitum, inferiorem maxillam solum habet mobilem, superiorem immobilem, ac duobus cornubus eburneis munitum, quæ in maribus reflexa, in femellis propendula conspiciuntur.* Nam cornua non dentes esse anatomia docet, quoniam è cranio proprie, non è maxillis proveniunt, quamvis ob maxillarum viciniam dentes improprie vocari possint. *Loco narium proboscidem habet flexilem, qua manuum vice utitur, cujus extrema pars nervosissima est & tenerrima, unde ejus percussionem valde metuunt, estque tribus apicibus prædita, quibus minutissimas res tanquam digitis comprehendere possunt, unde pluribus ministeriis aptum est animal, idque eo magis quod illi maxima memoria*

moria & calliditas insit, *unde*, Aristoteles, *ad hominem proxime accedere*, *affirmat*, quod tamen doctiss. Philosophus, ex amplitudine & calore cerebri deducit, quod vestigia facile aperit, & retinet, unde constans est imitatio rerum & actionum, quas vidit sibi magistros in exemplum fecisse.

§. 4. In statu naturali *Elephantus*, ob maximum corporis robur, formidandum animal, Aristoteles, *ipsum tota ædificia evertere*, Ælianus, *hostium mœnia destruere*, Ctesias, *palmam arborem eradicare & pedibus conculcare posse*, asserunt, quam violentiam adhibent irritati, unde sequentia notantur in hac bellua vitia.

α. *Ingratitudo petulantissima*: dum enim in campis & sylvis, herbis, frugibus, ac frondibus vescitur, in planis & sylvosis locis stupendas strages edit, arbores grandiores tam diu mole corporis quatit, donec vel scapus frangatur, vel tota arbor cum radicibus veluti quodam terræ motu evellatur, mediocres, proboscide paulo altius prehensas, flectit & confringit, atque ita ramos cum foliis devorat, frutices, dumos, frugesque omnes vel absumit, vel obterit, pedibusque conculcat.

β. *Consociatio* ad mutuam defensionem in opere vastationis, nam catervatim oberrant, ut aliquando centeni conjunctim incedere visi sint, neque facile se mutuo deserunt, sed laborantibus constanter sucurrunt.

γ. *Vindictæ cupiditas* in Elephanto maxime eminet, unde irritati mirum in modum sæviunt, & in agmina invehunt, homines cornubus, mediante proboscide impositos, in altum projiciunt, ac pedibus conculcant, injuriarum admodum tenaces, unde, post longum temporis spatium effluxum, hostibus occurrentes, severam sumunt vindictam.

δ. *Superbia* huic animali domesticum est vitium, adeo ut minimum contemptum non ferat, & irridentibus prompte retribuat.

§. 5. In *statu Mansuetudinis*, hæc bellua hominum directioni cum singulari subjectione subest, quod tamen non nisi post multam operam mansuefactioni impensam, fieri videmus; capiuntur enim astu, mediantibus aliis mansuefactis, idque non uno modo, ut notabimus, in *Tractatu de arte venatoria*, capti autem, fame atque siti extorquentur, dein inter duos mansuetos unus ducitur, qui illum ferocientem castigant, atque cornubus & dentibus ita percutiunt, donec omnem fe-

rociam depoſuerit, à quo tempore artifex illi adblandiri, & gratiorem alimoniam ſuppeditare incipit, atque obedientiæ præmia affatim præbere, unde ſucceſſu temporis tam placidum fit hoc brutum, ut canis inſtar è manu rectoris cibum capiat, dominumque appropinquantem proboſcide complectatur, à quo tempore ſtupendum hoc animal quibuſdam virtutibus ornatum incedit, quales ſunt

α. *Manſuetudo* maxima, qua peculio domini ſui parcit, nihilque accipit præter penſum illi adſtitutum.

β. *Fidelitas* in defendendo domino ſuo, adeo ut aliquando ſe dominorum loco, hoſtibus objecerit occidendum.

γ. *Docilitas*, qua diſciplinarum variarum capax eſt, docuerunt enim artifices Elephantos, ſaltationes exercere, genua coram rege ſubmittere, coronas porrigere, lapides projicere ad ſcopum, armis uti, & ſimilia.

§. 6. Hinc eſt quod humano generi fiat utiliſſimum animal

α. Indi enim olim *in bello* adhibuerunt Elephantos, qui armatorum turres in hoſtes ferebant, acies frangebant, milites proſternebant & pedibus conterebant; verum poſtquam obſervatum eſt, viſo igne facile conſternari, & introducto pulvere pyrio, omnis eorum uſus evanuit bellicus, niſi quod tormentis protrahendis adhuc adhibeantur.

β. *In pace* aratrum protrahunt, grandia onera geſtant, & itinerantes vehunt, aliaque munia, etiam ſupra fidem, obeunt.

§. Inter *Hoſtes* ejus referuntur *Rhinoceros*, *Leo*, *Tigris*, *Serpens* & *Dracones*: antipathiam intercedere Elephantum inter & *Porcos*, *mures* atque *hirundines* affirmant Phyſiologi.

§. 8. In *Theologia Hieroglyphica*, emblema eſt, ſtupendæ ſubjectionis maximarum poteſtatum ſub imperio Chriſti & Eccleſiæ: quatenus feroces animos deponunt & Eccleſiæ operam navant, tanquam Elephanti manſuefacti, quam metamorphoſim Elephantorum eleganter verſibus repræſentat *Oppianus* apud *Cocceium in Job. cap.* XL. §. 34. Notandum itaque, quod ſicuti Minora animalia in ſacris ſunt emblemata hominum, virtutibus aut vitiis conſpicuorum, ita Majora repræſentant corpus politicum ex multis hominibus collectum, una cum vitiis aut virtutibus in illis ſocietatibus conſpicuis, & ſicuti Manſueta animalia repræſentant homines aut hominum ſocietates, in quibus eſt vita Dei per ſpiritum manſuetudinis, ita quoque Fera animalia repræſentant homi-

homines, aut hominum ſocietates, qui efferati, ſpiritu Dei carent; quibus præmiſſis facile videmus, Elephantum, natura ferum, ſed arte manſuefactum, repræſentare maxima imperia, primo Eccleſiæ infeſta, deinde illi ſubjecta, ut non amplius noceant, ſed potius illi miniſtrent. Ac proinde ſequentes analogiæ facile eruuntur.

α. Quod Elephas in ſtatu naturali, ſit repræſentamen *ſocietatis ex pluribus populis conflatæ*, ſicuti בהמות eſt animal quaſi ex pluribus belluis conflatum, atque proinde in hoc corpore politico notanda eſt

a. *Vita*, à communione Dei aliena, in qua prædominium exercent elephantina vitia, ferocia nempe, ſuperbia, vindictæ cupiditas, &c.

b. *Noxa*, quam elephantorum in morem in agros, hortos, vineas, ſylvaſque inferunt, quæ cum ſint emblemata Eccleſiæ, verbo Dei excolendæ, illarum rerum deſtructio, egregie repræſentat perſecutiones, quas Eccleſia ſæpe patitur, ab indomitorum illorum animalium ſyſtemate.

c. *Refrænatio*, à providentia divina belluis per inſtinctum inſita; ſicuti enim elephanti fœnum & gramen comedunt inſtar boum, ita quoque gentibus Deus dedit diſciplinam; cujus interventu, fideles, extra tempora ferociæ, inter ipſas degere poſſunt.

β. Idem Elephantus in ſtatu diſciplinæ *manſuefactus*, commodum hieroglyphicum eſt, ſubjectionis Monarchiarum & imperiorum ſub Eccleſia. Nam

a. Sicuti bellua iſta, à manſuefactis allecta, introducitur in ſepta, ita quoque fœdera politica, & imperia Eccleſiæ miniſtrantia, nova imperia alliciunt, ut reges & principes cum ſuis ſubditis, in ſepta Eccleſiæ ingrediantur.

b. Ut iſta bellua ferociſſimum animum deponit, non ex amore conſuetudinis humanæ, verum ex metu, dum à manſuetis huc adigitur, ita Deus immaniſſimos homines, peculiari judicio, in bonum Eccleſiæ, ita ſubigit, ut licet Deum non ament ex corde, Chriſto tamen coguntur mentiri.

c. Ut bellua iſta, in ſtatu manſuetudinis, abſtinet ab omni deſtructione agrorum, propria indole abnegata, ita hi quoque damnata propria ſapientia & judicio, Eccleſiam illæſam non tantum relinquunt, verum etiam ejus conſuetudinem amplectuntur, ver-

bum veritatis libenter audiunt, fidelium honeſtate delectantur, ſeſeque, ipſorum tutela & felicitate, beatos exiſtimant.

d. Ut bellua iſta patitur ſe regi à quolibet parvulo, ita hi quoque, imbellium Chriſti miniſtrorum doctrinam & judicia, miti animo ferunt, quia pro fidelibus Chriſti membris haberi volunt, etiamſi non ſint.

e. Ut bellua iſta manſuefacta, humano generi utiliſſima eſt in geſtandis oneribus, ita imperia, etiamſi Chriſto mentientia, magnam utilitatem Eccleſiæ præſtant, eam à multis oneribus ſublevantia, quæ requiruntur ad promotionem externi cultus, dum reditus requiruntur ad templa condenda, miniſtros alendos, pauperes ſublevandos, &c.

f. Ut bellua manſuefacta utiliſſima ſit in bello adverſus hoſtes gerendo, ita hi quoque, quando univerſus mundus adverſus doctrinæ Chriſti veritatem inſurgit, utilem navant Eccleſiæ operam, dum ejus cauſæ implicati, coguntur quoque eam defendere pro viribus.

Huc alludit Deus, volens Jobi animum erigere, ut à coërcitione elephantorum ſumeret exemplum, quam facile Deo ſit robuſtiſſimorum imperiorum potentiam refrænare, aut etiam Eccleſiæ ſubjicere: ac proinde nihil metuendum eſſe, etiam, quando maxima imperia quovis modo ferociunt.

CAPUT II.

DE CAMELO.

§. 1. Elephanto adſtituendum eſſe *Camelum* exiſtimamus, quia etiam ex fero manſuefieri ſolet, fuit hoc animal olim, ut & nunc, Arabibus & Bactrianis indigenum, qui in hoc peculio ſuas divitias conſtituebant, vid. *Job* I. 3. XLII. 12. Ipſe David Camelorum gregem aluit, 1 *Chron.* XXVII. 30.

§. 2. Nomen Cameli, non è Græcia, ſed ex Oriente Europæis innotuit; Arabes enim גמל (Gemlo), Hebræi גמל (Gamal) Camelum vocant, hoc nomen etiam retinetur inter Perſas. Verum circa ejus originem laborant Philologi, quoniam enim radix גמל *plene tribuere*,

retri-

retribuere, & *ablactare* ſignificat, rationem appellationis non eodem modo deducunt. Qui ab *ablactando* derivant, illi putant denotare Camelum juvenem, verum cum uſus oſtendat nomen eſſe generale, omni Camelorum ætati conveniens, alii (inter quos Clar. *Bochartus*) potius à *retribuendo* deducunt, notantque animal eſſe μνησίκακον ad ultionem pronum. Verum neque hæc ſententia ſatisfacit doct. domino *Majo*, quia hoc nec ſoli Camelo, nec ſemper competit: quoniam vindictæ cupiditas major eſt in Elephanto, & in Camelis potius eſt furor à libidine ardente, extra quem ſtatum, Camelus eſt mitiſſimum animal; accedit etiam, quod non ſit veriſimile, Adamum, in ſtatu rectitudinis, animali utiliſſimo, nomen à vitio impoſuiſſe. Jubet ergo ut reſpiciamus ad primam ſignificationem, qua גמל notat *plane tribuere*, atque ita, *omni intentioni deſiderantis affatim ſatisfacere*, quæ ſignificatio animalis dignitati undiquaque convenit, quoniam hominibus maxima beneficia præſtat, majores enim utilitates à Camelo, quam à cæteris jumentis ſperare licet, ut poſtea videbimus. Præter hoc nomen generele, adhuc duo alia ſunt ſpecialia apud Prophetas.

α. בכרה quod eſſe nomen ætatis, & ſignificare Camelum juvencum, Cl. *Bochartus* evincit: conf. *Jer.* II. 23. *Jeſ.* LX. 6. ex quibus locis colligere licebit, animal eſſe Arabicum, iſtius ætatis, ut jam leviora onera geſtet, juniores autem utplurimum ſervantur, vehendis hominibus & levioribus ſarcinis, atque à majori celeritate laudantur.

β כורכר quod nomen occurrit *Jeſ.* LXVI. 20. atque Interpretes magno conſenſu pro Camelorum ſpecie habent, quia recenſetur inter jumenta Arabum, & ab Equis & Mulis diſtinguitur. Nomen habet à כורכר, quod *ſaliendi* notionem obtinet, vid. 2 *Sam.* VI. 14. ut proinde ita vocitetur ob velocitatem curſus, hinc habent pro *Dromade* Interpretes.

§. 3. Eſt autem Camelus, *animal craſſum, procera ſtatura, ac longis, flexilibuſque cruribus inſigne, cui collum elatum, cui tuber unum aut duplex in dorſo, quod illi peculiare & domeſticum eſt: cæterum animal eſt mite, quod facile manſueſcit, & ſervituti aſſueſcit, bove inter jumenta fortius, quia graviora fert onera, equo velocius, quæ velocitas illi eſt ab amplitudine paſſuum, onus, cui aſſuetum eſt, dudum & fortiter portat, verum gravius non ſuſcipit, nec ultra aſſuetum ſpatium facile procedit, iter* XL *& pluribus diebus continuat, famem ac ſitim ad aliquot dies tolerat, non etiam niſi quinto die ſemel bibit, & ſi opus eſt ſitim per decem & plures dies ferre*

 poteſt,

potest, quod in Lybia, Arabia & Persia, ubi amplæ regiones sunt sabulosæ & siccæ, in quibus aqua & pascua desunt, valde utile est. *Pabulum quod attinet, Camelo, onere levato, datur modicum, herbæ, spinæ aut rami arborum, ut proinde sit animal minimæ impensæ.* Arabes eos à primis annis castrare solent, quia castrati, & mitiores, & fortiores, evadunt; censentur quoque *longævi*, ut aliquaudo centum annorum ætatem attingant.

§. 4. Ob tantas qualitates facile concipimus esse utilissimum animal, ad labores, hominum causa, atque loco, subeundos, natum, tubera enim quæ in tergo habet, id ipsum arguunt.

α. Adhibitus fuit Camelus jam olim rebus vehendis, nempe *Hominibus*, *Genes.* XXIV. 10, & 64. XXXI. 17. 1 *Sam.* XXX. 17. *Sarcinis & mercibus*, *Genes.* XXXVII. 25. *Jes.* XXX. 6. *Commeatui* & *rebus pretiosis*, 1 *Chron.* XII. 40. 1 *Reg.* X. 2. 2 *Reg.* VIII. *vers.* 9. unde conspiciuntur affatim in Caravanis, quorsum respicit locus *Jes.* LX. 6. ubi שפעת גמלים *turma camelorum*, ipsam Caravanam Arabum, significare videtur.

β. Jungebantur quoque quadrigis seu curribus, cujus rei exemplum est in vita Neronis, apud *Suetonium cap.* 11. qui, *Neronem in Circensibus commisisse camelorum quadrigas*, refert; & *Lampridius* de Heliogabalo testatur, quod *junxerit quaternos camelos ad currus in circo, privato spectaculo.* Ex quibus exemplis illustrari potest locus *Jes.* XXI. 7. ubi sit mentio רכב גמל, id est, *currus cameli*, quem nempe camelus protrahebat.

γ. In bello etiam utilem navabant cameli operam, nam teste *Plinio*, in *prœliis equitantur*, *lib.* VIII. *cap.* 18. Exempla quoque occurrunt in sacra Scriptura, *Jud.* VII. 12. VIII. 21, & 26. 1 *Sam.* XIII. 17. quod ex *Diodoro Siculo*, *Herodoto*, *Strabone* aliisque illustravit Clar. *Bochartus.*

§. 5. Verum hoc animalium genus alium quoque Arabibus præstabat *usum*, qui ad victum & amictum spectabat.

α. Ex Camelorum *Pilis* olim vestimenta conficiebantur, cujus exemplum *Matth.* III. 4. ubi Joannes Baptista dicitur habuisse vestimentum ἀπὸ τριχῶν καμήλου, de quo Philologi disceptant, an fuerit ex pilis camelinis contextum? an vero ex ejus cute desumptum? quam quæstionem referimus ad *Tractatum de re vestiaria.*

β. Ca-

β. Camelorum *Lac* ſuaviſſimus habetur cibus, quo veſcuntur Arabes, quod etiam confirmat *Ariſtoteles*, affirmans, *lac camelorum cætera lacticinia animalium excedere dulcedine.*

γ. Affirmant quoque Arabes Camelorum *Carnem* gratiſſimum præbere cibum, & Arabibus familiarem, à qua carne tamen abſtinere debuerunt Judæi, propter leges quæ extant *Lev.* XI. 4. *Deut.* XIV. 7. ubi habetur inter cibum impurum. Camelus enim, etiamſi quidem ruminet, cum tamen ſciſſas ungulas non habeat, Iſraëli proponitur ut immundus ad cibum. Dubium contra hunc locum movent, qui Moſis authoritatem infringere laborant, adducentes Camelum non eſſe animal ſolidungulum, verum habere diviſas ungulas, ac proinde à Moſe, non ob juſtam cauſam, inter impura animalia recenſeri. Reſpondemus, Camelum quidem habere ungulas ſuperne ad baſin uſque diſtinctas, ut videantur quidem incautioribus, bovinis & vaccinis ſimiles, verum tamen, cnm ungularum baſis, ſive pars inferior, ſit ſolida & revera una, adeo ut alicubi equorum inſtar calceari ſoleant, jure merito Moſes camelo legem applicat, quæ in puris animalibus exigit ungulas bifidas, tam ſuperne quam inferne diſciſſas; hoc enim ſignant verbum שסע tam in Hebræa quam in Arabica lingua, vid. *Pfeifferi dubia vexata* ad locum *Levit.* XI. 4.

§. 6. Camelus commendatur quoque à meliori *indole*, quod ſit

α. Animal *mitiſſimum & tractabile*, unde *Clemens Alexandrinus lib.* III. *Pædagog. cap.* 3. *Camelos* ait *ipſis barbaris hominibus mitiores eſſe, ac dominos ſuos deportare per vaſtas ſolitudines, ac ſimul paſcere, neque* μνησικακεῖν, *quamvis injuria afficiantur.*

β. Animal eſt valde *docile*, guod inter Arabes affirmat Scriptor doct. *Muhamed Damir*, vid. etiam *Scaligeri exercitationem* 209. adv. Card.

γ. Commendantur etiam à *frugalitate*, veſcuntur enim gramine, fœno & quibuſvis obviis dumetis, quibus tamen ſe non opplent, ſed pauciſſimis contenti, inediam & ſitim diu tolerant.

δ. Inſignis etiam illis eſt φιλοςοργία, uno enim illorum à pabulo ob morbum aliamve cauſam abſtinente, cæteri quoque omnes quaſi ſocii vices dolentes, ſimul abſtinent.

ε. Commendantur quoque à *caſtitate*, nam in ſolitudine coeunt, & ab inceſto coitu abſtinent, & plane abhorrent, cujus rei exemplum *Ariſtoteles* habet, in ſua *animalium hiſtoria.*

§. 7. In

§. 7. In *Theologia Hieroglyphica*, Cameli & Dromades non ſunt prætereundi, propter duo inſignia teſtimonia, quæ extant *Jeſ.* LX. 6. LXVI. 20. in utroque loco agitur de regno Eccleſiæ, & ſub emblemate Caravanæ Arabicæ, repræſentatur quarumdam gentium ad Eccleſiam converſio, ibique ductores occurrunt, multa pretioſa camelorum ope adducentes, quæ ad regni majorem gloriam erant impendenda. Animadvertentibus dubium eſſe nequit, quin Cameli & Dromades, in emblematicis illis prophetiis, ſint repræſentamina *Nationum*, ab *Inſulanis*, aliiſque *Japhetitis* diſtinctarum, ut nihil promptius ſit, quam ibi *Muhammedanos Arabes* & *Perſas* denotari, & *quotquot in Oriente degunt*, quibus Camelus eſt animal domeſticum, quia illorum ductores deducuntur ex *Midiam*, *Hepha* & *Scheba*. Proinde non alienum à ſcopo exiſtimari debet, ſi dicamus, *Muhammedanorum Orientalium converſionem, & adductionem ad regnum Eccleſiæ, una cum illorum converſoribus & ductoribus repræſentari*, neque etiam abludit analogia, nam

α. Si utriuſque *indolem* conferamus, occurrit

a. *Ingenium* manſuefactum in Camelis: ita Muhammedani inter barbaros non ſunt recenſendi, poſtquam è religione Chriſtiana talia principia hauſerunt, quibus ab erroribus gentilium liberati fuerunt. Muhammed enim, quamvis vaferrimus impoſtor, ex utraque religione tam Judaica, quam Chriſtiana, novam diſciplinam conflavit, qua multarum gentium ferociam edomuit.

b. *Ruminatio* annotatur ut Camelo competens, quæ in lege typica ſignificat, cognitionem veritatum quarumdam, ex uſu ratiocinii, in Muhammedanis cum obſervetur acutiſſimum ratiocinium metaphyſicum de Deo, ejuſque attributis, decretis & operibus, videntur commode haberi inter ruminantes, & acuto ratiocinio utentes.

c. *Impuritas* tamen, quæ illis attribuitur in lege ob defectum ungularum diſſectarum, emblema eſt inconſtantiæ & inſtabilitatis: atque ita Muhammedaniſmus eſt apoſtaſia à Chriſtianiſmo, dum jactant ſe corrupti Chriſtianiſmi eſſe reſtauratores, Jeſum ut Meſſiam admittunt, & Novum Teſtamentum à Deo datum eſſe agnoſcunt, nil aliud cauſantes, quam quod priorum ſeculorum Chriſtiani, non pure conſervaverint, unde neceſſitatem, mittendi novum Prophetam, colligunt.

d. Et

d. Et ſicut Judæis non licuit, ſtante priori œconomia, *veſci carne camelina*, quandiu ſeculum diſtinctionis inter pura & impura animalia duravit, ita Chriſtianis non licet Muhammedanis uti tanquam cibo ſpirituali, iſt eſt ſpiritualem cum illis exercere communionem, quamdiu tempora excluſionis durant, cum illorum hominum purificatio reſervata ſit regno Eccleſiæ.

β. Si reſpiciamus utriuſque *utilitatem*, & quidem

a. In *bello* camelorum magna eſt utilitas, dum jaculatores celeriori curſu in hoſtes deducunt & reducunt, & equos ſuo conſpectu ac odore turbant, quo ſtratagemate Cyrus uſus eſt adverſus Crœſum; ita quoque Chriſtus rex ſæpe refrænavit hoſtes Eccleſiæ, ac præcipue copias anti-Chriſti fugavit, vocando contra eos reges ex Oriente. Vid. *Dan.* XI. 44. *Ezech.* XXXVIII. 13. & alibi.

b. In *pace* Camelus, inter jumenta, eſt commendatiſſimus, cui generi animalium cum aſſimulentur *Nationes Orientis*, poſtquam Euangelio fidem ſubjicient, proculdubio in illis ſpectabiles erunt

1. *Singulares virtutes* in Camelis annotatæ, quales ſunt, paucis contenti eſſe, rebuſque mundanis parce uti, labores maximos indefeſſo animo tolerare, φιλοςοργίᾳ ejuſdem fidei ſocios proſequi, mitiſſimo ingenio, & manſuetudine, injurias diſſimulare, imo & condonare, modicæ ſe diſciplinæ ſubmittere non aliter ac Cameli, qui modice ſuper genua percuſſi, ſeſe ſtatim ſubmittunt; quales virtutes hominem Chriſtianum demum vere ornant.

2. *Peculiaria officia*: repræſentantur enim ut in Caravana *aurum* & *thus* adducentes, & quidem conſiderantur, ut *Juvencæ* & *Dromades.* Sub quo emblemate oſtenditur, illas gentes aliquando regnum Eccleſiæ ædificaturas, adducendo plurima quæ cultum publicum ornare poſſunt. Conf. *Pſal.* LXVIII. 32. LXXII. 10. In quo officio præſtando conſideratur

ι. Maxima *ſpontaneitas*, repræſentata velocitate Juvencarum & Dromadum.

ϑ. *Utilitas*, repræſentata muneribus, *Aurum* enim ad ædificationem templi ſpiritualis, eſt ſymbolum ſapientiæ divinæ: atque ita Arabum converſio, forte multum conducet ad illuſtrationem linguæ, & rituum ſacræ Scripturæ. *Thus* ſuppeditabat materiam thuribulo, è quo Thymiamatum fumus

ascendit; estque symbolum cultus divini boni odoris, & *Jes.* LXVI. 20. dicuntur *adductura* מנחה Jehovæ. Confer *Mal.* I. 11. quod quoque ad sacrificia pertinens, significabat, totum eorum cultum fore cibum Deo gratissimum.

CAPUT III.

DE EQUO.

§. 1. EQuus Camelo dignitate proximus, alterum ab eo locum flagitat, & quidem propterea non minus æstimandus, quia ubique terrarum facile vivit, quod in prioribus duobus animalibus locum non habet. Hinc in Hebræorum gente rex Salomon, peculiari studio, equos sibi comparavit, & ex Ægypto, ubi generosiores nascuntur, accersiri jussit, vid. 1 *Reg.* IV. 26. X. 26, 29.

§. 2. Equus Hebræis generali & proprio nomine appellatur סוס, quod nomen utraque lingua, tam Chaldaica, quam Syriaca retinet. Etymologiæ rationem varie tradunt Philologi

α. Dum alii deducunt à verbo נסס, abjecta prima litera נ, quod verbum significare volunt *sursum attollere*, atque ita exprimere, Equorum proceram staturam, elatam cervicem, & saltandi consuetudinem, qua in altum feruntur. Verum quia radix ubique applicetur elationi vexillorum, non videtur proprie respicere ad significarionem attollendi, quam quidem vexilli & vexillandi.

β. Rabbi *Bechaï* nomen deducit à verbo שוש, quod *gaudere* atque *hilarem esse* significat, atque ita nomen accepisse ab alacritate existimat, quæ sententia tolerabilis est.

γ. Clar. *Bochartus* deducit à verbo Arabico סאסא, quod *regere* & *moderari* significat, quia animal docile est, ac disciplinæ capax, seseque vel verbis regi sinit.

δ. Celeb. *Cocceius*, propter plura derivata, ab eadem radice antiquata, existimat, equum hoc nomen accepisse à celeri cursu, quod videri potest in *Lexico*.

Præter hoc nomen generale aliud occurrit speciale *Esth.* VIII. 10. ubi occurrit vocabulum רמך, quod *Equam* significat, prout & apud Arabes רמכה, quod forsan inter Persas olim obtinuit, nam notandum est,

est, quod in historia *Estheræ* plurima vocabula Persica occurrant. Equus etiam vocatur אביר, quod tamen potius nomen eucomii quam proprium videtur, quia & bobus & hominibus attribuitur, & ex etymo suo significat *robustum fortem ac validum*, neque stylo sacro inconsuetum est, adjectiva adhibere loco substantivorum, quasi per substantivi ellipsim, ita equi vocantur *Jud.* V. 22. *Jer.* VIII. 16. XLVII. 2, 3. L. 11.

Occurrunt etiam tria alia vocabula, quæ nonnunquam equos significare statuit *Bochartus*.

α. פרש, quod Equitem significare extra dubium est, verum Equum potius significare in quatuor locis, nempe 1 *Sam.* VIII. 11. 2 *Sam.* I. *vers.* 6. *Jes.* XXI. 7. XXVIII. 28. pluribus vult vir doctissimus, verum an sufficientes ob rationes dubitari potest, nam 1 *Sam.* VIII. 11. cum de rege dicitur, quod *filios eorum poneret super currus & equos*, an equites, dubium? an non ultimum præferendum sit, & 2 *Sam.* I. 6. בעלי־הפרשים, LXX. Interpretibus sunt οἱ ἱππάρχαι. Belgæ vertunt *Ritmeesters*, id est, equitum capitanei; locus *Jes.* XXI. 7. ex collatione vers. 9. recte vertitur per *Equitum*, & *Jes.* XXVIII. 28. *Impulerit rotam plaustri sui & equos*, (an *equites* suos?) *nam comminuet eum.* Quidni enim dominus dici potest impellere eos qui equis insident, ut diligenter triticum per plaustra comminuant?

β. רכב, quod *Currum* significare constat, idem *vir doct.* in tribus locis etiam Equum significare existimat, nempe 2 *Sam.* VIII. 4. X. 18. 1 *Chron.* XVIII. 4. Verum quidni ellipticum dicendi genus ibi agnoscendum esse statuemus? ut subintelligatur vocabulum Equus, atque tunc indigitabit equos currules, curribus trahendis destinatos.

γ. רכש, quod occurrit 1 *Reg.* IV. 28. *Esth.* VIII. 10, & 14. *Mich.* I. 13. non uno modo accipitur ab Interpretibus, quamvis omnes in eo consentiant, aliquod jumenti genus, singulari velocitate præditum, indigitari; *Elias Levita*, quem sequuntur *Belgæ*, putat significare *Dromades*; Chaldæi, quos sequitur *Bochartus*, interpretantur *Equum*; alii putant indigitari *Mulum*, quia Rabbi *David Kimchi* conjicit jumentum esse ab equis distinctum, quia cum equis jungitur hoc vocabulum, ut distincta solent, non tamen determinat jumenti speciem, & res ipsa adhuc videtur in obscuro.

§. 3. Est autem Equus, *jumentorum omnium nobilissimum animal, cui corpus non est solum, propter membrorum proportionem, pulchre compositum, verum etiam propter firmissimam eorum compagem, validissimum, cujus peculiaris ornatus est in juba qua superbit*, unde apud *Job.* XXXIX. 22. *collum ejus induisti juba*, (Hebr. רעמה) quod Clar. *Bochartus* post *Arnoldum Bootium* ita vertendum esse solide defendit: *caudam habet setigeram, amplam & longam*, unde animalis *venustas etiam commendatur. Ingenium habet generosum & imperterritum*, quod exaggerat Deus. *Job.* XXXIX. 19. — 25. idque septem argumentis adstruit, quæ expenduntur à Celeb. *Cocceio* in hunc locum. Nec non illi inest *docile ingenium postquam disciplinæ subjectus fuit*, & *memoriæ sensualis non contemnenda extant specimina.* In equis varii notantur colores, vid. *Zach.* I. 8. VI. 2. *Apoc.* VI. 2. — 8. nempe *Albus*, *Ruber*, *Niger*, & *Puniceus*, de quibus vid. viros clar. *Bochartum* & *Cocceium.*

§. 4. Equos emittebat generosiores Ægyptus, 1. *Reg.* X. 28, 29. conf. *Jes.* XXXI. 1. & 3. *Cant.* I. 9. Nec non *Togarma*, id est, *Cappadocia*, vid. *Ezech.* XXVII. 14. imo & *Assyria*, cujus equi à velocitate commendantur, *Hab.* I. 8. *Jerem.* IV. 13.

§. 5. Jumentorum quoque erat *utilissimum*, præcipue

α. In *bello*, vid. *Exod.* XIV. 9. & 17. *Hab.* I. 8. *Jer.* XII. 5. Unde animal apud gentes Marti sacrum, quod Idibus Decembris immolabatur. Hujus robori ne nimium confiderent Judæi, hinc inde sparguntur monita, ne putarent equos valere sine Deo, *Psal.* XXXIII. 17. *Prov.* XXI. 31. Neque tantum equites vehebant, sed & currus falcatos, qui in sacris vocantur *currus ferrei*, de quibus plura apud *Curtium.*

β. In *Pace*, Equi habebantur jumentorum nobilissimi, qui

a. Vehebant viros principes & nobiliores, vid. *Esth.* VI. 8. *Eccl.* X. 7.

b. Regios trahebant currus, ad majestatem, *Cant.* I. 9. *Zach.* VI. 2. — 6.

c. In mercatura portabant quoque onera, *Ezræ* II. 66. *Nehem.* VII. 68.

Reliquis muneribus servilibus non legimus ita adhibitos fuisse in Oriente, non plaustra vehere, non terram vomere proscindere, quod potius bobus relinquebatur, quia animal habebatur nobilissimum. Hinc notandum quod doct. *Ludolphus* narrat, *Gregorium Abyssinum* nostrorum

rum equorum misertum fuisse, cum videret illos ingentia plaustra trahere, illorum patientiam, nostram vero inclementiam miratus, quasi bellicoso hoc & nobili animali, ad labores serviles abuteremur.]

§. *6.* Huic animali

α. *Vitio* vertitur, quod sit

a. *Libidinosum*, unde *Plinius*, equis amoris innasci veneficium Hippomanes appellatum, ejusque effigiem locatam fuisse ante Veneris genetricis ædem, refert

b. *Lascivum*, quod eleganter exprimit *Buchananus* hoc versiculo,

Libera seu vacuis ludit lascivia campis.

c. *Imprudens*, quandiu adhuc est indomitum, maxima cum temeritate pericula adiens, & indomito saltu se vulneribus exponens.

β. Commendatur tamen, postquam domitum est animal, à *variis virtutibus*, nempe quod equus sit

a. *Docilis*, & disciplinæ valde capax, facile enim discit

Aut molles glomerare gradus, aut flectere gyros.

b. *Ductilis*, semet gubernatoris directioni ad nutum subjiciens, ut abeat quorsum ille velit.

c. *Robustus*, *Job.* XXXIX. 22. & 24. *Psal.* CXLVII. 10.

d. *Generosus*, non facile in bello cedens periculis, quod egregie adumbrat Deus apud *Jobum* XXXIX. 22. — *29.*

e. *Velox*, & celeri cursu incedens, *Zach.* VI. 7.

§. 7. In *Theologia Emblematica*, Equus est Hieroglyphicum Societatis ducendæ in prælium, sub sessoris aut rectoris auspicio, propter ejus robur & generositatem, aliasque virtutes, in hostilia arma fortiter invadens, atque sub hac relatione est repræsentamen

α. *Angelorum*, quatenus habent fortitudinem & generositatem incomparabilem in exequendis Dei mandatis, qui occurrunt sub repræsentamine exercitus *ignitorum equorum & curruum*, 2. *Reg.* II. 11. VI. 17. conf. *Psal.* LXVIII. 18.

β. *Gentium*, sub Dei tamen ductu & auspicio, educendarum adversus Ecclesiam aut populum Dei; ita

a. *Zach.* I. 18. & sequentibus, occurrit in visione Angelus fœderis, equitans in *Equo rufo*, & consistens inter *myrtos*, penes quem erant *Equi rufi*, *punicei & albi*, qui à Deo mittebantur ad per-

vadendam Palæſtinam, ubi *Myrtus* erat emblema Eccleſiæ Judaicæ, in cujus medio erat Angelus Domini; *Equi* autem reliqui ſignificabant hoſtes in Judæam immittendos, qui myrtetum Dei ingrederentur; Equus autem *rufus*, quem conſcenderet Angelus fœderis, denotabat *Perſas* tempore Darii, quem ita frænavit Rex populi, ut coactus fuerit ſubſiſtere, & conatibus Judæorum, templum ædificantium, nequaquam obſiſtere. *Equi* ſubſequentes *rubri* denotabant gentes ſanguinarias; *Punicei* ſeu *ſpadices*, gentes mixti & medii generis; *Albi* autem pacificas, quæ Judæos, ſed refrænante Deo, invaderent.

b. *Zach.* VI. 1. & ſequentibus, in viſione prophetica occurrunt *quatuor currus, cum junctis equis atris, albis, grandinatis* & *rufis*, emblemata quoque ſunt variarum gentium, *Medorum*, *Perſarum*que, *Græcorum* ſub Alexandro, *Seleucidarum* ac *Romanorum*, de quibus vid. *Cocceium in comment.*

c. Etiam *Equi currules* occurrunt *Habac.* III. 8. ubi textus ait, *Quando equitas in equis tuis, currus tui ſalus*; hi equi emblemata erant barbararum gentium, in quibus Deus aliquando equitaret, quando eas excitaret ad caſtigationem Eccleſiæ, & dirigeret. Verum currus equos ſequentes adducerent ſalutem, quia conſequens judiciorum Dei, ſemper eſt Eccleſiæ ſalutiferum.

γ. Ipſius *Eccleſiæ*, quæ conſtat ex fidelibus in certamen cum Diabolo & mundo educendis, ductore Chriſto & Spiritu Sancto, aut in triumpho producendis, eſtque hic multiplex analogia pro varietate ſtatus, atque conditionis equi: nam

a. *Equus ante diſciplinam*, eſt animal ſuis vitiis conſpicuum,

1. Propter *libidinem*, quæ eſt quoque vitium, hominibus carnalibus aute diſciplinam verbi Dei, valde familiare, ita plurimæ gentes, in cultu Veneris, libidini indulſerunt, quod imitati fuere Judæi & Iſraëlitæ, unde arguuntur quod *equorum libidinem fuerint imitati*, *Jer.* V. 8. *Ezech.* XXIII. 20.

2. Propter *laſciviam*, tales quoque ſunt gentes indiſciplinatæ, quæ ſolummodo agunt ſecundum concupiſcentias voluptuoſas, quod Apoſtolus vocat *in voluptatibus vivere.*

3. Propter *imprudentem* temeritatem, quæ præcipuò pateſcit in hominibus carnalibus, qui intemerato auſu omnia tentare ſolent, quæ è dictamine carnis profluunt: Huc reſpicit locus,

Pſal.

Psal. XXXII. 9. *Ne estote ut equus & mulus nihil pendentes, cujus os refrænandum fræno, ac habena, ne ad te accedat*, nihil enim pensi habent, an sacra an profana pedibus conculcent.

b. Verum quando *Animal hoc disciplinatum est*, jumentorum fit optimum ac vere regium. Sub hac relatione *societas fidelium Ecclesiam constituens*, habet se *instar equi*, sub disciplina Christi ductoris & directoris, ita vocatur *Ecclesia*, *Zach.* X. 3. *equus majestatis Christi in prælio*, conf. *Psal.* LXVIII. 5. *Apoc.* XIX. 11. idque non ob unam analogiam.

1. Quia equus est animal *ductile*, quod patitur se ad lubitum sessoris regi, ita pii quoque, quando propriæ renunciarunt voluntati, ad minimum Christi nutum se dociles, ductilesque gestant.
2. Quia equus est animal *insigni robore præditum*, ita pii quoque incedunt in *omnimoda fortitudine Dei*, *Psal.* LXXI. 16. LXXXIV. 6. — 8. per quam omnia valent, auxiliante Christo, qui illos corroborat, *Philip.* IV. 13. eamque fortitudinem exercent, in superando mundo, debellando peccato, ac tolerandis afflictionibus, talia præstantes, quæ cæterorum hominum potentiam longe excedunt.
3. Quia equus est *Generosum animal*, & quo generosius, eo minus alienum ductorem agnoscit, ita quoque idem est in fidelibus ingenium, plane heroicum, quod, quotiescunque Christi, aut salutis negotium agitur, iis se prodit indiciis, ut aspectantes possint dare in stuporem.
   - ℩. Nam neminem agnoscunt ductorem, præter Christum, non enim patiuntur in Ecclesia dominium humanum, nisi valde reluctantes.
   - ϑ. Quia imperterrito animo difficilia aggrediuntur, pro Christi nomine.
   - ℣. Quia nullis minis moveri possunt, ut retrorsum abeant, *similes Potentibus, conculcantibus lutum platearum in bello, quando præliantur, quia Jehova cum ipsis est, & vel pudefacientes eos, qui insident equis*, *Zach.* X. 5.
4. Quia equus est animal insigni *celeritate* præditum, neque aliter pii, qui multa alacritate in stadio decurrunt, *Philip.* III. 14. aut hostes insequuntur:

5. Equus

5. Equus eſt animal *Majeſtatis*, unde ſub regio ductu inſignem admittit ornatum, qui ponitur

ℵ. In *pretioſis frænis* & *habenis*, ita quoque Eccleſia pretioſam habet diſciplinam & regimen: Huc reſpicit *Cant.* I. 10, 11. *Decoræ ſunt genæ tuæ in capiſtris, collum tuum in habenis, capiſtra ex auro faciemus tibi, cum punctis argenteis:* ubi

α. *Capiſtra* pertinent ad diſciplinam cohibentem & refrænantem, quæ pretioſior auro eſt, & interſtincta *punctis argenteis*, id eſt, afflictionibus, nam ſtigmata afflictionum, pro nomine Chriſti latarum, non ſunt ad pudorem, ſed potius gloriæ argumentum.

β. *Habenæ* pertinent ad regimen & ductum verbi divini, ad cujus effata, collum vertit Eccleſia, erigit, atque ſummittit, depoſita omni duritate cervicis.

ℶ. In *tintinnabulis ex collo pendentibus* cum nobilioribus inſcriptionibus, quorſum alludit locus *Zach.* XIV. 20. *Illo die erit in tintinnabulis equorum* SANCTUM JEHOVÆ, id eſt, qui profitebuntur nomen Chriſti in obedientia fidei, declarabuntur, inſtar Pontificis ſe Deo conſecratos, & liberum habere acceſſum ad Deum in Chriſto, cum omnimoda libertate Chriſtiana, adeo ut quivis fidelis habeat introitum in Sanctum Sanctorum, ſibi patefactum & impetratum.

6. *Equi currules*, regios currus vehentes, etiam ſunt emblema Eccleſiæ, *Cant.* I. 9. ubi Chriſtus ut ſponſus ſociam ſuam aſſimilat, *Equitio juncto curribus Pharaonis.*

ℵ. Propter Eccleſiarum *conſenſum* in unum eundemque ſcopum, concordia enim in fide, una cum charitate Chriſtiana, jungit animos ad unum eundemque opus Chriſtianum.

ℶ. Propter *opus ipſum*, quod eſt promovere regnum Chriſti, regius ille enim currus, concipi debet habere impoſitum regem, ſedentem in throno, & circumvehendum, confer *Ezech.* I. totum Caput, idque non alio ſcopo, quam ut ejus majeſtas univerſo mundo innoteſcat.

7. In equis aliquando conſpicui ſunt *colores*, & quidem ad repræſentandam variam Eccleſiæ ſpeciem, ſub variis periodis temporum Novi Teſtamenti. Huc pertinent

ℵ. *Qua-*

η. *Quatuor equi Apocalyptici* reſpondentes quatuor ſigillorum priorum aperturæ, *Apoc.* VI. 1. —— 8. ubi *albus* ſtatum Eccleſiæ repræſentat puriſſimæ quoad fidem & mores, nec non pacatæ; *Ruber*, Eccleſiæ ſub imperio Romano afflictæ, & ſanguine martyrum quaſi coloratæ; *Niger* & *Pallidus*, ſtatum ſub Anti-Chriſto. *Niger*, propter famem ex penuria alimenti ſpiritualis; & *Pallidus*, ex defectu vitæ generoſioris, dum Eccleſia ſubjicitur regimini Anti-Chriſti in Eccleſia ſedentis, & plus mortis quam vitæ exhibet, propter ſtupendam in rebus fidei ignorantiam.

ϑ. Contra Anti-Chriſtum educitur quoque Equus, *Zach.* X. 5. qui locus agit de confeſſoribus, qui magna animi alacritate, & certandi propoſito pro veritate, Anti-Chriſto ſe opponerent. *Hos* enim dicitur *Deus poſuiſſe ut Equum majeſtatis ſuæ in bello*, quod impletum in Waldenſibus, Wicleſiſtis & Bohemitis.

ι. Huc referamus etiam locum *Apocal.* XIX. 11. — 14. ubi *Chriſtus* repræſentatur *ſedens in equo candido una cum exercitu in equis albis ipſum ſequente*, quod fieri ibi, in repræſentamine prælii *Diei magnæ*, manifeſtum eſt, quoniam illa expeditio ducitur contra reges, beſtiam, & pſeudo-prophetam, ut illi occidantur, & poſteriores comprehendantur, ut conjiciendi in ſtagnum ignis. *Albus* autem ille color oſtendit ſcopum expeditionis fuiſſe, ut Eccleſia reduceretur ad priſtinum nitorem, id eſt, ad primam fidei puritatem, morum ſinceritatem, ſocietatis charitatem, & quod ultra eſt, omnimodam cum triumpho tranquillitatem.

? Ad regnum Eccleſiæ referendi ſunt *Equi cum tintinnabulis*, קדש ליהוה pro inſcriptione habentibus, qui occurrunt *Zach.* XIV. 20. ubi agitur de *celebratione feſti Tabernaculorum*, ad cujus celebrationem gentes undiquaque aſcenderent, ſub quo emblemate denotatur copia converſarum gentium, quæ ſub regno Eccleſiæ, ad commune gaudium & triumphum, ſe cum vero Iſraële jungerent.

Caput IV.

De Asino.

§. 1. **A**B equo descendimus ad *Asinum* contemptissimum quidem vulgo animal, sed nihilominus insignis utilitatis, atque in Oriente jam olim admodum familiare.

§. 2. Cum Asini sint duplicis generis, alii *mansueti*, alii *sylvestres*.

α. De *mansuetorum nominibus* in antecessum deliberandum est: vocatur autem apud Hebræos

a. חמור, nomine utrumque sexum denotante, & quamcunque ætatem comprehendente, nam alicubi fœmininum sexum denotare evincit locus 2 *Sam.* XIX. 26. ubi suffixum fœminini generis in voce עליה refertur ad antecedens חמור. De ratione denominationis, non una est omnium Philologorum sententia, dum Alii à *turbido cerebro*, nam חמר *turbidum* esse significat: Alii à חמר *mensura*, quia onera portat, alii à *rufo colore*, quia חמר *rubrum esse* denotat, & asini in Oriente plerumque rubent, alii tandem à חומר *luto*, quia sordidum & lutulentum est animal, deducunt.

b. אתון, *asinam* significat, estque nomen sexus, nomenque videtur habere à *robore*, robur enim Hebraice איתן appellatur, in lingua Arabica אתנה, docente id doct. *Golio*, significat *consistere*, *contracto*, *brevique gressu incedere*, unde si derivetur, indicabit animalis tarditatem, cujus ingenium est non tantum lento gradu progredi, verum & sæpius subsistere, nisi verberibus incitetur: nescio an opus sit monere, quod quidam *Asinum* vocem Latinam ab אתון dictum esse putent, mutata litera ת in S, ex pronunciatione Chaldæorum.

c. עיר, est nomen ætatis, atque significat *pullum asinæ*, vid. *Zach.* IX. 9. verum etiam illam ætatem comprehendit, qua animal equitando, portandisque oneribus, aptum est, vid. *Jud.* X. 4. XII. 14. *Jes.* XXX. 6. vocabulum commode deducitur à rad. עור, quæ *vigilare* & *excitare* significat, cum asinus minorennis, quem *lalisionem* vocant, parentibus sit excitatior, nomen hoc illi bene convenire existimaudum est.

β. Asini

β. Asini *sylvestres* duo peculiaria habent nomina:

a. פרא, Latinè *Onager*, radix apud Syros & Talmudicos *currere* significat, ac proinde ex etymo, animal indigitatur velocius in illo animalium genere, ut sit comparativa denominatio, quia confertur cum asino mansueto, & domestico, qui tardissimus, & ad cursum ineptissimus est.

b. ערוד Onager appellatur *Job.* XXXIX. 8. neque alibi vocabulum amplius occurrit, existimantque Philologi, sic appellari à *ruditu*, rudere enim asino proprium est.

§. 3. Est autem *Asinus, propter patulas aures & erectas, corpus deforme, indolem melancholicam, stupidam & tardam, pluribus despectui, atque ob eximium robur, propter spinam cruciformem, & ossium solidam compagem, utilissimum humano generi animal, parvis sumptibus alendum, cui dumeta & spinæ sufficiunt, præ reliquis fœcundum, quia mature incipit gignere, & usque ad trigesimum ætatis annum propullulat, laborum patiens & rigidam ferens disciplinam, quæ, à teneris asinos quoque nobilitare, & celeriori cursui aptare potest.*

§. 4. Asinis *vitio* vertitur

α. *Stupiditas*, ex crasso sanguine orta, qui non facile spirituum animalium copiam fundit, aut saltem illos non sufficienter elevat.

β. *Ignavia*, non enim libenter promovet destinatum iter, quin sæpe cunctando, patiatur stimulorum puncturas & ictus, ut ad pergendum incitetur.

γ. *Pertinacia*, quia illico ad lentos suos gradus redit, & sæpe subsistit.

§. 5. Inter *virtutes* asinorum tamen refertur

α. *Patientia disciplinæ*, cum enim canis vapulans ploret, & equus calcaribus incitatus, recalcitret, asinus tamen nullo indicio dolorem testatur, aut refragari solet.

β. *Robur*, quo maxima onera portat, unde *Issachar* assimilatur *Asino forti*, *Genes.* XLIX. 14.

γ. *Mansuetudo*, dicitur enim felle carere, atque ab omni mordacitate longe abesse.

δ. *Temperantia*, postquam enim immanissimos labores exantlavit, vix sub multam noctem ab opere dimissus, & sub dio relictus carduis & palivris vescitur, arido isto horridoque pastu contentus.

 ε. *Fide-*

ε. *Fidelitas erga dominum*, oberrat enim in solititudinibus, vinculis atque ergastulis non constrictus, ut ferocia animalia solent, & nihilominus sponte redit ad herum.

ζ. *Acrimonia auditus*; nulli enim animantium, uno duntaxat mure excepto, acriorem audiendi sensum, quam asino largitam esse naturam, testantur.

§. *6*. Inde maximos etiam præstat *usus* humano generi.

α. In *portandis oneribus*, vid. *Genes*. XLII. 26. 1 *Sam*. XXV. 18. & alibi.

β. In *agro arando*, quorsum respicit *Jes*. XXX. 24. & XXXII. 20. Hinc quoque data lex, *Deut*. XXII. 10. ne *bovem & asinum uno jugo jungerent*, cujus ratio physica videtur indolis imparitas, ne cogatur animal generosius, immutare genium, atque ita contrahere vitia & indolem ignobilioris: cui accedit, quod animal purum impuro jungi, noluit Legislator, quamvis rationes emblematicæ, hisce fundamentis innitentes, sint nobiliores.

γ. In *molis versandis*, ita enim asini detrudebantur in pistrinum ut molam versarent, quod servile opus aliquando mancipiorum fuit, *Jud*. XVI. 21. *Thren*. V. 13. atque ita asini aliquando mancipiorum vicem agebant, unde ita conquerens de duris laboribus introducitur anthologiæ *lib*. I. *cap*. 33.

Nonne satis fuerat, quod cæcus & actus in orbem,
Nocte dieque molas, irrequietus ago?

Et *Suetonius* in Caligula *cap*. XXXIX. *Asinum* inter *animalia* pistrinentia recenset, hinc intelligitur, quid sit μύλος ὀνικὸς, *mola asinaria*, *Matth*. XVIII. 6. & *Luc*. XVII. 2. nempe lapis molaris major: nam fuerunt apud veteres, molæ manuariæ minores, & jumentariæ majores, quæ ab asinis præcipue versabantur.

δ. In *protrahendis curribus*, quorsum respicit locus *Jes*. XXI. 7. neque dubitandum est, quin asini olim etiam huic operi fuerint destinati: ita *Columella lib*. VII. *cap*. 1. asinis attribuit, *quod in Bœtica, totaque Lybia, levibus aratris facile terram proscindant*, & *non nimio pondere* vehicula *trahant*. Romani Imperatores publicos cursus constituerunt ex quadrigis, rhedis, aliisque vehiculis, quibus non tantum equi & muli, sed & asini adjuncti fuerunt, quod ex *Procopio* eruunt viri docti.

ε. In

ε. In *vehendis hominibus* : ita olim aſini inequitabantur admodum familiariter, nec tantum à vulgo, verum etiam à viris nobilioribus & primariæ dignitatis, quales fuerunt *Abraham*, *Moſes*, *Mephiboſet*, aliique, vid. *Geneſ.* XXII. 3. *Exod.* XIV. 20. *Num.* XXII. 21. *Joſ.* XV. 18. *Jud.* I. 14. X. 4. XII. 14. 1 *Sam.* XXV. 20. & 42. 2 *Sam.* XVII. 23. & XIX. 26. De Meſſia prædictum fuit, *Zach.* IX. 9. fore ut veniat *inſidens aſino*, *pullo aſinæ*: quod teſtimonium ad litteram impletum videri poteſt, *Matth.* XXI. 1. — 11. Circa quod teſtimonium tamen notandum, quod aſini uſus non adeo pertinuerit, ad Meſſiæ humilitatem, ut exemplis allegatis confirmavimus, quam quidem propter rationem emblematicam, ut aliquo præludio teſtaretur ad Chriſtum pertinere prophetiam, *Geneſ.* XLIX. 11. plura vide apud *Bochartum.* Hoc unicum ſolummodo adhuc animadvertendum eſt, aſinos equitatui aſſuetos & à teneris ita diſciplinatos, ut ad concitatiorem curſum fierent apti, in magno fuiſſe pretio, & adhibitos fuiſſe in Oriente, à viris & fœminis primæ dignitatis: ita *Leo Africanus* de Alcairenſibus, & *Lampridius* de Romanis nobilioribus fœminis, eas aſinis libentius quam equis vehi, narrant, cum quia mollius incedunt, tum quia velocitate equos quoque ſuperant. Hinc *Scaliger* meminit Tolutariorum aſinorum in Ægypto, quorum tanta ſit velocitas, ut quatuordecim mille paſſus uno die conficerent; & *Xenophon* de aſinis Arabum prodidit, quod equites, eos inſectantes, capere non potuerint, atque ita indoles inſtitutione correcta, pretium animalis auget.

§. 7. In *Theologia Hieroglyphica* rationem emblematicam habet *Onager*, utpote cui aſſimilantur homines impii, & propter naturalem corruptionem diſciplinæ incapaces.

α. Propter *indocilitatem*, *Job.* XI. 12. *Pullus onager naſcitur homo*: ubi homini non adimitur omnis calliditas ad perſequendum res externas, verum rectitudo, qua Deo primus homo ſuberat, cujus loco nunc ſucceſſit obſequium carnis, quæ diſciplinam non admittens, omne regimen melioris doctrinæ reſpuit, *Jer. cap.* II. *verſ.* 24.

β. Propter *amorem terræ ſterilioris* ad victum, mavult enim in deſertis & ſaltuoſis locis raram & pravam herbam quærere, quam in urbe pro victu copioſo ſervire. Vide *Job.* XXIV. 5. Ita quoque hi amant potius extra diſciplinam Chriſti carduos & ſpinas, quam in

Ecclesia veram & solidam disciplinam sapientiæ. Confer *Job.* XXXIX. 8. — 12.

Alibi tamen est hieroglyphicum *libertatis*, quatenus in republ. politica aliqua gens non patitur à vicinis se subjugari. Vid. *Genes.* XVI. 12.

§. 8. Asinus autem animal *mansuetum* in Theologia emblematica plusquam unam relationem subire potest.

α. Quatenus est *jumentum aratrum protrahens*, & *agriculturæ inserviens*, emblema est illorum hominum qui in agro Dei laborant: ita occurrunt, *Jes.* XXXII. 20. *Beati vos, qui excitatis pedes bovis & asini:* id est, ad opus agriculturæ, promittitur enim in regno Ecclesiæ, illos reges demum fore beatos, qui Ecclesiæ ædificationem curantes, boves & asinos alacriter ad opus excitant, ac proinde repræsentant in ministro Ecclesiæ

a. Operis *gravitatem*, ut asinina fortitudo requiratur ad illud perficiendum.

b. Ministrantis prudentem *constantiam.*

c. Ejusdemque *conditionem*, ut qui asini instar, pro maximo labore, referat contemptum, afflictiones, & reliqua mala pro nomine Christi perferenda; nomen autem contemptus ibi proponitur, ad significandum, quod reges etiamsi ministros Christi olim pro talibus habuerint, nunc potius illos velint excitare ad opus Dei, & experiri hominum utilitatem.

Addamus & locum *Jes.* XXX. 24. *boves & asinorum pulli agros colentes purum far comedent*; quæ promissio respicit quoque regnum Ecclesiæ, consideratque felicitatem ministrorum, quatenus puriori Theologia imbuendi, & delicatiori modo excipiendi, aptiores erunt agriculturæ divinæ, ut opus Dei fortiter promoveant.

β. Quatenus hoc jumentum adhibetur *oneribus gestandis*, est emblema *Tolerantiæ* in maximis operibus. Hinc *Genes.* XLIX. 14. *Issachar* vocatur *asinus osseus*, id est, robustus, *recumbens inter sarcinas.* Comparatur itaque asino clitellario, quia inclinaret humerum suum ad portandum, & *servus fieret tributi*, ipso Patriarcha interprete, qui respexit Tribus istius sortem in terra Canaan, cui destinati erant montes *Gilboe* una cum campis *Esdrelon*, qua regione nullus locus in terra Canaan fuit amœnior, vel frumento, vino, oleo, aliarumque rerum copia abundantior, unde præ reliquis Tribubus hæc subesset

esset oneribus & tributis regiis. Quod autem repræsentatur ut *asinus procumbens*, subinnuit animi acquiescentiam in eo statu, quod illa Tribus hac ratione agriculturæ dedita, multa servilia onera patienter, & animo contento, subiret.

γ. Quatenus hoc jumentum à teneris *assuetum* est *equitatui*, atque adeo in pretio, est emblema, Nationum Christo subjiciendarum. Huc respicit locus *Genes.* XLIX. 11. ubi Schilo proponitur, ut qui veniret tanquam *Rex lalisionem suam ligans ad vitem, & pullum asinæ ad nobiliorem vitem*, ubi occurrit

a. *Lalisio*, sive asinus junior, emblema hominum natura quidem contemptissimorum, sed divina gratia electorum & vocatorum, ut Christi regimini jam considerentur subjecti, nec non à priori vinea distinguendi, cui alligarentur: quibus proprietatibus animadversis, sponte sequitur asinum hunc, *vineæ* contradistinctum significare gentes ad fidem adductas, & credentibus ex Judæis adjungendas: rationes autem analogiæ elegantissimæ sunt.

1. Quatenus asinus natura, & antecedenter ad disciplinam, est animal contemptum, propter deformitatem, & stupiditatem; ita gentiles antecedenter ad disciplinam Euangelii, populo fœderato fuerunt contemptui, ac propter ignorantiam & vitia, idololatriam, indolemque naturalem, sequentia, habiti fuerunt ut impuri, ac vita Dei destituti.

2. Asinus, quatenus disciplina indolem corrigit, equitatui assuetus, & in pretio est, repræsentat mutationem conditionis anterioris: nam

ℵ. *Lalisio jugum non tulit*, ita gentes electæ, cum adducebantur ad disciplinam, jugum Mosaicum non tulerunt, neque ferre debebant: vid. *Actor.* XV.

ϑ. *Asinus per disciplinam nobilitatur*, ita disciplina Euangelii cooperante Spiritu Sancto, efficax foret, & fuit, ad corrigendam naturalem stupiditatem & tarditatem, ingenerando in animis illorum lumen cognitionis, & alacritatis, ad præstandam, regi debitam, obedientiam.

ϒ. Cumque asinus disciplinatus retineat insitam *mansuetudinem* & *tolerantiam*, ita gentiles ad Christum adducti, & per Euangelium disciplinati, multa gravia ferrent pro nomine Christi.

ʔ Sicut

?. Sicut asinus *agnoscit praesepe domini*, *Jes.* I. 3. ita gentes sanctificatae gratitudinem referrent, Deo, & regi Christo, pro blandiori oeconomia, & dispensatione gratiae, quae est proprietas omnibus vere sanctificatis conveniens.

b. Huic additur *pullus asinae*, atque adeo duplex emblema conjungitur, tum asinae, tum pulli ejus.

1. Per *Asinam* commode intelligimus Judaeorum gentem

ℸ. Propter *fertilitatem*, ut pote cui competebat promissio multiplicationis variae, ob quam in emblemate alio vocatur *Hagar*, *Jes.* LIV. 1. coll. *Galat.* IV. 24, 25.

ϑ. Propter *gestasionem jugi*: Hic sexus asinorum ut plurimum jugo destinabatur, 2 *Petr.* II. 16. Ita quoque gens Judaeorum jugum legis tulit, *Jes.* IX. 3.

ϱ. Propter singularem *tarditatem*, quod asinarum proprium sit tarde progredi, & saepe subsistere, adeo ut ne verberibus quidem consuetum itineris intervallum excedant, ita quoque in gente Judaeorum, perpetuo redarguebant Prophetae, animi obstinatiam, ne quidem castigationibus Dei cedentem, ut vel reapse repraesententur asinis pejores, *Jes.* I. 3. — 6.

2. *Asinae pullus*, significat Judaeorum posteros à Deo electos, & à rege delicato amore excipiendos, ut proinde manifestum sit, intelligi seram posteritatem Abrahami, ultimo tempore convertendam, & ad Ecclesiam repurgatam, adducendam, convenitque analogia elegantissime; est enim hic *Pullus Asinae*

ℸ. Ex matre *jugum ferente.*

ϑ. Ipse tamen dudum *sine jugo*, nam post templum destructum, diu *sederunt* Judaei *sine Sacerdotibus*, *&* *Sacrificiis*, &c. *Hos.* III. 4.

ɗ. Dudumque haesit ab *uberibus matris*, amans traditiones patrum.

? A matris *uberibus* tandem *separandus*, & in usum regis per disciplinam aptandus, quod fiet per verbum vocationis.

ɕ. Destinatus ad *Regem* quoque *vehendum*, quod solummodo fit; per professinem nominis Christi, qua regiae ejus virtutes manifestantur, & coram omnium oculis quasi ostentantur, dum fama regni totum pervadit orbem.

C A-

CAPUT V.

DE MULO.

§. 1. Post Equum & Asinum sequitur *Mulus*, jumentum mixti generis, & de utriusque natura participans, quod inter Hebræos incepit in usu simul & pretio esse, à temporibus Davidis, qui Muli mentionem fecit, *Psal.* XXXII. 9 & cujus filii *Mulis* vehebantur, 2 *Sam.* XIII. 29. quod in specie affirmatur de *Absalomo*, 2 *Sam.* XVIII. 9. & *Salomone*, 1 *Reg.* I. 33. cui ad imperium promoto muli quotannis inter donaria offerebantur, 1 *Reg.* X. 25. 2 *Chron.* IV. 24. an vero muli antea Hebræis innotuerint, propter loci *Gen.* XXXVI. 24. obscuritatem, dubium est; verba textus ita se habent, *Iste est Ana, qui invenit* ימים *in deserto*, cum *pasceret asinos patris sui Sibonis*, ubi per ימים plurimi Interpretes, tam Judæi quam Christiani, *mulos* intelligunt: quam sententiam pluribus impugnat Cl. *Bochartus*, qui *Onkelosum* & *Samaritanum* secutus, ימים interpretatur *Emæos gigantes*, quæ explicatio cum doctiss. *Wagenselio*, propter audaciorem literarum mutationem, minus placeret, aliam verisimiliorem substituit, animadvertens ex *Aben Esra* indigitari aliquod plantarum genus: apud Arabes est יסאן *blitum* significat, oleris insipidi & fatui genus, asinino ingenio respondens, unde quoque *blitei* vocantur homines insulsi & stupidi.

§. 2. Duo ejus jumenti nomina occurrunt in sacra Scriptura.

α. Primum ac minimum omnium controversum est פרד, à radice פרד, quæ *separandi* notionem involvit, rationemque denominationis dedit Cl. *Bochartus* convenientissimam, *Mulum nempe esse animal ex iis parentibus natum, qui à naturali consorte separantur, ut cum alienis copulentur*, idque illustrat ex loco *Hos.* IV. 14.

β. Alterum est vocabulum *Persicum*, quod legitur *Esth.* VIII. 10. — 14. אחשתרנים, *filii equarum*, quod vocabulum quamvis aliqui interpretentur per *camelos velocissimos*, ex oppositione tamen facile ostenditur, ad mulos pertinere: notandumque in lingua Persica אשתר etiamnum *mulum* significare, sicut אחש *magnum* significat, ut proinde *muli majores* & generosiores indigitentur.

§. 3. Est autem *mulus animal heterogeneum*, *equorum asinorumque naturam conflatam referens*, *habens magnitudinem equi*, *aures asini*, *corpus macilentum*, *pedes graciles*, *collum oblongum*, *odoratu speciatim valet*, *cujus beneficio canum instar redit in viam à qua aberravit*, *robore imprimis pollet*, *& equorum velocitatem habet.*

§. 4. Muli tamen plusquam unius speciei inveniuntur pro vario animalium congressu: ex equo & asina minor & ignobilior, qui proprie *Hinnus* vocabatur apud *Varronem*, aut ex asino & equa, quæ propter immodicum veneris appetitum, asinum facile admittit, stricte dictus *mulus* oritur, jumentum majus & generosius. *Ælianus* alteram adhuc commemorat speciem, nempe quando *Onager* cum equa, vel asina, congreditur: verum in Oriente secunda species demum electa fuit, quam uberrime prognatam fuisse in Syria, Phrygia, Cappadocia & Africa, ex *Aristotele*, *Plinio*, *Varrone*, & *Columella*, probat laudatus *Bochartus*. A mulorum præstantia laudatur *Thogarma*, & commendatur *Ezech.* XXVII. 14. id est, *Trogmorum* gens, Galatiam in confiniis Cappadociæ inhabitans: verum notandum, quod mulorum propagationi uon licuerit incumbere Judæis, propter expressam legem *Levit.* XIX. 19. ubi animalium heterogeneorum copulatio, severe prohibetur, non tantum, quia est contra naturam, verum etiam, ut Legislator homines deterreret à promiscuo congressu, imo etiam ut ostenderet in societate sacra, non admittendam esse hominum heterogeneorum combinationem, quorsum respicit Paulus, 2 *Cor.* VI. 14. monens ne fiamus ἑτεροζυγȣ̃ντες ἀπίϛοις.

§ 5. Hoc jumentum solet *commendari*,

α. A *robore*, utpote quod magna in se suscipit onera gestanda.

β. A *celeritate*, in qua equorum naturam refert.

γ. A *singulari fidelitate* erga socios, unde proverbium *mulus mulum scabit.*

δ. A *mansuetudine*, tradit enim *Aristoteles* nullos dari multos feros, contra ac de equis & asinis sentiendum.

ε. Ab *acumina sensuum*, tum auditus, tum odoratus, &c.

§. 6. Nihilominus illi *vitio* vertitur

α. Quod sit animal *refractarium*, ut proinde hamo & fræno compesci debeat, quod vitium cum equo habet commune, conf. *Ps.* XXXII. *vers.* 9.

β. Quod sit *timidum animal*, ut levissima ex re tanto metu afficiatur, ut

ut non ſolum pedem referat, ſed ira & rabie concitatum, ſeſſorem etiam morſu petat, quem nonnnlli venenatum aſſerunt.

γ. *Infrugiferum* eſt animal, quamvis enim in aliquibus oris dicantur mulæ fœcundæ, in pluribus tamen ſteriles ſunt & raro concipiunt.

§. 7. *Utilitates*, commoditateſque, quas ex hoc animalium genere capiunt homines, ad tria capita revocamus.

α. Quod aſinorum & equorum inſtar *onera portare ſoleant*, & commeatum adducere, 1 *Chron.* XII. 40.

β. Quod ad *equitationem & itinera conficienda* aſinis & equis ſint aptiores, quoniam illos velocitate ſuperant: his autem tutius incedunt, & minus moleſtiæ ſeſſoribus creant, nullumque animal per prærupta tutius idcedit, unde Perſarum regis Angari, mulis vehebantur, *Eſth.* VIII. 10. Conf. quæ diximus de filiis Davidis.

γ. Tertius uſus eſt quod *curribus jungi queant*, unde rhedæ mulares vel bigæ erant, vel trigæ, vel etiam quadrigæ. Ad bigas pertinent hæc *Nahamanis*, 2 *Reg.* V. 17. *Detur quæſo ſervo tus onus paris mulorum è terra*, id eſt, onus bigæ mularis, ad trigas pertinet locus *Exod.* XIV. 1.

§. 8. In *doctrina Emblematica* tria occurrunt loca de mulis expendenda.

α. Prius teſtimonium eſt Davidis, *Pſal.* XXXII. 9. *Ne eſtote ſicut mulus ſine prudentia*, &c. ubi eſt emblema hominum peccatorum, ferocium, & intractabilium. Sicut enim mulus indiſciplinatus, non paret homini ſine capiſtro, & nonnunquam inſultaret, niſi frænaretur: ita quoque homo naturalis, per imprudentiam ſe nolens jugo Dei placide ſubjicere, ejuſque monitis ſponte obtemperare, rigidiori indiget diſciplina, & fræno atque capiſtro ſubjiciendus eſt, ut in vinculum fœderis cogatur, aut ſaltem ejus petulantia coerceatur, intercedentibus afflictionibus divinis: quando igitur ſuadet ψαλτὴς, ne quis ſe talem exhibeat, monet eopſe

a. Ut animum *refractarium* deponat, id eſt, cor ſuum non induret, quando audit vocem Dei, aut cum illo diſceptare, illique obmurmurare inſtituat.

b. Ut deponat quoque *metum carnalem*, quo à progreſſu in cognitione myſteriorum Dei abſterreretur, verum animum advertat ad verbum Dei, fidei & pietatis principium.

 c. Ne-

c. Neque ſit *infrugiferus* in bonis operibus, ſed prompte, & cum animi ſubjectione recipiat verbum Dei, tanquam verbum efficax, producatque fructus pœnitentia dignos.

β. Alter locus eſt *Zach.* XIV. 15. ubi prædicitur, in caſtris hoſtium Eccleſiæ ultimi temporis, etiam fore inter varia jumenta, *mulos*, illoſque cum toto exercitu perituros. Ubi muli ſunt emblema Nationum, Anti-Chriſto, iu oppugnatione Eccleſiæ inſervientium, quarum genius ſub horum animalium emblemate depingitur; quarum analogia conſideranda.

a. Reſpectu *originis*, cum enim mulus nec equus ſit nec aſinus, verum ex utriuſque congreſſu ortus, hæc nota non videtur negligenda, ejus enim reſpectu olim Cyrus in oraculo Pythiæ, Mulus dictus fuit, notante *Herodoto*, quia ex patre Perſa, & matre Meda natus fuerat, proinde eleganter repræſentare poterat, ſyſtema hominum, neque Chriſtianorum, neque Gentilium, ſed ex utroque genere conflatum.

b. Reſpectu *vitiorum*, deſignat mulus ſyſtema hominum carnalium & refractariorum, regimen veritatis non admittentium.

c. Reſpectu *ſubjectionis*, conſiderantur eædem illæ gentes ut Anti-Chriſto inſervientes, & in expeditione adverſus Eccleſiam quoque prodeuntes.

γ. Ultimus locus occurrit *Jeſ.* LXVI. 20. ubi prædicitur, in ultima & univerſali nationum converſione, *fratres electos* ad Chriſtum adducendos eſſe *mulis*, & *quidem Deo in munus*: ubi veri fideles conſiderantur ut munus ad Deum adducendum, quatenus ſeipſos, & membra ſua Deo ſiſtunt in ſacrificium vivum; horum adductio fieret in *mulis*, id eſt, cooperantibus aliquibus nationibus, quæ regno Chriſti operam navarent, quæ muli vocantur.

a. Reſpectu *originis* quoque, quia nec Chriſtiani, nec Gentiles, ſed ex utriſque mixtæ ante converſionem fuerant.

b. Reſpectu *ſtatus antecedanei*, quatenus mulorum vitia olim referebant.

c. Reſpectu *ſtatus præſentis*, qui eſt converſionis ad Chriſtum; in quo ſtatu occurrunt,

1. Ut ſe *ſubjicientes* miniſterio regni Chriſti, & fideles Chriſtianos blande excipientes.

2. Ut *ſuppeditantes* pro viribus, quæ ad promotionem regni Chriſti, & fidelium ædificationem, conducunt. Idque

ϛ. Singulari *robore*.

ϑ. *Celeritate*, & alacriori promptitudine.

ιϛ. Non ſine *acumine ingenii* facile audientis, veramque viam ſubolfacientis.

CAPUT VI.

DE BOBUS.

§. 1. SEquitur jam inter majora animalia quadrupedia nova ſpecies, nempe BOUM, quæ in lege pura habentur, quia utramque conditionem admittunt, dum ruminant, & ungulas habent bifidas. Varia ſunt vocabula apud Hebræos quibus boves deſignantur.

α. בקר nomen generale, *armentum* ſignificans, & quemcunque ſexum ac ætatem comprehendens. Clariſſ. *Bochartus*, à בקר verbo Arabico, quod *findere* & *proſcindere* ſignificat, deducit, quia hoc animal adhibetur ad terram aratro proſcindendam, alii tamen potius radicem Hebraicam retinent, quæ ſignificat *diligenter proſpicere*, atque ita bovem dictum volunt, quod peculiari hominum cura indigeat.

β. אלוף eſt nomen ſpecialius, ſignificatque *Bovem* hunc & illum in ſpecie, eſtque commune utrique ſexui, vid. *Deuter*. VII. 13. & XXVIII. 4. Clar. *Bocharrus* refert iterum ad radicem Arabicam, quæ *jungere* & *copulare* ſignificat, quia eſt animal ad jugum natum. Alii tamen iterum radicem Hebraicam retinent, quatenus *aſſueſcere* ſignificat; quam ſignificationem non tantum retinet in Chaldaica & Syriaca, verum etiam Authore doct. *Golio*, in Arabica lingua, ſignificatque *boves jugo aſſuetos*, qui cum ſemper juncti incedant, non mirum eſt vocabulum illud ſemper occurrere in plurali numero.

γ. שור propriiſſimum animalis nomen eſt, *Bovem maturæ ætatis* ſignificans, & utrumque ſexum comprehendens, ita *Lev*. XXII. 28. pro *vacca* ſumitur, conf. etiam *Lev*. XXVIII. 26. *Exod*. XXXIV. *verſ*. 19 negari tamen non poteſt, quin aliquando minorem ætatem comprehendat ſi expendamus locum *Levit*. XXII. 27. & *Pſal*. CVI. 19, 20. Clar. *Bochartus* deducit hoc vocabulum à verbo שרר,

quod Chaldæis, Syris & Talmudiſtis ſignificat *ſtabilire & firmum eſſe;* alii tamen referunt ad verbum שור, *intueri*, *contemplari*, quod non referendum ad majus viſus acumen, ſed ad venuſtam animalis formam, quia oculos intuentium in ſe convertit.

δ. מריא vocabulum eſt ſpecialem armentorum conditionem exprimens, nempe *Bovem ſaginatum & pinguem*, imo quæcunque animalia *ſaginata*, ut ad victum mactari poſſint. Conf. *Ezech.* XXXIX. *verſ.* 18.

ε. אביר vocatur bos à robore, quod nomen etiam cum equis habet commune, atque adeo videtur eſſe adjectivum ſubſtantivi naturam induens, aut per ellipſin propoſitum, quæ pro circumſtantia loci ſupplenda, ac proinde eſt nomen encomiaſticum.

ζ. פר notat *juvencum*, & פרה *juvencam*, eſtque nomen mediæ ætatis, inter vitulum & bovem. Plurimi deducunt à radice פרה *fæcundum eſſe*, ita *juvencus* erit qui vitulus eſſe deſiit, & coitu fæcundas reddere juuencas poteſt, *juvenca* autem dicetur, quia ad conceptionem matura eſt. Clar. *Bocharto* iterum placet Arabica derivatio, in qua lingua פרא, in quarta conjugatione, *mutare dentes* ſignificat; alii tamen ad Arabicam radicem פרא, quæ in quarta conjugatione, *pullum alacrem proferre*, ſignificat, reducunt, verum nulla videtur ratio priorem radicem deſerendi, quoniam Arabica lingua ex matre Hebræa prodiit.

η. עגל *vitulum*, & עגלה *vitulam* ſignificat, eſtque primæ ætatis animal; hanc vocem linguæ Orientales omnes retinent, Hebræi à *rotunda forma* vitulum dictum exiſtimant: Arabibus עגלא *feſtinare & properare* ſignificat, eſt enim *ſalire* & *ſaltu laſcivire*, vitulis proprium, vide *Pſal.* XXIX. 6. *Mal.* IV. 2. Quouſque extendenda ſit vituli ætas, non una eſt inter Hebræos ſententia, dum alii unum tantum annum requirunt, & binos ac trinos ad ætatem ſecundam referunt; alii vero vitulos & vitulas trium annorum admittunt, vid. *Jeſ.* XV. 5. qui habent *Varronem* adſtipulantem, *de re Ruſtica lib.* II. *cap.* 5. *Non minores*, inquit, *oportet inire bimas, ut trimæ pariant, eo melius ſi quadrimæ.* Unde concludimus quod עגל dicatur uſque ad tempora imprægnationis conſuetæ; פר vero abinde porro uſque ad graviorem ætatem.

§. 2. Quod autem ad animalis naturam attinet, *commendatur à forma*, *Deut.* XXXIII. 17. *Eſt enim tauris & bobus torvæ decorus frontis honos*,

honos, ut inquit *Plinius*, *& membrorum systema bene compositum*, *circa collum*, *musculi sunt obesi & fortiores*, unde Ephraim assimilatur *juvencæ* quatenus appellatur טוב צואר. *Oris elegantia* commendatur *Jerem.* XLVI. 20. quod intelligendum, *de apertis*, *patulis* & *resimis naribus*, *labrisque subnigris*, qualia in bobus commendant *Varro* & *Columella.* Cornutum animal commendatur à *cornubus lunatis*, *quæ illi data sunt ad defensionem*, *Psal.* LXIX. 33. *Cornua gerit vulgo bina*, quamvis *Solinus* testetur, *in India reperiri boves unicornes & tricornes. Ungulas habet bifidas*, *quibus dum accedit ruminatio*, *inter munda recensetur animalia. Robur illi inest maximum*, unde illi quoque nomen encomiasticum אביר datum vidimus; *Vocem habet sibi peculiarem*, *mugitum* vocant: mugire autem Hebræis dicitur געה, duobus in locis 1 *Sam.* VI. 12. ubi de vaccis fœtis, divina vi impulsis, arcamque reducentibus, dicitur, *quod ascenderent una mugientes ex desiderio vitulorum domi relictorum*; & *Job.* VI. 5. ubi bos dicitur *mugire apposita farragine*, quod fieri ex desiderio pabuli est manifestum. *Mugitu* quoque Bos vaccam advocat, & contra: unde *Ovidius*,

Mollibus in pratis admugit fœmina tauro.

Colores conspiciuntur in bobus varii, sed *vaccam rufam expetebat* Legislator, *Num.* XIX. 2.

§. 3. Huic animali *vitio* vertitur

α. *Contumacia*, qua cum aliquibus adhæret, strenua & inflexilis fere est, quia sunt duræ cervicis, & quando œstro percutiuntur, magis insaniunt, vid. *Hos.* IV. 16.

β. *Lascivia*, quæ maxime adhæret saginatis & laute exceptis, præcipue in juniori ætate, unde *vitulina petalantia:* animal lascive saliens, vid. *Jer.* XXX. 11.

γ. *Refragatio* in bove petulco, vid. *Exod.* XXI. 28. Unde illud *Horatii*,

Fœnum habet in cornu, *longe fuge.*

& aliud hemistichium,

Cornu ferit ille, *caveto.*

§. 4. *Virtuti* autem vertitur

α. Aliqua *solertia*, qua *agnoscit dominum suum*, *Jes.* I. 3. atque ad ejus vocem accurrit.

β. *Man-*

β. *Mansuetudo*, si à tenera ætate manibus frequentius contrectetur, & blandis appellationibus, oblatorumque ciborum illecebris excipiatur, qua methodo, tradunt tridui aut quatridui spatio, ita mansuescere, ut jugum patiatur, tradente id *Palladio* & *Columella*.

γ. *Metus disciplinæ*, asserit enim *Palladius*, hoc animal clamoris hortamen metuere, ac proiude facile ad opus debitum excitari.

δ. *Fortis constantia*, non enim ob ungulas bifidas facile vacillat, & ex genio suo, jugum domini fortiter, & dudum fert.

ε. *Sanitas*, quia cibos ruminat, & ad puriorem alimoniam bene digerit.

ζ. *Ingenium præsagiorum capax*, odoratu enim, tempestates & aëris mutationes, præsentire fertur, ac mugitu testari.

η. *Fœtificatio constans & diutina*, unde inter benedictiones recensetur, quod non abortiat. Huc pertinent testimonia *Jobi* XXI. 10. cujus primam particulam, non de bove mare, sed fœmina, accipit Clar. *Bochartus* cum *Græcis LXX. Interpretibus*, *Hieronymo*, & *Chaldæo*. *Bos ejus concipit & semen non ejicit*. Dubitat tamen Clar. *Cocceius*, quia verbo masculino conjungitur. Alter locus est *Ps.* CXLIV. 14.

§. 5. Hujus animalis maximus est

α. In re rustica *usus*. Unde *Varro* dixit, *Bovem hominum in re rustica operis socium, & Cereris ministrum*. Et *Jobus* inter scelera impiorum gravissima refert, quod contra divinas leges *rapiant bovem viduæ*, *Job.* XXIV. 3. coll. *Exod.* XXII. 22. *Deuter.* XXIV. 6, 10. Huc spectant testimonia *Prov.* XII. 11. & XIV. 4. Nam horum animalium opera

a. *Terram aratro proscindunt agricolæ*, 1 *Sam.* VI. 7. Unde *Cicero* de natura Deorum *lib.* II. *Boum cervices natas ad jugum* asserit, *tum vires humerorum & latitudines ad aratra extrahenda*.

b. *Triturare* olim solebant segetes, dum plaustella & tribula protrahunt; vide *Jes.* XLI. 15. & XXVIII. 27. aut ungulis boum triticum excutiunt, vid. *Mich.* IV. 13. coll. *Hos.* X. 11. De quibus triturandi modis plura alibi.

c. *Onera* illis imponunt, conf. 1 *Chron.* XII. 40.

β. Singularis boum quoque est *Utilitas*, dum

a. *Vivi* suppeditant plurima ad victum pertinentia, nam

1. Suppeditant, *lacticinia* חלב, Hebræis ut & Arabibus *mulgere* significat, unde lacti nomen imponitur, atque inter maxima bene-

beneficia Palestinæ recensetur, & hoc, quod Deus populo Israëlitico terram *lacte manantem* dederit, quod tam in cibo, quam in potu, saluberrimum suppeditat alimentum, unde *Varro* ait *lib.* II. *cap.* 11. *Lac omnium rerum, quas cibi causa capimus, liquentium, maxime est alibile.*

2. E lacte *butyrum* conficitur, Hebr. חמאה, cujus radix in lingua Arabica superstes, *condensare* & *concrescere* significat, quia pinguior pars lactis, intercedente motu & concussione, à serosa separatur, & coalescit: hujus butyri usus fuit anntiquissimus, vid. *Genes.* XVIII. 8. *Deut.* XXXII. 13, 14.

3. Ex lacte quoque conficitur *caseus*, Hebr. גבינה, cujus apud Jobum fit mentio, *Job.* X. 10. cui conficiendo aptissimum est lac bubulum. Huc pertinent verba *Varronis*, *ex lacte, casei qui fiunt, maximi cibi sunt bubuli*: cui *Plinius* accedit, *bubulum lac caseo fertilius, quam caprinum.*

b. *Occisi* varium quoque habent usum.

1. *Carnem ad victum* quoque suppeditant, in deliciis habetur caro *vitulina*, quippe quæ tenera, boni succi, suavis saporis, facilisque concoxionis est. Hinc Abraham, *Genes.* XVIII. 7. Angelis hospitibus, *vitulum tenerum ac bonum* apposuit. *Vitulorumque saginatorum* frequens passim mentio est 1. *Sam.* XXVIII. 24. *Amos* VI. 4. *Luc.* XV. 23. & Boum carnes edere Judæis liberum erat, Deo id expressa lege concedente, *Deut.* XIV. 4.

2. *Ex corio calceos, situlas*, aliaque quamplurima in vitæ communis usum fieri notissimum est. Tentoria ex corio conficiebantur adversus imbrium & nivium vim, & *lorum bubulum* ad flagellationes adhibitum fuit, vid. *Lev.* XIX. 20. quod & inter Gentiles obtinuit, unde *Plautus* in *Pœnulo*: *Heri in tergo meo tres facile corios contrivisti bubulos.*

γ. Neque negligendus est boum usus *in rebus Sacris*, & quidem

a. In *feriendis fœderibus.* Solebant enim olim fœdus ineuntes, illud singulari ritu confirmare, quando bove aut vitulo in duas partes discisso, qui fœdere inter se jungi cupiebant, per segmenta transibant, conceptaque formula jurabant, se utrinque fidem servaturos, ac ni id fieret, Deum fore perfidiæ vindicem, easdemque pœnas, quas cæsus bos sustinuerit, ab illis repetiturum; quor-

ſum referunt teſtimonia, *Geneſ.* XV. 9, 10, & 17. *Jer.* XXXIV. 18. — 20. ex quo ritu intelligimus formulas feriendi fœdus, & emphaſin verbi כרת, quod non tantum de fœdere feriendo adhibetur, verum etiam de pœna exciſionis, in fœderum ratificatione adſtipulata, *Exod.* XXX. 33. & 38. XXXI. 14. *Levit.* XVIII. 9, 10. XX. 17, 18. & alibi. Huc referunt Romanorum ritum *Livio* memoratum, qui formulam ratificationis fœderis cum Albanis, intercedente porci mactatione, ita refert: *Tu illo die Jupiter populum Romanum ſic ferito, ut ego hunc porcum hodie feriam, tantoque magis ferito, quanto magis potes, polleſque.*

b. Inſignis quoque eſt boum *uſus in ſacrificiis* omnis generis, vide *Lev.* I. 2. atque proinde

1. In *Holocauſtis*, in quibus lex Moſaica requirit *bovem maſculum, integrum & juniorem*, vid. *Lev.* I. 3, 5.
2. In *ſacrificio pacifico* Legiſlator *bovem fœminam* quoque admittebat, *integram & jugum non expertam.*
3. In ſacrificiis *pro peccato* lex requirebat *juvencum*; de quibus omnibus Moſes plura ſuppeditat. De Ritibus autem ſacrificandi alibi ſuo loco.
4. Hiſce vicina eſt *Vacca Rufa*, cujus color debuit eſſe ſanguineus ſine ulla alia coloris mixtura, de qua *Num.* XIX. 2. & ſeq. coll. *Hebr.* IX. 13, 14. deſiderabatur integra, vitiique expers, & quamvis animal juxta legem purum eſſet, attamen ſegregatum in hunc finem, factum eſt impurum, ex nova legali cenſione, & imputatione peccatorum populi, quam ob cauſam extra caſtra deduci debuit, mactari & in cineres redigi, quique vaccam illam contrectaſſent, habiti ſunt impuri uſque ad veſperam. Cineres autem ut res Sanctiſſima ſervabantur, aqua luſtrali immiſcendi, qua polluti ad munditiem aſpergebantur.

§. 6. *Abuſus* hujus auimalis ad idololatriam in vitulo Aaronis, vitulis Jeroboami, & Ægyptiacis ſacris, expendendus erit *in libro de Idololatria.*

§. 7. Potius eſt ut accedamus ad *Doctrinam Hieroglyphicam*, in qua hoc animalium genus varia refert.

α. Emblema eſt tam *Vitulus* quam *Juvencus*, populi refractarii, & diſciplinæ Dei obſtinaciter ſe opponentis, huc pertinent teſtimonia

Hoſ.

Hos. IV. 16. ubi populus Israëliticus vocatur, *contumax more vaccæ contumacis:* confer quoque *Hos.* X. 11, &c. quod fieri putamus

a. Quatenus vitulus, juvencus & vacca legaliter censebantur inter *animalia pura*, ita populus aliquis, qui fœderaliter censendus erat spectare ad populum Dei, eopse pertinebat ad populum purum externe, id est, Ecclesiam.

b. Propter *genium perversum*, *duramque cervicem* jugi impatientem, illudque excutientem, *Psal.* LXXVIII. 8. *Jes.* LXV. 2. *Exod.* XXXII. 9.

c. Propter *insolentiam ex beneficiis contractam*, solet enim vacca contumax, quo magis est satiata & saginata, vehementius refragari, ita quoque populus rebellis, beneficiis Dei externis magis abutitur, vid. *Nehem.* IX. 25, 26. *Deut.* XXXII. 15.

d. Propter *justificationem castigationum*, quibus vituli & juvenci jugo parandi, & nondum assueti ad submissionem revocandi sunt, *Jer.* XXXI. 18.

e. Propter *impatientiam afflictionum*, intemperantiori clamore & boatu testatam, *Jes.* XV. 5. *Jer.* XLVIII. 34.

f. Propter *socordiam*, quia non animadvertentes deducuntur ad lanienam, ita etiam peccatores patiuntur se deduci insensibiliter in extremam perniciem, *Prov.* VII. 22.

β. *Taurus* est emblema *Præfectorum* populi in politia, non tantum *bonorum*, *Deut.* XXXIII. 17. conf. *Jes.* XXXIV. 7. verum & *malorum*, ut inter Judæos ἄρχοντες tempore Christi, *Psal.* LXVIII. *vers.* 31. Rationesque emblematis sunt

a. Propter *munus*, quod est populo præire, seque præstare duces, ut tauri solent inter armenta.

b. Propter *potentissimam* defensionem, quam debebant populo Dei, tauri enim potenter cornubus hostes invadunt, ita quoque Reges dicuntur cornua exaltare, quando in hostes robore suo incurrendo, illos prosternunt, qua potentia abutuntur mali, recte utuntur boni, conf. *Psal.* LXII. 9. & alia testimonia, vitia enim habent cum populo refractario communia.

γ. *Vitulus saginatus* est emblema populi beneficiis affecti; idque etiam in *malam*, *Jer.* XLVI. 20, 21. & in *bonam partem*, *Mal.* IV. 2, 3. Priori loco ex œconomia Veteris Testamenti Israëli objiciuntur beneficia, & abusus exprobratur. In secundo loco, felicitas hæredum

Novi Testamenti exaggeratur, quatenus sub ductu boni Pastoris blandiorem œconomiam experientur, conf. *Psal.* XXIII 1, 2, 3. ubi præcipuè ea media salutis sunt consideranda, quæ vitam spiritualem sub Novo Testamento liberius & blandius promovent, gaudiumque regni cœlorum excitant.

ϑ. *Boves* dupliciter in *Theologia Symbolica* considerantur, vel cum relatione ad *Agriculturam*, vel cum relatione ad *Sacrificia*, unde apti nati sunt diversas res significare.

a. Respectu *Agricultura*, boves sunt symbolum ministrorum Ecclesiæ, eruente id Paulo 1 *Cor.* IX. 9, 10. ex lege Mosaica, *Deut.* XXV. 4. quorsum pertinent testimonia, *Psal.* LXVIII. 31. CXLIV. 14. *Jes.* XXX. 24. XXXII. 20. *Amos* VI. 12. estque hæc ratio cur *duodecim boves ænei*, mari æneo basis loco substernerentur, 2 *Chron.* IV. 1. — 4. quod respiciebat munus duodecim Apostolorum, qui ministerio Euangelii, lavacrum regenerationis per universum orbem ferrent, ut aquæ vivæ participes fierent omnes vocati ad βασίλειον ἱεράτευμα. Huc putamus etiam spectare quod inter quatuor animalia, reperiatur *Bos* aut *Juvencus*, *Ezech.* I. 10. *Apoc.* IV. 6. neque inelegantes sunt analogiæ rationes.

1. Propter *gravissimum* & *laboriosum ministrorum* munus, quorum opus est

ꝛ. *Arare*, unde vocabulum כרוב à themate כרב *arare*, significat animal aratrum trahens. Ita ministrorum officium est agrum hujus mundi, intercedente verbo conversionis, discindere, & sulcos aperire, non tantum ut dumeta radicitus subvertantur, vid. *Jer.* IV. 3. verum etiam ut semen verbi Dei suscipiat, *Matth.* XIII. 8, & 24. conf. *Hos.* X. 10. cum 1 *Cor.* III. 6, 9.

ϑ. *Occare*, vid. *Hos.* X. 11. & plaustro inducto sulcos apertos, post susceptum semen occludere, ita etiam ministri, post susceptum semen regenerationis, curare debent, ut per verbum fidei, incrementum spirituale promoveatur.

ψ. *Jugum gestare*, ut aquas & alia necessaria advehant ad irrigandum agrum, est quoque boum opus, sicut & ministrorum, verbo consolationis promovere alacritatem vitæ spiritualis, vid. 1 *Cor.* III. 6.

?. *Tri-*

γ. *Triturare*, ut ſemen ſeparari poſſit à rebus inutilibus, ut Deo מנחה purum poſſit offerri, ita quoque laborant miniſtri per diſciplinam Eccleſiaſticam, ut triticum à paleis diſcernatur, & Eccleſiæ ſint מנחה *purum*, Deo adducendum, *Mal.* I. 11. Deuſque *per fructus illos juſtitiæ glorificetur*, *Phil.* I. 11.

2. Propter *qualitates* in miniſtris requiſitas, nam

α. Ut boves ſunt animalia *munda*, tum propter *ruminationem*, tum propter *bifidas ungulas*, ita quoque requiritur in miniſtris Euangelii, ut ruminando, id eſt, meditando ipſi deguſtaverint profunda myſteria verbi Dei, & ſuavitatem verbi reconciliationis. Deinde ut innixi verbo utriuſque Teſtamenti firmo ſtarent talo, animumque imbuant propoſito conſtantiæ ad promovendum opus Dei, nihilque vacillantes aut labſantes.

β. Ut boves ſunt animalia *manſueta*, ita quoque in miniſtris requiritur peculiaris manſuetudo, vid. 2 *Tim.* II. 25, 26.

γ. Ut boves ſunt *Laboris patientes*, ita miniſtri quoque debent eſſe κοπιῶντες ἐν λόγῳ, καὶ διδασκαλίᾳ, 1 *Tim.* V. 17. nulluſque labor debet illis eſſe tædio.

δ. Ut boves *patienter ſtimulum* excipiunt, ita quoque miniſtri patienter ferre debent criminationes, atque per ipſas afflictiones pro regno Chriſti ferendas, potius exſtimulari, & excitari ad majorem alacritatem, pergendo *per decus & dedecus, per bonam & malam famam.*

ε. Ut boves *fortitudinem habent in cornubus*, quibus ſe opponunt adverſus infeſta, ita quoque miniſtris decertandum eſt cum fidei adverſariis, 2 *Tim.* IV. 7. *Tit.* I. 9 — 11.

ϛ. Ut boves amant συζυγὰς, ita quoque miniſtri pari jugo cum συμμύσταις opus Dei curare debent.

3. Propter *officia illis ab Eccleſia debita*, ſicut enim bovi trituranti, os obturandum non eſt, ita quoque miniſtris debetur ſtipendium, quod Paulus duobus in locis urget, 1 *Cor.* IX. 7. — 10. 1 *Tim.* V. 17, 18.

b. Reſpectu *ſacrificiorum*, boves ſunt emblema hominum piorum, præcipue in ſacrificiis holocauſticis, vid. *Rom.* XII. 1. idque etiam non ob unam analogiam.

1. Respectu *qualitatum* & *virtutum*, quæ in fidelibus requiruntur, quæque ut plurimum conveniunt cum iis quas notavimus in ministris, quatenus sunt homines, cum fidelibus ejusdem sanctificationis participes, quæ tamen hoc modo in ordinem redigi possunt, ut boves considerentur tanquam animalia

ℸ. *Singularis speciei*, cujus respectu bos est animal

α. *Domesticum*, hominum consuetudini assuetum, ac proinde & *mansuetum*, ita quoque fideles sunt homines mansueti, & in societate piorum *pacifici* & *tranquilli*, utpote quorum spiritus est spiritus mansuetudinis, ipsique in Ecclesia sunt *domestici*, *Ephes.* II. 19.

β. Animal *bene compositum ad labores*, ita quoque in fidelibus est spiritus fortitudinis, ad omnia gravia tolerandum, & labores sustinendum.

ϑ. *Singularis delectus*, nam boves holocausto destinati debuerunt esse

α. Respectu ætatis, *Juvenci*, in quibus vigor vitæ maximus, ita quoque fideles debent esse participes vitæ Christi, seque Deo sistere in vigore spirituum, ut nempe omnis actio sanctificationis sit vivida & vigorosa, propter spiritum spontaneitatis & alacritatis, qui vigor opponitur torpori & tarditati.

β. Respectu *sexus*. Holocausta requirebant *masculum*, quod significabat in sanctificatione majorem virium intentionem & strenuitatem.

γ. Respectu *qualitatum*

1. Juvencus holocausti destinatus, erat animal *mundum ex determinatione legis*, ita fideles ex fœdere divino habentur sancti, idque

ℸ. Propter *ruminationem* analogam meditationi verbi divini, quæ sanctitatis est nota & κελτήελον, vid. *Psal.* I. 1, 2.

ϑ. Propter *ungularum divisionem*, analogam firmitati incessus in via vitæ, quæ est nota constantiæ fidei justificantis.

2. Juvencus quoque debuit esse *integer* sine ullo membrorum defectu, non cæcus, non claudus &c. ita in fidelibus

libus requiritur integritas tanquam conditio ad fœdus requisita, *Genes.* XVII. 1. Sanctificatio enim reddit illos integros, integritate sinceritatis, & partium, etiamsi non graduum.

ꝩ. *Singularis animi & roboris* adversus omnia infesta, unde natura illis dedit cornua, ita fideles vocantur ad certamen cum Diabolo, mundo & carne, nec non etiam cum hæreticis, fidei orthodoxæ sublestis subversoribus, quibus cornua opponunt, id est, omne robur spirituale ex gratia Christi profluens, *decertantes pro fide semel tradita*, *Jud.* 3.

2. Respectu *immolationis*, quatenus Deo sistuntur, mactantur, altari imponuntur, & in totum comburuntur, hostarium instar, vid. *Rom.* XII. 1. quæ omnia ad analogiam revocanda erunt in Cap. de *sacrificiis holocausticis.*

§. 8. Verum cum *Christus* quoque in quibusdam sacrificiis fuit repræsentatus sub emblemate *juvencorum*, & *vaccarum*, istorum emblematum ratio etiam eruenda est.

α. *Juvencus* oblatus fuit in sacrificiis pacificis, & pro peccato, ita tamen, ut sicuti holocausta integra Deo cedebant quasi in cibum, ita sacrificia pro peccato, dividebantur inter Deum & Sacerdotem, ut pars adiposa cum renibus combureretur, reliqua pars Sacerdotibus daretur in cibum. Sacrificium autem pacificum dividebatur, inter Deum, Sacerdotem, & offerentes, dum pars adiposa cum renibus igni, & quod reliquum erat conviviis destinaretur, in quo casu fideles altaris fiebant participes, 1 *Cor.* X. 18. Significabat autem Juvencus,

a. *Qualitates* in Christo etiam requisitas, ut posset esse gratum Deo sacrificium. Idque iterum

1. Respectu *speciei*, erat enim ille

ℸ. Patri domesticus *vir illi proximus*, *Zach.* XIII. 7.

ϑ. *Fortis & ad labores compositus*, qui poterat onus peccati & omnia gravia tolerare, unde ejus labores requirebantur, *Jes.* LIII. 11.

2. Respectu *ætatis*, debuit Deo sisti & offerri in virili & vigorosa ætate.

3. Respectu *virtutum*, requirebatur

ℸ. *Mundities*, quatenus ex pacto æterno haberetur Deo sanctifica-

ficatus, idque ostenderet per munditiei notas, voluntatis Dei nempe perpetuam ruminationem, & constantiam in obeundis muneribus.

ϑ. *Integritas* undiquaque consummata, *Hebr.* VII. 26.

4. Respectu *singularis oppositionis adversus omnia molimina hostium*, unde illi *cornu exaltandum* attribuitur, 1 *Sam.* II. 10. *Psal.* XVIII. 3. CXXXII. 17. *Luc.* I. 69. cornua enim sunt emblemata potestatis regum & regnorum, ita hac potestate

ℸ. *Conteret Satanam*, & subigeret ejus potentiam, *Hebr.* II. 14. *Rom.* XVI. 29.

ϑ. *Profligaret & dissiparet hostes Ecclesiæ*, ut iis coërcitis & proculcatis maneret incolumis.

b. *Variam Christi propositionem* in fidelium salutem, ubi

1. *Juvencus pro peccato*, repræsentat Christum ut in cruce immolandum pro salutis impetratione, cujus ritus ulterior analogia pertinet ad Cap. de *sacrificiis pro peccato.*

2. *Juvencus in sacrificio pacifico* repræsentabat Christum mortuum, & in applicatione salutis consideratum, ut, qui se ipsum daret fidelibus, causam pacis & reconciliationis cum Deo, quæ fundata erat in sui oblatione, *Rom.* V. 1, 2. *Ephes.* I. 12. — 21. Accedit etiam repræsentamen communionis fidelium cum Deo & Christo, quatenus juvencus mactatus, divisus inter Deum, Sacerdotes, & offerentes, omnibus cedebat in cibum gratum, atque adeo spiritualis nostra communio repræsentatur, ut in hoc sacrificio Christi fundata, Ulteriores analogias differimus etiam ad Cap. de *sacrificiis pacificis.*

CAPUT VII.

DE OVIBUS.

§. 1. POst armenta & jumenta, sequuntur pecora minora, quæ Rabbinis vocantur בהמות דקות, quæ gregem constituunt, genus animalium minusculorum, quod veteres alebant, & in quibus eorum divitiæ consistebant. Hinc est quod *Deut.* VII. 13. XXVIII. *vers.* 4. 18. 51. grex vocitetur עשתרה, & in plurali עשתרות, à themate,

mate, עשר & עתר *quia ditant dominum* propter fœturam copiosiorem. In Scripturis duæ species animalium in grege numerantur, quarum una est lanigera, altera hirsuta, *Oves* nempe & *Capri*, quæ duæ animalium minusculorum species, communi nomine vocantur צאן & שה.

א צאן *gregem*, significat non tantum *ovium*, sed & *caprarum*, quod facile eruitur ex locis *Genes.* XXVII. 7. XXXVIII. 17. *Lev.* I. 10. quamvis aliquando vocabulum generis, speciei applicetur, quo in casu *Oves* denotat, notandumque hoc vocabulum semper adhiberi sensu collectivo, unde plurali carens, nonnisi in singulari occurrit, addito numero, ubicunque pluralitas indicanda fuit. De Etymo vocis disceptant Philologi: Clariss. *Bochartus* ex lingua Arabica deducit à radice צנא, quod *fœcundum esse*, & *multa abundare prole*, denotat. *Majus* à radice צאן originem accerset, quæ radix in quarta conjugatione Arabum אצאן significat *ovibus abundare*, qui autem non libenter excedunt limites linguæ Hebrææ, derivant à radice יצא *exire*, unde צאצאים *propagines*, atque ita ex etymo significaret gregis fœturam & fœcunditatem; fuerunt enim in Judæa pecudes minores, & inter eas oves, gemelliparæ. Vid. *Cant.* IV. 2. conf. *Genes.* XXXI. 7. XLI. 30. XLI. 42.

ב. שה quoque est vocabulum genericum, quod ovillo simul ac caprino pecori, sine distinctione sexus, aut ætatis, attribuitur. Vid. *Exod.* XII. 5. *Deut.* XIV. 41. à præcedenti voce צאן differt, quod nunquam adhibeatur, nisi ad denotandum individuum & singulare animalculum utriusque generis, quod evidenter constat ex loco *Ezech.* XLV. 15. ubi dicitur שה אחת מן־הצאן, *unicum pecus ex grege.* Nomen hoc genericum quoties speciem denotat, *ovem* significat, vid. *Psal.* CXIX. 176.

§. 2. Ovium vero, quæ una pecudis species est, non una est appellatio, occurrit in sacris pro varietate sexus, ætatis, aut usus.

א. Respectu *sexus*, vocabula, maturam ætatem involventia, duo sunt:

α. איל *Arietem* denotat, inter oves masculini generis. Clar. *Bochartus* more solito ad Arabicam revocat originem, scil. ab אל aut איל *regere, præesse, præcedere*, quia aries gregem ducere solebat, secundum illud Poëtæ,

Dux gregis ipse caper.

Alii potius ad originem Hebraicam revocant, ubi איל *robur* & *fortitudinem* denotat, ratioque denominationis foret, quod arietum præ ovibus longe major ſit fortitudo.

β. רחל. Hæc vox quater in Scripturis occurrit, nempe *Geneſ.* XXXI. 14. XXXII. 14. *Cant.* VI. 6. *Jeſ.* LIII. 7. frequentius ea utuntur Chaldæi & Arabes, denotatque *ovem fœminini generis*, iſtius modi ætatis quâ & *parere* (vid. *Cant.* VI. 6.) & *tonſionem pati* (*Jeſ.* LIII. 7.) cogitur, origo vocabuli in obſcuro eſt.

ב. Reſpectu *Ætatis*, duo alia occurrunt vocabula, quibus oves minorennes denotantur.

α. טלה, *agnus ſubrumus*, & adhuc ab uberibus matris hærens, Belgicè *een ſuyg-lam*, vid. 1 *Sam.* VII. 9. *Pſal.* XL. 11. LXV. 20. eandem vocem, ad agnum ſubrumum denotandum, adhibent Arabes, Chaldæi & Syri. Clar. *Bochartus* vult à *maculis* ſic dici, radicem enim טלא ſignificare *maculis reſperſum eſſe*, rectè urget clar. *Bochart.* ſolent enim agni variis prodere coloribus, acceſſu temporis mutandis.

β. כבש, quod alibi כשב, tranſpoſitis literis, ſignificat *Agnum mediæ ætatis*, ſeu agniculum, vid. *Ezech.* XII. 5. *Lev.* IX. 3. hoc vocabulum admittit utrumque genus, ita ut כבש & כבשה *agniculam* ſignificet, ſeu *agnam*, *Ezech.* XII. 5. XXXIX. 38. dicuntur & *filii anni*, id eſt, anniculi, quales ut plurimum in ſacrificiis requiruntur. In fœminino genere occurrit, *Lev.* XIV. 10. 2 *Sam* XII. 3. Arabes vocant כשבן, à nomine כשב, unde verbum כשב quod Arabibus ſignificat *quæſtum facere*, *lucrari*, ratioque denominationis eſt, quia Orientales maximum quæſtum fecerunt ex pecore & ovibus.

γ. קשיטה, an huc pertineat dubitant Interpretes? tribus ſolummodo in locis occurrit in ſacris Scripturis, *Geneſ.* XXXIII. *verſ.* 19. *Joſ.* XXIV. 32. *Job.* XLII. 11. ratioque dubitandi deſumitur ex loco *Actor.* VII. *verſ.* 16. ubi *Stephanus* videtur reddere τιμῆς ἀργυρίου, unde multi conficiunt potius nummum quam pecudem ſignificare, ita tamen ut certa ſpecies nummi indigitetur agno ſeu pecude ſignatæ, cui ſententiæ ſeſe oppoſuit *Spanhemius filius* in hiſtoria Jobi Cap. II. urgens.

1. Quod omnes antiquiſſimæ & probatiſſimæ verſiones ovem vel agnam reddant.

2. Quod diſſentientes agni figuram in nummo quærant, ac proinde hanc ſignificationem in voce inveniant.

3. Quod pretium rei emptæ non reſpondeat, dum volunt קסיטה tantum valuiſſe obolum, aut nimium augeant, quando ſtatuunt valuiſſe minam argenti.

4. Quia nummi ſignatura eſt recentioris inventionis, & antiqua rerum mercatura per mutationes fieri ſolebat, ſaltem inter Arabes. Quantum ad objectam difficultatem attinet, reſpondet, Stephanum agnorum valorem revocaſſe ad argenti pretium, quo in caſu קסיטה ſignificaret *ovem fœminam minorennem*, ſed *ætati prolificæ proximam.*

ג. Reſpectu *uſus*, oves aluntur, vel ut lacticinea præbeant, in uſum vitæ humanæ, vel ut mactentur, qualis ovis ſpecies vocatur כר, plurali כרים, ſignificatque *oves paſcuales* & *opimas*, vid. *Deuter.* XXXII. 14. 2 *Reg.* III. 4. ſicuti & *Jeſ.* XXX. 23. ovium כר *pratum* & *paſcuum* ſignificat, hoc quidam derivant à כרה, quantum ſignificat *convivium inſtruere*, & uberrimam rerum copiam apponere, ita oves paſcuales in pratis graminoſis laute excipiuntur, & obeſæ redduntur; clar. *Bochartus* derivat à radice כרכר, quod *ſubſilire* ſignificat, & confert *Pſal.* CXIV. 4. — 6. ubi *montes* dicuntur *ſubſiliiſſe arietum & colles agnorum in morem.* Doct. *Majus* ſuppeditat radicem כרר, quod denotat *à paſtu ſaltare.*

§. 3. Occurrunt adhuc duo vocabula Chaldaica.

א. אכר, quæ vox extat *Ezr.* VI. 9. — 17. ſæpiuſque occurrit in Paraphraſtis & apud Arabes. Clar. *Bochartus*, ita *agnum* vocari vult à *lana*, quia matre villoſior eſt, & molliorem & pretioſiorem lanam poſſidet.

ב. דכר, in plurali דכרים, ex etymo *ovem maſculini generis* ſignificat, utunturque eo uocabulo *Ezras*, atque Chaldæi, quotieſcunque *Arietem* deſignare volunt.

§. 4. A nominibus ad *rem ipſam* progredientes, Ovium natura expendenda eſt. *Eſtque ovis parva pecus lanigera, peculiari voce balatus ab omnibas diſtincta, propter lanæ, cutis, & lactis, ad victum & amictum utilitatem, deſideratiſſima, pro modico paſtu & leviori cura, domino ſuo affatim rependens, in ovium copia quondam divitiæ collocabantur, quia hæc ani-*

malium species præ reliquis multiplicatur admodum, nam quandiu vivunt coire putantur; quinque solum menses uterum ferunt, unde in Oriente plerumque bis in anno pariunt, aliquando singulos, sæpius gemellos, nonnunquam tres, rarius quatuor uno partu proferunt: si mulgeantur, præ cæseris animalibus, respectu suæ molis, diutius lactant, & quidem per octo menses, vivunt aliquando decem annos, quamvis ut plurimum pauciores, quia plurimis morbis subjectæ sunt, imprimis scabie inficiuntur, quæ, nisi morbo mature remedium quæras, totum corrumpit ovile. Quod cum causis egregiè explicuit *Virgilius:*

Turpis oves tentat scabies, ubi frigidus imber
Altius ad vivum persedit, & horrida cano
Bruma gelu, vel cum tonsis illotus adhæsit
Sudor, & hirsuti secuerunt corpora vebres.

Remedium autem idem Poëta quærit, in sæpius repetita lotione, & corporis inunctione, unguento ex sulphure vivo, aliisque composito, quod suis & carminibus explicat; notandumque & in transitu: *Oves mire delectari sono musico, quo audito alacrius & diligentius pascunt: unde pastorum mores profluxerunt, qui fistulam inflare, vel aliud aliquod organum musicum propulsare, jam olim consueverunt.* Ita *Virgilius* non tantum pastorum musam celebravit, sed ipse Rex *David* musicam tractavit, cum gregem parentis curaret.

§. 5. Ovium quoque inter se *diversitas* notanda: nempe

א. Quod aliæ sint *Cornigeræ*, aliæ vero *Cornubus destitutæ.* Sic in *Lybia* cornigeras nasci oves, non mares tantum, sed & fœminas; in *Ponto* autem neutri sexui naturam cornua concessisse, author est *Aristoteles* in *Hist. Animalium lib.* XII. 6. 28.

ב. Valde differunt quoad *figuras caudarum. Varro* observavit, *oves in Syria instructas esse caudis brevioribus*, quas describit *latas & rotundas*, cum alibi habeant caudas amplas & prolixas. *Plinius* ex *Aristotele*, *cubitales ovium in Syria caudas esse*, asserit: quæ autem caudas habent longiores, plostello muniebantur; solebant enim, ut & in Arabia, tabellam cum rotulis caudæ subjicere, ut tantum onus post se commodius traherent oves, ne humi laceraretur aut corrumperetur pinguedo, quæ notanda sunt, ut manifesta fiat legis causa, qua jusserat Deus hisce *caudis ovium & arietum sibi litari*; cum enim in Oriente tales alerent oves, quarum caudæ majoris æstimabantur, quam ipsa peco-

pecora, nihil abſurdi Deum imperaſſe aut efflagitaſſe judicandum eſt. In tranſitu notemus has ovium caudas non venire ſub nomine זנב, quo ovium reliquorumque animalium caudæ appellantur, ſed voce אליה, qua & Arabes utuntur, ut videri poteſt in *Golii Lexico Arab. pag.* 146.

ג. Neque ejuſdem omnes ſunt *Coloris*, quamvis ut plurimum lanæ *candor* commendetur, conf. *Jeſ.* I. 18. *Dan.* VII. 9. *Pſal.* CXLVII. *verſ.* 16. Nihilominus *Geneſ.* XXX. 31. & ſeqq. oves alterius coloris commemorantur; ubi albo colori opponitur fuſcus, nonnihil ad nigredinem vergens, diſignanturque oves punctatæ, id eſt, maculis aſperſæ, ſecundum *Paraphraſtas Chaldæos* pantheræ in modum variæ, quales Jacobo cedebantur in pretium laboris.

§. 6. Huic animali quædam *Vitio* vertuntur, & quidem

א. *Aberrandi facilitas*, de qua Poëta,

Raro una aberrat ovis, raroque revertitur una.

quorſum reſpicit pſaltes, *Pſal.* CXIX. 176. & *Jeſ.* LIII. 6. unde cura paſtorali perpetuo indiget; quæ aberrandi pronitas, gregem plurimis exponit periculis, propter lupos inſidias ſtruentes, aut foveas, in quas ſe facile præcipites dare ſolent.

ב. *Stupiditas*, ita ovibus propria eſt, ut plurimum paſtorem deſerant, unde *Plinius* dixerat *ſtultiſſimum animalculum eſſe*; unde ea imprudentia qua facile gregem deſerunt.

ג. *Laſcivia* & *petulantia* in ſaginatis & obeſis culpatur, quorſum alludunt teſtimonia *Deut.* XXXII. 15. *Exod.* VII. 13. XXII. 8, 15. *Jeſ.* VI. 10.

ד. Hinc in iiſdem *ferocia* & *pugnacitas*, quæ imprimis in *ariete petulco* notatur, qui dum cornu ferit *arietare* dicitur, vid. *Ezech.* XXXIV. *verſ.* 21. Hinc in viſione Danielis *Aries cornutus* repræſentatur, ut cum *Hirco pugnans*, *Dan.* VIII. 6, 7.

ה Et *timiditas* hanc pecudem occupat, quotieſcunque lupo objicitur, quo viſo, ovis tota horret.

§ 7. Commendatur nihilominus ab aliis inſignioribus *Virtutibus*, ſub cura paſtorali præcipuè eminentibus, inter quas occurrit

א. *Manſuetudo*, hinc *Feſtus* ovillum pecus *in hoſtiis fuiſſe adhibitum*, non *ab amplitudine corporis, verum ab animo placidiore, gratum & commendatum*, huc ſpectat locus *Jer.* XI. 19.

 ב. Pa-

ג. *Patientia*, dum ſe non tantum tonderi, ſed ita placide occidi patitur, ut nequidem contra hiſcat.

ד. *Ductilitas* & *docilitas*, non enim adeo ſtupidum eſt animal, quin vocem paſtoris facile diſcernat, & prompte ſequatur, unde *Ariſtoteles Hiſtor. Anim. lib.* IX. *cap.* 3. animadvertit quod *paſtores docent oves ſuas coire facto ſtrepitu* ὅταν ψοφήσῃ, *quales voces ſunt quæ ſibulum habent.*

ה. *Simplicitas*, qua ab omni fraude longius abeſt, quæ non minor eſt in ovibus, atque in columbis.

ח. *Munditie*s, non enim porcorum inſtar ſe luto & cœno involvunt, aut ſordibus inquinant, verum & lavacra amant.

§. 8. Inſignis eſt hujus animalis *Utilitas.*

א. In *victu*, quia oves mactatæ *carnem* ſuppeditant ſuaviſſimam & maxime deſideratam, uid. *Deut.* XXXII. 13, 14. commendatur quoque *lac ovillum*, utpote ut non ſolum gratum, ſed & bene ſanum alimentum præbens, unde *Varro* aſſerit, quod *lac ovium omnium rerum, quas cibi cauſa capimus, maxime ſit alibile.* Ex lacte *butyrum* & olim fuit expreſſum, vid. *Prov.* XXX. 33. nec non *caſeus* exinde coactus fuit. *Adipis* autem uſus Judæis ſub graviſſima pœna interdictus fuit, vid. *Lev.* III. 16, 17. XXIII. 25. quod tamen ita intelligendum eſt, ut per adipem intelligamus omnem pinguedinem, à carne ſeparatam, qualis erat *caudarum*, reticuli *renum*, & *omenti;* alias enim *Deut.* XXXII. 13, 14. dicuntur Iſraëlitæ *adipe agnorum & arietum cibati.*

ב. In *amictu:* Inſerviunt enim veſtibus ex pellibus & *lana* formandis, ita *Hebr.* XI. 37. multi inter ſanctos & martyres oberraſſe dicuntur *ovillis & caprinis pellibus* induti. *Elias*, ejuſque diſcipulis *Elizæus*, 1 *Reg.* XIX. 13, 19. 2 *Reg.* II. 8. — 13, 14. ſecundum τῶν LXX. verſionem pellibus quoque inveſtiti fuerunt; vocabulum enim μηλωτῇ ſpeciatim frequentiſſime ovillam pellem denotare, uno ore teſtantur *Lexicographi.* Lanei panni uſus ab omni ævo & fuit receptus, cujus quippe Moſes meminit *Deut.* XXII. 11. dum *lanæ linum admiſceri* prohibuit; maxima tamen olim fuit veſtium diſtinctio, ex pretio lanæ, quæ aliis in regionibus aſperior, alicubi mollior fuit. Apud profanos commendantur *Mileſia* vellera, ita à *Mileto*, Ioniæ urbe, denominata; unde lana præſtantiſſima & laudatiſſima in veſtium uſum præparata quaquaverſum deportabatur, *Ezech.* XXVII

verſ.

verſ. 18. *Lana candida*, cum commendetur, ſeptuaginta vertunt ἔρια ἐκ Μιλήτȣ. Commendatur *Stola Babylonica*, quam *Paraphraſtes* & *Thalmudiſtæ* lana molliori confectam voluerunt, optime igitur parœmiaſtes, *Prov.* XXVII. 26. *Oves erunt ad veſtitum tuum.*

ℷ. In *cultu publico*, ſingularem uſum & locum habuerunt oves, quia ex ovillo grege, præcipue oves ſacrificio deſtinabantur, *Habel*, qui primus obtulit, in quantum ex ſacra Scriptura innotuit, ovibus ex grege deſumptis, litavit, *Geneſ.* IV. 3. qualiacunque ſacrificiorum genera, ſive forent *Euchariſtica*, ſive *hilaſtica*, ſive ſint in *holocauſtum* offerenda, de ovibus deſumebantur. Sacrificium *juge* quotidie binis vicibus offerendum, ut eſſet *matutinum* & *veſpertinum*, agno abſolvebatur, vid. *Num.* XXVIII. de quibus plura ſub titulo *de Sacrificiis.*

§. 9. In *Theologia emblematica* oves & agni repræſentamen ſunt

א. *Electorum*, ita pro Eccleſia, collectivum vocabulum *gregis* occurrit *Pſal.* LXXVIII. 12. C. 3. *Jeſ.* V. 17. *Ezech.* XXXVI. 38. *Mich.* VII. 14. vocatur Eccleſia *grex hæreditatis Dei*, & ſicuti grex ex ovibus colligitur, ita quoque Eccleſia coaleſcit ex hominibus electis & vocatis, quorum ſinguli elegantiſſime ſub ovium typo repræſentantur, propter multiplicem inter utrumque analogiam; conſiderantur enim

α. Sejunctim ante curam paſtoralem, ut *à grege adhuc ſeparati*, id eſt, ante vocationem efficacem.

1. Tanquam *oves errantes*, *Pſal.* CXIX. & *Jeſ.* LIII. 6. quamdiu enim electi conſiderantur adhuc in ſtatu peccati, non ſolum natura proclives ſunt ad errores, verum & maximum incurrunt periculum, quo illis pereundum foret, niſi per Dei Filium, animarum paſtorem, colligerentur, & præſenti periculo eximerentur, vid. *Jer.* X. 23. errantibus enim, hinc imminent lupi prædæ inhiantes, nec non leones, emblemata hoſtium Chriſti & electorum.

2. Tanquam *ſtupidi & ignorantes*, dum deſtituti ſunt judicio diſcretionis, quid ſequeudum, quidve fugiendum ſit, quod competit enim omnibus electis, ante regenerationem, in quo ſtatu per ignorantiam eorum *mentes obtenebratæ* erant, *Epheſ.* IV. 18.

3. Tanquam in abundantia rerum terrenarum, abundanti *ferociores* & *laſciviores*; ea enim carnis petulantia eſt, in ſtatu peccati,

cati, ut non poſſit non eis bonis, à Deo conceſſis, abuti, & voluptatibus indulgens, nimis petulanter exſilire.

4. Tanquam *timidi*, lupos & leones exhorreſcentes, quibus tamen ſe imprudenter objiciunt; ita in ſtatu peccati conſcientia juris, quod Diabolus in eos obtinuit, non poteſt non, iis horrorem & tremorem incutere.

β. Sed longe alia eſt ovium conſideratio ſub *cura paſtorali*, quando enim electi conſiderantur ut à Chriſto revocati, & ad communionem Eccleſiæ reducti, plurimas habent analogias cum ovibus,

1. Reſpectu *paſturæ*, fideles naturam ovium referunt, dum

a. *Erga paſtorem*, ſuis *officiis* ovium indolem exprimunt

A. *Vocem paſtoris diſcernendo*, ut eum, non alienum ſequantur, quod eos cum ovibus commune habere notatur, *Joh.* X. 5, 6, 16.

B. *Paſtoris ductum ſine reluctatione ſequendo*, ſolent enim oves ad nutum pedi paſtoralis ſuum curſum dirigere; ita quoque fideles Chriſtum habent paſturæ ducem, *Pſal.* XXIII. 1. pedo paſtorali dirigentem, *Pſal.* XXIII. 4. *Mich.* VII. 14.

C. *Paſtorem tenerrime amando*, illique ſponte retribuendo quæcunque teſtantur gratum pro beneficiis animum, ut ſolent oves refundere lanam & lac, ſuiſque paſtoribus utiles eſſe.

b. In *paſcuis* & ovium indolem referunt, dum

A. *Cibum non ſine delectu aſſumunt*, dicuntur enim animalia hæc optimos carpere flores, & ſelectiora ſibi aſſumere ex graminibus. Ita quoque fideles non ſine delectu quicquid doctrinæ aſſumunt, verum omnia explorantes, quod optimum eſt retinent.

B. *Ruminando*, quæ ovium conditio effecir, ut recenſerentur inter pura animalia, ita quoque in fidelibus requiritur doctrinæ exceptæ continua meditatio, & gratiæ divinæ in mente volutatio, qua intercedente veram jucunditatem gratiæ experiantur, ſibi applicent, atque inde confortentur.

2. Reſpectu *Indolis propriæ*, & quidem

a. In

a. In *vitæ consuetudine*, juxta quam notatur in ovibus

A. *Amor munditiei*, non porcorum instar se luto involvunt, verum è contra lavacra amant: ita fideles student puritati cordis, vid. *Prov.* XXII. 11. *Psal.* LXXIII. 1. *Matth.* V. 7. quæ se extendit usque ad ipsam puritatem manuum, *Psal.* XXIV. 3, 4.

B. *Simplicitas*, quoniam oves non sunt appositæ ad fraudes & technas, ita quoque fideles simplicitatis amantes nemini imponunt, 1 *Thess.* IV. 6. neque carnem & sanguinem in consilium adhibent, *Galat.* I. 16. verum se in fide sinceros præstant.

C. *Constantia* ovium consistit in eo, quod bifidis incedant ungulis, quæ purorum animalium in lege altera fuit conditio; ita quoque fideles constantiam in sanctificationis studio sectantur, vera enim fides non admittit sanctorum apostasiam.

D. Nihilominus oves *scabie* ex aliarum commercio nonnunquam *tentantur;* ita quoque fideles, etsi Christum non plane deserant, nihilominus ob sanctificationis imperfectionem, facile aliqua vitia contrahunt, & inter illos dictum obtinet, *Corrumpunt bonos mores colloquia prava*, 1 *Cor. cap.* XV.

b. In *Afflictionibus* & persecutionibus fideles assimulantur ovibus, quatenus illud animal ad macellum se duci patitur sine reluctatione aur recalcitratione, planè obmutescens & jugulum occisori porrigens. Ita Christianos & fideles patientia exornat, *Hebr.* X. 32. *Jac.* V. 8. afflicti enim non obmurmurant Deo, sed ejus nomini benedicunt, *Job.* I. 21. neque persequentibus maledicunt aut se opponunt, ex præscripto Christi, *Matth.* V. 44. unde ovium instar ducuntur ad macellum, *Psal.* XLIV. 23. coll. *Rom.* VIII. 36.

3. Respectu *societatis*, quatenus oves sub cura pastorali medio in grege versantur, hoc animal celebratur

a. Ut *societatem amans*; non enim libenter à sociis ovibus declinat: ita quoque fideles electi & vocati ad communionem sanctorum, Ecclesiam amant, & arctissimam unionem cum Ecclesia quærunt.

b. Ut *innocuum* & *manſuetum*, quatenus ovis, non unguibus ut felis, non dentibus ut lupus, non calcaribus ut equus, non veneno ut coluber, nocet, ſed pacem amat: ita piorum quoque primaria virtus eſt manſuetudo, qua nulli nocent, injurias tolerant, ferunt, fratrumque infirmitatibus ſuccurrunt, pacem ac concordiam conſervant, *Matth.* XI. 29. 1 *Pet.* II. 23.

c. Ut *promptum ad auxilium*, & præſtanda officia miſericordiæ, ſolent enim ægros circumire, & umbra quaſi protegere, ita quoque miſericordiæ opera inter Chriſtianos ſunt ſinceræ fidei indices, quatenus doloribus fratrum ingemiſcunt, & quantum fieri poteſt, mutuo auxilio refocillare conantur.

4. Reſpectu *privilegiorum:* ſub cura paſtorali oves multis gaudent beneficiis, ita quoque fideles Chriſtum habent ἀρχιποιμένα, à quo multa beneficia accipiunt, utpote qui

a. *Oves ſuas colligit*, & gratia vocationis & regenerationis ad gregem ſuum adducit, *Joh.* X. 16.

b. *Omnia procurat* quæ ad ſpiritualis vitæ alimoniam pertinent, ducendo per graminoſa paſcua, & ad refocillantes aquas, & proſpiciendo, ut nihil illis ad vitam & pietatem deſit, *Pſal.* XXIII. 1, 2. *Joh.* X. 9.

c. *Debiles multa cum clementia curat*, imbecillioribus parcens earum viribus conſulens, *Jeſ.* XL. 11.

d. *Ægrotas curans*, *Ezech.* XXXIV. 23. coll. *verſ.* 16.

e. *Aberrantes reducens*, *Ezech.* XXXIV. 16. imo & magno labore quærens, *Luc.* XV. 13.

f. Singulari ſtudio *invigilans* illis, ut eaſdem ex ore leonis eruat, *Amos* III. 12. & ab inſidiis hoſtium tutas reddat.

g. *Suum peculium obſignans*, & virga minio illita notans, quorſum reſpicit locus *Ezech.* XX. 37. prout enim Judæi in decimationibus decimum quemque agnum ſub virga ex ſtabulo exeuntem, minio denotare ſolebant: ita quoque Chriſtus electos & vocatos peculiari nota diſcernit, dum illos Spiritu ſuo obſignat.

h. *Totum gregem in ſtabulum colligens*, quod fiet tempore conſummationis, quando oves ad dextram collocatas in requiem æternam introducet, *Matth.* XXV. 32, 33, 34.

5. Re-

5. Respectu *utilitatis*, fideles ovibus & agnis assimilantur, quatenus ex iis desumebantur nonnulla sacrificia, & quidem

a. *Holocaustica*, ut in sacrificio jugi, ubi unus agnus, Sabbathino, ubi duo, menstruali, ubi septem, & anniversariis, ubi plures offerebantur, conf. *Num.* XXVIII. 29. quibus sacrificiis significatum fuit

A. Quod fideles se debeant *totos sistere hostias Deo consecratas*, *Rom.* XII. 1. igne Spiritus Sancti quasi causa amoris, atque zeli purioris, inflammandas, *Cant.* VIII. 6.

B. Quod debeant semper esse *parati ad subeunda martyria* pro Christo ejusque nomine, seseque non substrahere hostibus instar ovium mactandarum, *Rom.* VIII. 36. quo in casu Deo grati forent & acceptandi.

b. *Eucharistica*, quæ ita offerebantur ut pars igne esset deflagranda, nempe adeps & cauda, pars autem Sacerdotibus esset concedenda, pars alia offerentibus cederet in convivium, quo genere sacrificiorum denotatum fuit

A. Quod in signum *gratitudinis* seipsos cum omnibus donis sisterent Deo in cibum gratum, qui delectatur donis Spiritus Sancti in ipsis efficacibus ad omne genus officiorum.

B. Quod essent *Deo grata oblatio in communione Christi*, gaudebant enim ex agni oblati carne, & testarentur se habere communionem cum Christo, & in sacrificiis Eucharisticis spiritualibus considerandos esse ut unum cum Christo, omnemque gratiam gratis datam, & gratos facientem, habere ex merito Christi. Ac proinde agnus Eucharisticus (quod raro animadverterunt Theologi) erat simul typus Christi & fidelium, non separatim consideratorum, sed conjunctim ut conficientium unum corpus, & qui sunt ejusdem vitæ spiritualis participes.

§. 10. Sunt quoque *Agni* repræsentamen

א. *Redemptoris Christi*, separatim considerati, quatenus ut sacrificium *Hilasticum* nobis proponitur; solebant enim sacrificia pro peccatis, quæ erant piacula Veteris Testamenti ex agnis desumi, vid. *Lev.* IV. 28, 32. V. 4, 6. XIII. 12. *Num.* VI. 12. Negari non potest, quicquid contra tendant *Sociniani*, hæc piacula fuisse typos & emble-

mata Christi, ut constat ex locis *Joh.* I. 29. 1 *Petr.* I. 9. *Apoc.* V. 6, 7. unde & *Jes.* LIII. 7. manifesto consideratur sub tempore satisfactionis similitudinem ovis & agni referre; quod quo jure fiat, constat ex analogia, quæ quoad præparationem, oblationem, &c. repræsentabitur in Capite *de Sacrificiis hilasticis*: hic sufficit annotasse

α. Quod agno assimiletur propter *convenientes mores*, innocentiæ, mansuetudinis, humilitatis, atque obedientiæ erga Patrem suum usque ad ipsam mortem, citra oris aperturam aut obluctationem ullam, *Jes.* LIII. 7. qualia plura annotavimus præcedenti §. fideles enim cum quoad virtutes Christo debeant fieri conformes, plane cum illo consentiunt, ut proinde hic eadem repeti queant.

β. Propter singularem *utilitatem* & *commodum*, quatenus nostro loco substitutus, pœnam nobis debitam tulit; destructio enim sacrificii repræsentat destructionem peccatis promeritam, & à sponsore exactam.

γ. A *conditionibus* istorum agnorum requisitis, debuit enim &

1. Ex *proprio ovium grege seligi & separari*; quod haud obscure significabat Christum fore Israëlitam, ex illo populo, qui peculium Dei audiebat, desumendum. Oportebat & illum ex Abrahami semine prognasci, ut *salus ex Judæis esset*, *Joh.* IV. *vers.* 22. debuit esse *ex fratribus*, nequaquam extraneus, *Deut.* XVIII. 15. imo debuit apparere in *forma* debilioris & *peccaminosæ carnis*, *Rom.* VIII. 3. ut quoad externam formam appareret nobis, in omnibus, & quoad nostras infirmitates similis, quamvis revera sine peccatis esset.

2. *Integer* debuit esse agnus quem lex requirebat in sacrificiis, absque ullo vitio aut defectu; ita Christi quoque perfectio & integritas debuit esse consummata, utpote qui quoad personam & actiones foret ἄσπιλος καὶ ἄμωμος, 1 *Pet.* I. 19. conf. *Hebr.* VII. 26. quæ in agno Paschali notanda erunt analogiæ, justo loco repræsentandæ erunt.

§. 11. De *Ariete* nonnulla subjungenda sunt.

א. Quatenus inter sacrificia legalia, *Levit.* VI. 6. & XIX. 22. *Num.* VI. 14. occurrit inter *sacrificia hilastica* aut *eucharistica*, estque commodum emblema quoque Christi, in sacrificium mactandi.

α. Propter

α. Propter *communes proprietates cum ovibus*, de quibus satis sufficienterque dictum in præcedentibus.

β. Propter *usum sanctificationis*, prout enim aries oves imprægnare solet; ita Christus per Spiritum suum Ecclesiam reddit prolificam & frugiferam, quæ Christum habet ut maritum, cujus virtute multos parit liberos, *Jes.* LIV. 1. — 5.

γ. Propter *gregis ductum*; nam

1. Sicuti *aries est gregis dux*, atque promachus, ita & Christus est *Archidux vitæ & salutis*, *Hebr.* II. 10. XII. 2. *Princeps vitæ*, *Actor.* III. 14. *Dominus gloriæ*, 1 *Cor.* II. 8.
2. Sicuti aries *est cornutum animal*, reliquis ovibus viribus præcellens, cornua sua hostibus opponens, ita quoque Christus præstat se potentissimum Ecclesiæ ducem, *Psal.* XXIV. 8. utpote qui est אל גבור, *Jes.* IX. 6. de quo Hanna dixit, 1 *Sam.* II. 10. fore ut *Deus cornua uncti sui exaltaret*, quibus nempe portas inferorum arietando debellaret.
3. Arietum proprietas est, quod *Elephantis sint terrori*, eosque in furias actos sedare possint, etsi nulla species externa sufficientis roboris aut prudentiæ in iis conspiciatur: non absimiliter Christus robore aut sapientia externa non conspicuus, stultitia Euangelii principum hujus mundi sapientiam fugavit, 1 *Cor.* I. 19, 20. & nescio quo terrore panico tyrannos Ecclesiam persequentes corripit, iisque terriculamentum est.

ב. *Aries* quoque notandus est, qui *Isaaci loco in sacrificium oblatus fuit*, *Genes.* XXII. 13. qui & congruum Christi fuit, nostro loco offerendi, symbolum.

α. Ratione *subjecti*, cujus proprietates & convenientias cum Christo vidimus.

β. Ratione *status* & *conditionis*, quatenus aries ille vepreto cornubus irretitus ab Abrahamo conspiciebatur: ita enim Christus quoque à Pilato exhibitus fuit spinis coronatus, *Matth.* XXVII. 29. quod utrumque denotabat sponsorem, nostris peccatis irretitum & innodatum, dum spinæ atque vepres optime considerantur, ut emblema peccatorum, conf. *Matth.* XIII. 7. *Hebr.* VI. 8. sunt enim peccata veprium instar infrugifera, *Rom.* VI. 21. sponte & præter voluntatem coloni crescentia, *Rom.* VII. 17. conscientiam acerrime pungentia, *Ezech.* XXVIII. 24.

γ. Ratione *oblationis;* Christus & instar istius arietis in crucem exaltatus, occisus, & quasi igne iræ divinæ & proprii zeli conflagratus fuit, idque alieno in loco, ut sui, Isaaci instar, liberi evaderent, de quibus analogiis plura in tractatu *de Sacrificiis.*

3. Restat adhuc *Aries Danielis in visione*, Cap. VIII. 3. ubi imperium Persicum adumbratur per Arietem *stantem ante paludem, habentemque cornua excelsa, quorum unum altero excelsius, nec non cornua agitantem contra Occidentem, Aquilonem, & Meridiem*, contradistinguitur autem *Hirco*, à quo *expugnatus & debellatus fuit.* Ratio emblematis est,

α. Respectu *indolis;* quod aries sit

1. Animal *lanigerum non hirsutum* ut hircus, quo denotatur mollius & clementius imperium; Persarum enim Monarchia multo clementior fuit populo Judaico & tolerabilior, imperio Græcorum.

2. Animal quoque magis *compositum* & *minus lascivum* est quam hircus, in quo singularis petulantia notatur: ita Historici in Persarum Monarchia majorem gravitatem animadverterunt quam in Græcorum.

3. Aries *gregi ovillo* magis consentit quam hircus, eumque defendit & fovet, ita Persarum Monarchia populum Dei gregis instar ex captivitate Babylonica redemit, in patriam reduxit, reædificationem urbis & templi concessit, multis muneribus accumulavit, & privilegiis donavit.

β. Respectu *cornuum* conspicuus fuit hic aries.

1. Quia *cornua habuit* ut poteutiæ symbola, quam potentiam gentibus opposuit quoquoversum, instando adversus gentes in Occidente, Aquilone, & Meridie habitantes, quas subigens secundam constituit Monarchiam.

2. *Dualis numerus cornuum* duplicatam potentiam & robur ostendit, ex conjunctione duarum gentium, *Medorum* scil. & *Persarum*, quorum vires conjunctæ effecerunt, ut aries circumvicinis gentibus esset superior.

3. Cornuum *inæqualitas* inæqualem quoque potentiam denotat, cum enim unum altero esset excelsius, concludendum fuit Gentem unam altera esse validiorem, quod compertum fuit in gente Persarum, cujus magnanimitas & fortitudo præ reliquis celebratur in historiis.

CAPUT VIII.

DE CAPRIS ET HIRCIS.

§. 1. Altera ſpecies animalium, quam in grege numerabant Judæi, eſt *Caprina;* hircos enim & capras, ad gregem refert *Mantuanus Vates Ecloga 7.*

Compulerantque greges Corydon & Thyrſis in unum,
Thyrſis oves, Corydon diſtentas lacte capellas.

Nomina autem pro varietate ætatis & ſexus varia ſunt.

א. Reſpectu *ætatis* occurrunt

α. גדי, *hœdus*, à verbo גדא, quod in lingua Arabica *alere* & *lacte nutrire* ſignificat: *prolem teneriorem* ſignificari, & adhuc *lactantem* evincunt teſtimonia *Exod.* XXIII. 19. XXXIV. 26. *Deut.* I. *verſ.* 21.

β. Nonnunquam per periphraſim, *hircus minorennis* deſcribitur, quando vocatur שעיר עזים, *hircus caprarum*, quia matrem adhuc ſequitur, eſtque iſtius ætatis qua aptus eſt ad ſacrificia.

ב. Reſpectu *ſexus*

α. *Fœminini*, *capra* Hebræis vocatur עז, à radice עזז, quæ ſignificat *robuſtum eſſe*, vel *fieri*, videturque nomen comparativum, quo appellantur, quia ovibus robuſtiores & fortiores ſunt: Clar. *Bochartus* tamen ab *aſperitate pilorum* capram ita dictam voluit, quamvis id minus evidenter probet.

β. *Maſculini* ſexus reſpectu, hircus ſub triplici venit denominatione; vocatur enim

1. תיש, quæ vox, in Chaldaica, Syriaca, & Arabica lingua, ad *hircum* ſignificandum retinetur, interim obſcurioris eſt originis, & occurrit *Geneſ.* XX. 35. XXX. 14. 1 *Chron.* XVII. 11. *Prov.* XXX. 31.

2. שעיר appellatur *Hircus* ab aſperitate pilorum, ſicut Latine *hircus*, quaſi *hirtus*, unde Virgilius *hirtas capellas* commemoravit, videturque denominatio metaphorica, ſeu ſynecdochica ſpeciei pro genere, quia primaria ſignificatio hirſutum & piloſum

losum denotat, qualis fuit *Esau*, *Genes.* XXVII. 11, 23. Vocabulum in fœminino genere, de *capella* usurpatur, adjecta fœminini terminatione, *Levit.* IV. 23, 24, 28. ut proinde aliqua species hircorum & caprarum, præ reliquis villosa, denominetur.

3. עתודים vocantur *hirci majores* & majorennes, qui capras inire apti sunt, & ut duces gregis habentur, vocabulum nunquam occurrit nisi in plurali numero, & derivatur à themate עתד, itaque appellantur, quia prompti paratique sunt ad qualiacunque hircorum munia obeunda, qualia sunt præire gregem, eum inire, atque alia istiusmodi.

Hisce subjungimus nomen hircorum Chaldaicum, quod non nisi in *Esra* & *Daniele* occurrit, nempe צפיר, cujus radix apud Chaldæos significat *mane surgere* aut *matutinare*. Ratioque denominationis ex sententia Clar. *Bocharti* est, quod capræ & oves à summo mane ad pascua ducuntur, vel quod eo tempore quo Canicula una cum sole oritur, capræ eo conversæ ortum respiciunt, teste *Plutarcho*. Alii viri docti tamen in themate *circumeundi* significationem amplectuntur, itaque Hircum appellatum existimant, quia nunquam uno manet loco, sed gregem circumit, quod quoque efficit quando capram inire cupit, aut rivales hominesve ferire, quo in casu se in gyrum movet, & in obliquum ferit.

§. 2. Non unius speciei est hoc animal, *hœdus* enim vocatur minorennis caper masculus castratus, *hircus* est qui fœmellas imprægnat; *capra* quæ fœtum gignit, *capella* vocatur ante partum.

§. 3. Animalis natura elucet in specificis, quibus ab ovibus distinguitur, *sunt enim hæc animalia non lanigera, sed hirsuta, cornubus validioribus & magis proceris instructa, barbas promittunt longiores, peculiari quoque voce discernuntur, sicut enim est ovium* βληχᾶσαι, *ita caprarum est* μηκᾶσαι. *Viribus quoque longe præcellunt, utpote quibus corpus totum ad fortitudinem conformatum est, conspiciuntur quidem capite parvo, sed fronte valida, cornubus præaltis & latis, cervice breviori, sed plena & musculosa, nec non cruribus crassis & satis validis, quibus accedit peculiaris agilitas, qua in hostem subito ac pocenter insilire solent, habent aures flaccidas & prægravantes.*

In Oriente partem divitiarum insignem constituebant.

א. Quia *minoribus alebantur sumptibus*, nam in montibus, rupibus, & aspe-

aſperis locis, ubi ſylveſtres naſcuntur frutices, libentius paſcuntur quam in herbidis campis aut pratis uberrimis, unde *Virgilius:*

Paſcuntur vero ſylvas, & ſumma Licæi
Horrenteſque rubos, & amantes ardua dumos.

Imo ubi occaſio, præ reliquis venenatas herbas carpunt, unde à paſtoribus deſiderantur, & ſummo jure gregi conjunguntur, quia è medio ſublatis herbis noxiis, paſcua bene ſana reddunt.

ב. Quia *fertiliores* quoque ſunt, non minus ac oves ipſæ, quamdiu enim vivunt capræ coire dicuntur, fœtum quarto poſt conceptum menſe reddunt, unde communiter menſe Novembri congredientes, Martio ſequenti pariunt, & quidem frequenter gemellos, tres nonnunquam, ſed raro, hircus autem ſeptem menſium capram imprægnare poteſt.

ג. Quia *multarum utilitatum* animalia ſunt, habent fœmellæ duas mamillas penſiles & grandiores, quæ uberrimam lactis copiam effundnnt, de quibus, aliiſque utilitatibus, in ſequentibus.

§. 4. Caprini generis inſignis quoque differentia eſt, teſtatur enim *Ariſtoteles* in *Hiſt. Animalium* lib. VIII. 28: *In Syria aures habere, menſura palmari & dodrantali, imo quædam ita demiſſæ, ut terram verſus pendulæ ſint: In Cilicia villo veſtiuntur tonſili*, quod quoque ex *Varrone* conſtat: *Tondentur*, inquit, *illæ, quia magnis villis ſunt in magna parte Phrygiæ*, quod ipſum in *Arabia fieri quoque ſolebat*, teſtibus *Solino* cap. XLVI. & *Virgilio* libro III. *Georgic.*

Nec minus interea barbas incanaque menta
Cyniphii tondent hirci, ſetaſque comantes.

Quibus adde teſtimonium *Æliani*, qui capras dicit in *Lycia ut oves tonderi cum hirſutiſſimæ ſint*, & *egregiis villis.* Hirci in Anatolia quoque qui tricornes memorantur, pilo admodum prolixo, & candore nivem æquante, quem incolæ vellere ſolent. Multum differunt quoque quoad caudarum figuras, quarum aliæ breviores, aliæ tam prolixæ ſunt ut terram uſque pertingant, & in Lycia ita, ut diximus, egregiis villis pollent, ut ab iis cincinni & retorti capilli dependere videantur.

§. 5. Nihilominus huic animali *Vitio* vertitur.

א. *Laſcivia*, ſolent enim capri & capræ petulantiori more huc illuc deſilire & ſaltare.

ב. *Luxuria* & impura libido hircis à teneris quoque propria, *Hircus* eſt teſte *Columella*, etiamnum *hœdus ad libidinem tam pronus, ut etiam matrem, cujus adhuc uberibus alitur, quaſi ſtupraturus aſcendat. Heſiodus* vero *lib.* XII. *cap.* 1. *hircus*, ait, *laſcivum eſt animal & petulcum ac ſemper fervens ad coitum, cujus oculi ad libidinem in tranſverſum adſpiciunt*, unde & nomen traxit, nam *hirci* ſunt *oculorum anguli* ſecundum *Suetonium*. Si *Æliano* credendum eſt, etiam *hirci virgines & fœminas inierunt.*

ג. *Temeraria invaſio*, eſt enim animal petulcum & minax, pugnam non detrectans, quod fugam non facile capeſcit, imo temerarie quemcunque invadit, unde *caperare frontem* in proverbium abiit.

ד. *Odor*, quem hoc genus animalium fundit hominibus ſatis ingratus.

ה. *Ægritudines corporis* ex peculiari ſanguinis ardore provenientes: unde cum *peſtilentia vexantur, quamvis opimæ atque hilares, ſubito concidunt, & veluti aliqua ruina pervertuntur*, ut docuit *Columella*, imo *Varro* author eſt *capras ſanas, neminem ſanum promittere, quia nunquam ſine febri ſunt*: Epilepſiam quoque, alioſque morbos patiuntur, unde non mirum eſt illas brevioris vitæ eſſe.

ו. Illis quoque vitio vertitur quod *morſus* illorum optimis arboribus ſit exitialis, adeo ut *Plinius* afferat quod *olivam lambendo ſterilem faciant*, & tamen illis nativa & familiaris pronitas eſt utiliſſimis arboribus hanc noxam inferendi, quod Philoſophi deducunt ex peculiari halituum, tum acrimonia, tum etiam fervore, accedente quoque ſalivæ intemperantia.

§. 6. Hiſce non obſtantibus, caprinum genus animalium in lege refertur ad claſſem *purorum & mundorum.*

א. Quia *ungulas* habent *bifidas*, unde firmius incedunt, & ipſas rupes conſcendunt ſine ullo lapſus periculo.

ב. Quia *alimoniam* undecunque decerptam ex ingluvie revocant, & *ruminant*, melioris digeſtionis & concoctionis gratia.

Laudatur quoque in hircis & capris majus præ ovibus *robur*, quo fortius occurrenti hoſti reſiſtunt: imo hircos canibus junctos nonnunquam cum ſucceſſu lupos invaſiſſe, aliqui commemorant.

§. 7. Celebrantur inter pecora *utiliſſima*

א. A ratione *victus*, ubi præcipui uſus eſt.

α. *Caro*, hœdorum carnem penes Hebræos maximis fuiſſe in deliciis conſtat ex *Geneſ.* XXVII. 9. *Jud.* XII. 15. & aliunde. *Galenus*

lenus medicorum facile princeps de *Attenuante victus ratione* agens, asserit, *Ægros solis hœdis innoxie uti*, unde & medici, senibus & decrepitis hœdorum carnem ut innoxiam, præscribunt, nec non infirmis & ex morbo convalescentibus, quia humida, gustu suavis & tenera est: atque adeo facilioris digestionis, quæ optimum suppeditat alimentum. Hinc *Rebecca* marito decumbenti edulium ex hœdis paravit; vetulæ autem utriusque sexus carnes, quia difficilioris sunt concoctionis, non nisi robustis & famelicis indulgentur: hinc Thebanum quemdam pugilem, sola carne caprina vesci solitum, omnes ætatis suæ athletas viribus superasse ferunt.

β. *Lactaria edulia* potu præcipue à capris desumuntur: Hinc Salomo, *Prov.* XXVII. 27. *Sufficiet tibi, familiæque tuæ in alimoniam capræ lac*; *Galenus* commendat à singulari aptitudine ad nutriendum, & præ bubulo atque ovillo præfert, quia cum illud minus pingue, hoc vero nimis crassum sit, caprinum medio incedit; hinc est quod ipsam phtisin curet; casei inde confecti præ ovillis quoque commendantur, & inter gratiora edulia, *flos lactis caprini.* Verum cum utrumque admittat lex, nempe carnem hœdorum & lac caprarum, mirum videri cuipiam posset, quod in lege prohibitum sit, & quidem tribus in locis, nempe *Exod.* XXIII. 19. XXXIV. 26. *Deut.* XIV. 21. *hœdum in lacte matris decoquere*, si enim utrumque comedere vel bibere licitum fuerit, peculiaris causa subesse debet, cur amborum conjunctio prohibita fuerit. Hoc dubium ita torsit interpretes, ut in quinque diversas & dissentientes opiniones abierint, quas omnes doctissime, ut solet, excussit Clar. *Bochartus.* Verum notandum est, quod monent quidam Judæornm interpretes, tam Rabbanitæ quam Caraitæ, Legislatorem respexisse antiquorum Zabiorum mores, quorum scripta sibi visa testatur *Maimonides*, qui Satyris & Faunis sub hircorum forma victimas immolarunt, ab omni hircorum carnis esu se abstinuere, attamen certo quodam die festivo hœdum in lacte matris decoctum, ut victimam propitiatoriam obtulere, & lacte arbores, agros, hortos, & pomaria aspersere; credentes fore vi quadam magica, ut hoc modo in annum sequentem feraciora redderentur. Ritum hunc magicum & idololatricum eo tempore celebratum ferunt, quo fructus suos colli-

 lige-

ligebant. Ab hoc ritu autem Deum Judæos voluisse abstinere repetitis hisce legibus, vel inde verisimile est

1. Quia legem hanc reperimus conjunctam præceptis, ritus idololatricos prohibentibus, nec non modum celebrandi festa majora præscribentibus.
2. Quia præter hanc causam, non est cur res suâ natura licitæ tam strenue prohiberentur: unde textus Samaritanus addit; *qui hoc facit est instar ejus qui rem abominabilem sacrificat, quod irritat Deum Jacobi*, quæ enim natura licita sunt, & pura, non possunt aliam ob causam fieri illicita, nisi propter abusum & finem illicitum.
3. Quia Deus toties hanc legem injunxerat, quod non fuit de nihilo, verum supponit grande aliquod malum populo metuendum, qualia sunt idololatrica & magica. Plura vide apud *Spencerum lib.* II. *cap.* 8.

ב. Ratione amictus *utilitas* Caprarum & Hircorum duplex est,

α. Quatenus pellis *vestimenti* vicem subit, ita ex hœdina pelle conficiebantur *galericuli* ad celandam calviciem, quorum *Martialis* meminit *Epigramm.* 45.

Hœdina tibi pelle contegenti,
Nuda tempora, verticesque calvas.

Et jam diu ante *Moses Genes.* XXVII. 16. enarrat *Rebeccam*, hœdinis pellibus *Jacobi* collum, manusque contexisse, ut fratrem *Esavum*, toto corpore hirsutum, quodammodo referret.

β. Quatenus *pili* adhibiti fuere ad aulæa & vestes contexendas: ita Arabes tentoria cilicina è caprarum pilis contexebant, teste *Solino*, & *Moses*, *Exod.* XXVI. 7. Deo authore imperavit, *ut è caprinis velleribus stragula facerent, ad contegendum tabernaculum, quæ mulieres suis moribus nebant.* Vestium autem è caprarum pilis confectarum, non idem fuit pretium, pro pilorum majori aut minori subtilitate: ex crassioribus caprarum pilis conficiebantur plebeiæ, de quibus *Virgilius:*

Usum in castrorum & miseris velamina nautis.

pretiosiores ex tenui lanugine contexebantur apud Arabes.

ג. Ratione *sacrificiorum* eadem fere *caprarum* atque *ovium* fuit ratio in holocaustis, pacificis, & piacularibus sacrificiis: unde in ipso Paschali sacramento, nonnunquam hœdi substituebantur agnis. Celeberrimi sunt duo hirci quorum fit mentio *Lev.* XVI. 5. qui die Expiationis coram altari sistebantur, sorte distinguendi, ut unus cederet Jehovæ in sacrificium piaculare, alter Azazeli dimitteretur in desertum, de quibus plura suo loco, ubi de expiationibus agendum erit.

§. 8. *Hircis & capris abutebantur gentiles*, qui Satyros & Faunos colebant, unde in gentilium Theologia, plura de *Pane*, *Silvano* & *Sileno*; qui cum colerentur peculiaribus sacrificiis & ritibus, habiti quidem sunt pro Diis ex Diaboli præstigiis, qui sub hac forma hominibus infidelibus apparuit, verum in Scriptura denotantur ut mali genii, quod evincitur ex lege *Lev.* XVII. 7. ubi Legislator prohibet hostias amplius immolare לשעירם, *pilosis Diabolis*, sub hirci forma apparentibus. *Mendeni* etiam inter Ægyptios capros divinis honoribus ita prosequebantur, unde & nomen acceperunt, nam teste *Herodoto* μένδης hircum simul & Pana significat. *Diodorus Siculus* author est *hircos ab Ægyptiis cultos ob genitale membrum;* sicuti Priapus apud Græcos; hinc asserit, *hircorum simulacra, in eorum fanis dedicata, membris hircorum instar arrectis, retulisse formam hirci & hominis, & quia hoc animal ad coitum maxime est propensum, illos hoc pacto testatos fuisse gratum animum pro fœcunditate gentis suæ:* Mulieres quasdam religionis causa cum hircis consuevisse, produnt *Herodotus*, *Strabo*, *Ælianus* & *Pindarus*. Huc forsan alludunt verba legis, quæ testantur quod cum *pilosis meretricati fuerint Israëlitæ*, idololatriam scortationem vocando, quia idololatræ, adjunctis scortationibus corporalibus, Deos colebant.

§. 9. In *Theologia Emblematica* occurrunt

א. *Hirci*, qui fuere symbola

α. *Principum terræ*, *Jes.* XIV. 19. XXXIV. 16. *Jer.* LI. 40. *Ezech.* XXXIX. 18.

Ratioque denominationis fundatur

1. In *usu* hircorum, quatenus sunt duces gregis; principum enim est populo præire, & in viam ducere, ut omnia illis eveniant grata & felicia.
2. In *robore* & potentia, quatenus cornutum animal robur gerens in

in fronte, hostes occursantes invadit, ita à principibus terræ, potentior exspectatur populi defensio.

3. Majoris considerationis est hircus in *visione Danielis* Cap. VIII. vers. 5, 8. qui videbatur *prodire ex Occidente in universam terram, tellurem vix pedibus attingens, habens unum cornu inter oculos, illudque satis insigne quo arietem invadebat & prosternebat, ex effracto quatuor cornua minora prodibant.* In confesso est apud omnes Interpretes, indigitante illud ipso Propheta, regnum Græcorum designari, comparative consideratum ad regnum Medorum & Persarum idque ob sequentes analogias

α. Respectu *indolis*, est enim hircus animal

1. *Ariete ardentius*, ita quoque imperium Græcum sub *Alexandro Magno*, cum animi fervore omnia tentavit, vehementer Monarchiam desiderans, adeo ut nullo terriculamento abstineri potuerit à prædis, neque ullis conditionibus oblatis placari.
2. *Velocius*, unde & in ipsa visione conspiciebatur *pedibus vix terram attingens*, quod cum celerrima Alexandri expeditione admodum congruit, qui ab Occidente *Bosporum Thracium* trajiciens, subito *Anatoliam* penetravit, & non longè à confiniis *Syriæ*, prælio Persarum exercitum fudit, *Syriam*, *Tyrum*, & *Judæam* intra parvum temporis spatium occupavit, ac bello decretorio omnem Persarum vim confregit & dissipavit, *Dario Codomanni* filio à suis interfecto.
3. Ariete quoque *potentior* est hircus, quo repræsentabatur *Alexandrum Magnum*, Persis superiorem fore.
4. *Libidinosior* est hircus ariete, quod egregie denotat Macedonum petulantiam & lasciviam, utpote qui subito mores Persarum induentes illis longe pejores facti sunt.
5. Hircus *gregi non ita amicus* est ut aries, utpote animal petulcum & cornu petens; ita quoque Græcorum Monarchia Ecclesiæ Judaicæ fuit minus amica, quæ multa gravia ab *Antiocho* passa fuit.

β. Respectu *cornuum* notandum est

1. In hirco juvene *unum cornu satis procerum* videbatur, quod denotabat in juvenili imperio potentissimum Alexandri Magni imperium.

2. Cornu

2. *Cornu* illud *effractum*, ejusdem Alexandri significabat mortem, & simul defractam potentiam.

3. *Quatuor cornua ejus loco succrescentia*, indicabant imperium illud dividendum inter quatuor reges, qui simul regnarent, divisis tamen inter se locis & regionibus, quod cum eventu apprime consentit, *Seleucus* Syriam, *Ptolomæus* Ægyptum, *Antigonus* Asiam, *Antipater* Græciam obtinuere.

3. Hirci quoque in sacris sunt emblemata *Hypocritarum*, olim inter Judæos, & etiamnum inter Christianos versantium; sicut enim hirci ad gregem pertinebant, ita hypocritæ quoque inter oves numerantur ut pars gregis, attamen ut ab ovibus peculiaribus criteriis distinguendi: hircorum itaque genium repræsentant hypocritæ

α. In statu *separato*, & extra conjunctionem considerati, prout enim hirci sunt animalia

1. *Bruta;* ita quoque hypocritæ ignorant quæ sunt *Spiritus Dei*, 1 *Cor.* II. 14. qui est omnium hominum status naturalis, conf. 2 *Pet.* II. 12.

2. *Lasciva* & *impudica*, quæ vitia etiam in hypocritis notanda sunt, quippe qui carnalibus suis cupiditatibus indulgent, 2 *Pet.* III. 14. & cum mundo scortantur.

3. In hirco denotatur *pertinacia*, quæ eadem hypocritarum vitia sunt, dum difficilius corriguntur quam gravissimi peccatores.

4. In hircis offendit *fœtor*, ita quoque hypocritæ putidissimi sunt peccatores, à quibus Deus maximam habet aversionem, unde Christus in Euangelio eos quam severissime reprehendit, ut videre est pluribus in locis.

β. In statu *sociato*, quatenus externam communionem habent cum grege, id est, Ecclesia.

1. *Eodem* gaudent cum ovibus *externo privilegio*, quatenus in iisdem pascuis pascuntur; ita quoque hypocritæ, eandem doctrinam ex verbo Dei haustam audiunt, ruminant, & in iisdem ritibus incedunt, & proinde judicio charitatis, inter pura animalia adnotantur.

2. Nihilominus ovibus in multis sunt *molesti*, quatenus

a. Hircus est *cornupetens*, & petulcum animal oves infestare solet, ita hypocritæ infirmos fratres sæpe offendunt, 1 *Cor.* VIII. 11, 12.

b. Qua-

b. Quatenus hircus *bonum pabulum pedibus conculcat*, dumeta quærit, & aquas conturbat, ovibus quoque creat molestias: ita hypocritæ aliquando non patiuntur, fideles sincerum Dei verbum ad vitam & lætitiam conducens, purum putum percipere; verum suis nugamentis, effictis ratiociniis, dictis temerariis, præceptis & præscriptionibus, sinceram fidei doctrinam corrumpere & falsare solent, vid. *Ezech.* XXXIV. *vers.* 17, 18.

γ. In statu *Judicii*, hirci morbis infecti aliquando à grege separandi sunt, ne reliquum gregis inficeretur: ita quoque hypocritæ idem experiuntur fatum & experientur suo tempore, nempe

1. In diebus *repurgationis Ecclesiæ*, quando scandala sunt majora, quam ut bonus pastor illa æquo animo ferre possit, conf. *Zach.* X. 3. *Ezech.* XXXIV. 13.
2. In die *ultimi judicii*, quo Christus testatur se oves ab hircis separaturum, & hos ad sinistram, illos ad dextram collocaturum, ubi hirci idem experientur judicium cum Diabolo, & suis nempe malis spiritibus, qui jam in abyssum præcipites conjecti sunt, *Matth.* XXV.

ד. Quamvis *Christus* nunquam vocitetur *Hircus* aut *Hœdus*, in sacra Scriptura, nihilominus in sacrificiis sub hœdorum & hircorum typo sæpe fuit repræsentatus, quatenus ipse in sacrificio pro peccato & reatu, fuit adumbratus, utpote in plenitudine temporis offerendus, quod gravissimas ob causas fieri dubitandum non est, & quidem

α. Quia hominum judicio, ut talis à populo *segregaretur*, & condemnaretur, non aliter ac si vitiorum qualiumcunque reus esset; ita à Judæis fuit condemnatus & exagitatus

1. Ut *sanæ doctrinæ corruptor & blasphemus*, qui ovibus perversis dogmatibus esset molestus, unde clamitant quod corruperit & seduxerit populum, *Luc.* XXIII. 2.
2. Ut *petulcus* & *refractarius* in authoritatem arietum, id est, prædominantium potestatum incurrens, conf. *Luc.* XXIII. 2. *Joh.* XIX. 12.
3. Ut *impurus* sectans delicias, & scortorum amicus, *Matth.* XI. 19. & alibi.
4. Ut *putidus*, quem universus populus habuit abominationi, *Jes.* XLIX. 17. unde clamor *tolle*, *tolle*, & *crucifige*.

β. Acce-

β. Accedit *judicium Dei*, qui eum consideravit

1. Ut *nostram personam referentem*, qui *nostro nomine peccatum factus fuit*, 2 *Cor.* V. 21. atque adeo speciem habebat hominis missi *in similitudine peccati carnis*, *Rom.* VIII. 3. qui igitur nostram personam referebat, quatenus hircorum instar eramus vitiosi, & damnabiles, non mirum quod ille sub hircorum typis adumbratus fuit.
2. Nihilominus eum consideravit Deus ut *mundum*, & *purum* in se, non aliter ac hirci & hœdi inter pura animalia fuerunt relati, Christus enim duas munditiei notas in se ipso habuit.
   a. Voluntatem Patris perpetuo *ruminando*, & legem ejus meditando, *Psal.* XVI. 7. XL. 19.
   b. Viis Dei constanter insistendo, non aliter ac *bifida* animalia progrediuntur sine ulla lapsatione; itaque *nobis in omnibus similis factus est, excepto peccato*, *Hebr.* IV. 15.

γ. Quia hircum referebat *in cruce* jam mactatus, à quo tempore præparatus fuit, ut nobis suppeditaret carnem suam in cibum, & sanguinem in potum, ad promovendam vitam nostram spiritualem, vid. *Joh.* VI. 53. — 56. nam

1. Sicut caro hœdina & caprina *gratissima est*, & commendatur ægris, ad virium refocillationem; ita quoque mors Christi, est causa recuperandæ sanitatis spiritualis & vitæ, veraque ægrotis medicina.
2. Sicut sanguis hœdinus & hircinus *solidissimos dissolvit lapides*, ita quoque vis meritorum Christi cor lapideum emollit, & quasi carneum illi substituit, quod inculcatur *Ezech.* XXXVI. 25. ubi post aspersionem aquæ mundæ, id est, sanguinis Christi, saluberrima illa cordis mutatio promittitur, & quasi ex causa propria deducitur.
3. Accedit & *utilitas pellis ad vestimentum*, ita justitia Christi, velleris instar, fidelibus donatur vestimenti loco; huc alludit typus *benedictionis Jacobi*, qui indutus hœdinis pellibus ab *Isaaco* benedictionem retulit.

§. 10. Occurrunt etiam in *Theologia Emblematica*

א. *Capræ* & *Capellæ*, & quidem

α. In *sacrificiis pro peccato*, ut emblema rursus *Christi*, quatenus sexus fœmininus est imbecillior; ad ostendendum, quod experiretur in

 passio-

passionibus suis maximam imbecillitatem, quoad cætera convenit hoc emblema cum emblemate hirci præced. §. num. ד.

β. Verum capræ & capellæ in sacrificiis *holocausticis* & *pacificis* potiorem locum habent.

1. Ad denotandum quod in communione Christi non *sit mas aut fœmina*, verum omnis differentia sexus & generis foret ablata.
2. Ad denotandam *veram rationem eorum*, qui communionem cum Christo haberent, nempe
   a. In *holocaustis* denotabatur, quod veri fideles sub forma caprarum repræsentati, omnia sua vitia naturalia cum veteri homine vellent mortificari, ut in novitate vitæ postea ambulantes, Deo vivum & mundum essent sacrificium.
   b. In *pacificis*, ubi de carne caprina comedebant, significabant se peccatores, cum Christo hirci & capræ instar habito, habere communionem ad salutem, & promptum animum, in signum gratitudinis, officia pietatis ad ædificationem præstandam Ecclesiæ.

γ. *Capellæ* quoque nominantur veri fideles, verum certo cum respectu *Cant.* I. 8, 9. ubi designantur Christiani ex Judæis, qui in fide imbecilliores, de libertate Christiana nondum erant persuasi, ac proinde gentilium commercium, quotquot non circumcisi in libertate vivebant, studiose fugiebant.

Horum analogia cum capellis quærenda est,

1. In *moribus*. Sunt enim capellæ
   a. *Lasciviores*, quod etiam Judæorum conversorum vitium fuit, qui nimium adhærebant terræ Canaan, ejusque deliciis, & propterea etiam nimium scortati sunt cum Romanis. Hinc multi Apostolorum labores, ut eos à terrestri hæreditate revocarent, ad quærendam requiem regni Christi, quod evincit *Epistola Pauli ad Hebræos*.
   b. *Impuritatis sunt impatientes*; capellæ enim fimum ac lutum in stabulis abhorrent: ita quoque Christiani ex Judæis, legi Mosaicæ nimium adhærentes, abominati fuere Gentilium commercium & convictum; unde *Petrus* in eorum gratiam edocuit Gentiles Judaice vivere, propterea reprehensus à *Paulo*, *Gal.* II. 14.

c. *Imbecilles* quoque ſunt, ac facile peſtilentia tanguntur, unde gregatim ante perceptos languores concidunt: ita enim novitii Chriſtiani Judaizantes, facillime ſcandalo correpti Chriſtianam fidem gregatim deſeruerunt, & apoſtaſiam fecerunt ſub nomine Nazaræorum & Ebionitarum.

2. In *cura paſtorali*, quatenus capellæ reperiuntur

a. In *morborum cura & ſingulari præcautione:* ita Chriſtus per Apoſtolos myriades Judæorum ita pedetentim de libertate Chriſtiana inſtituit, ut ab imbecilli conſcientia ſanati fuerint.

b. In *viarum & veſtigiorum prudenti ductu*, ſolent enim paſtores capellas imbecilliores ita ſeparatim in paſcua ſaniora expellere, & à noxiis pratis removere, ut cura earum promoveatur. Ita jubentur nunc Chriſtiani ex Gentilibus, attendere ad veſtigia capellarum, & in iis animadvertere paſtoris prudentiam, futurum enim erat, ut deſtructa republica Judæorum, Chriſtiani Judaizantes, & in diſtinctis cœtibus à Gentilibus coaliti, à lege Moſaica tandem averterentur, & merum Euangelium admitterent.

c. A *ſanarum conjunctione cum grege*: ita & Judæi in Chriſtum credentes, & ad fidem converſi, à præjudiciis legalibus liberati, atque videntes œconomiam Moſaicam cum Republica abolitam, aliquando cum reliquis credentibus ex Gentilibus erunt conjungendi, ut cum iis unam eandemque ſanctam & catholicam Eccleſiam conſtituerent.

CAPUT IX.

DE SUIBUS ET PORCIS.

§. I. SEquitur nunc alia animalium ſpecies, Judæis inviſa, Gentilibus grata, & in grege numeranda quæ *Suum* aut *Porcorum* nomine innotuit: Hebræi tantum unum ſed per obſcurum nomen habent, quo *Porcum* appellant, nempe חזיר, de cujus origine & etymo laborant Philologi.

א. Quidam, quos inter Clar. *Bochartus*, animadvertunt, Arabes quoque *Suem* vocare חנזיר, inserto נ epenthetico, qui simul tradunt, חזר in sexta conjugatione significare *contractionem palpebrarum*, ut quis acutius videat, prout Myopes solent; rationem denominationis esse volunt, quod porci oculos habeant angustiores, &, teste *Gesnero*, ita cavos ac profundos, ut absque vitæ periculo eximi nequeant.

ב. Alii vocem ex lingua Chaldaica derivant, quibus à themate חזר multa derivantur nomina *rotunditatem* significantia, voluntque porcum à figura ita denominatum, quia saginatus, rotundam figuram præ reliquis induit.

ג. Verum non improbabilis est eorum sententia, qui in radice Chaldaica & Syriaca, primæ ejus & usitatissimæ significationi inhærentes, eam præferunt qua radix *redire* & *volvere* significat, propria enim porcorum indoles est *redire ad cœnum* & in illo *volutare*, unde proverbium *Sus in cœno se pervolvet*, conf. 2 *Pet.* II. 22. huc pertinet illud *Lucretii*,

> *At contra nobis cœnum deterrima cum sit*
> *Spurcities, eadem suibus tam munda videtur,*
> *Insatiabiliter toti ut volvantur ibidem.*

Eadem ratio est Græcæ denominationis, quibus ὗς dicitur ἀπὸ τοῦ ὕεσθαι, quia *amica luto sus*, ut Poëta canit, & Sus vocatur à σύω, quod idem est ac σείω & σεύω, *movitor*, *agito*, quia rostro loca quædam impura subruunt.

§. 2. Græcam vocem χοῖρος difficilioris originis esse, asserunt Lexicographi sua taciturnitate; quidam à voce Hebr. חזיר per literarum transpositionem derivant, quod si alicui nimis contortum videatur, melius forte deducetur ex χοίρας, quod *strumam* significat, & *scrophulam*: unde Latinis *scrofa* dicta *porca* quæ peperit, ratioque denominationis datur, quod in porcorum gutture frequentes ejusmodi inveniantur tumores, quæ strumæ appellantur.

§. 3. Recensentur quoque Sues seu Porci *inter animalia mansueta, & quidem minora; quæ à reliqua pecude distinguntur, eo quod corpora habeant rotunda & setigera, peculiari voce grunnitus se prodant; rostrum præmittunt satis procerum, habentque, brevi parumque flexili collo, annexum caput oblongum; pedibus incedunt curtis: veteres porci non castrati sunt salacissi-*

lacissimi, & unico interdum coitu, multo fœtu suem implent, quæ binis anni vicibus parit, tribusque mensibus uterum fert, nec tantum sæpius sed & plures porcellos generat atque educat, magna rei rusticæ utilitate; natura calida simul & humida, caloris in tantum impatiens est, ut teste *Columella, hoc animal non sit contentum potione aquæ, nisi obesam illuviem & distentam pabulis alvum demerserit ac refrigeraverit; unde etiam lubenter se luto involvere refrigerii causa dicuntur; unguentorum odorem ac rosarum tantopere aversatur sus*, ut inde proverbium natum sit, quod *Crateri* Philosopho attribuitur ὗς διὰ ῥόδων, *sus per rosas.* Quoad *alimoniam omnia sordida & grave olentia, tanquam palato grata lubenter admittit.*

§. 4. Huic animali *vitio* vertitur

א. *Stupiditas;* nullas enim artes sues addiscunt, neque ulli operi utiliori assuescunt, aut assuefieri possunt, neque facile inter objectas alimonias distinguunt, sed omnia promiscuè devorant.

ב. *Intemperantia*, seu insatiabilis voracitas, unde *Columella lib.* VII. *cap.* 2. scribit in hunc modum, *Sues ex omnibus pecudibus impatientissimæ famis sunt, ita ut aliquando, cum indigeant pabulo, non tantum alienam si liceat sobolem, sed etiam suam consumant: causa est ventriculi fervor.*

ג. *Libido*, unde *Plinius lib.* X. *cap.* 36. tradit, *Sues coitu spumam ore fundere, verrem, subantis audita voce nisi admittatur, cibum non capere; fœminas autem in tantum efferari, ut hominem lacerent candida maxime veste indutum.* Huc pertinet quoque *Festi* testimonium, *Sues immundissimæ sunt, ex omni mansueta pecude, & ardentissimæ libidinis, ita ut opprobrium mulieribus inde tractum sit, cum subare, vel surire dicantur.*

ד. *Impuritas*, dum amant volutari non tantum in luto, verum etiam pasci in locis uliginosis, & ab ipso stercore non abhorrent, cadavera animalium dilacerant, & omnia fœtida promiscuè hauriunt.

ה. *Ingratitudo obmurmurans*, dum benefactori non nisi grunniendo respondent, & sæpe à læsionibus non abstinent.

ו. *Fuga mortis*, quam quasi semper præsentientes, horrendo grunnitu & contranitentia testantur.

§. 5. Judæis hoc animal non tantum putatur inter *immunda*, quia non ruminat, verum etiam singulari modo est exosum: unde studiosissime à porcina carne abstinent, præeunte lege divina *Lev.* XI. neque simplicem tantum immunditiem cum aliis animalibus ei commu-

nem tribuebant, verum peculiari odio & fuga prosequebantur, adeo ut illis antiquitus ne porcos quidem alere licuerit, imo ne hodie quidem nominare sustineant, adeo ut parvulis rogantibus ecquid hoc animalis sit? respondeant דבר אחר, id est, *aliam, seu nefandam rem*, notante *Schickardo* in libro *de Jure regio.* Hinc multa passi sunt Judæi *Antiochi* temporibus, cum constanter esum carnis porcinæ negarent, vid. 2 *Macc. cap.* VI. & VII. Hujus odii ratio gentilibus occulta cum esset, aliqui putarunt illos venerationis causa abstinuisse, unde Romanorum figmentum illos porcos adorasse, ita *Petronius:*

Judæus, licet & porcinum numen adoret.

Tacitus tamen Judæos *sue abstinere* dixit *memoria cladis, quod eos scabies quondam turpaverat, cui hoc animal obnoxium est.* Mirari solent viri docti, cur Judæi magis à porcis abhorreant quam ab equis & asinis, qui, cum duplici nomine essent immundi, porcus autem bifidas ungulas habens, tantum uno nomine immundus dici possit.

Respondeo,

א. Quia lex, *Lev.* XI. 10. porcum eo quod non ruminet, immundum declarat, atque in impuris habet. Fateor non magna est differentia inter porcos, & cætera animalia immunda, nisi quod porcus nullius sit utilitatis hominibus quibus carne porcina vesci non licuit, cum alia sit ratio jumentorum, quæ alebantur propter alias quasdam singulares utilitates, in statu œconomico & politico non negligendas.

ב. Quia porcus luto & cœnosis volutabris gaudens, fœdissima quædam vorat, & potu tam spurco delectatur, ut non tam immundus, quam ipsa immundities videatur, cumque leges Judæorum omnem immunditiem curiose prohibeant, & immundarum rerum contrectationem commaculare & conspurcare doceant, non mirum est Judæos à porcorum attrectatione abstinere.

ג. Quia porcinæ carnis esus & contrectatio, temporibus *Antiochi*, fiebat indicium & testimonium abjurati Judaismi; cogebat enim eos tyrannus, ut carnem hanc vetitam comederent, & animalis illius immundissimi sanguine sacra sua contaminarent; unde religiosiores noluerunt specimen dare animi dubitantis circa fidem.

ד. Quia gentiles in februis, sacrificiis, mysteriis magicis, festis, & pactis

pactis fanciendis, porcos mactabant, voluerunt religiofiores eo magis teftari adverfum animum.

α. Porcos mactatos fuiffe inter *Februa* & luftrationes, docet *Seldenus De Diis Syris, lib.* I. *cap.* 6. cui ritui opponitur divinum monitum, *Jef.* LXVI. 17. ubi fe purificantes dicuntur *carnem porci comedere.*

β. Locum primarium habuit porcorum mactatio in *facrificiis Cereris*, tefte *Varrone.* Unde *Ovidius:*

Prima Ceres avidæ gavifa eft fanguine porcæ
Ulta fuas merita cæde nocentis opes.

Immolati quoque fuerunt ad lares placandos, juxta *Horatium:*

— — *Immolet æquis*
Hic porcus Laribus — —

Hac victima etiam compita luftrabant juxta *Propertium:*

Parva faginati luftrabant compita porci.

Antiochus furiofus hoc genus facrificii obtulit, ut infaniam fuam porcis piacularibus expiaret, exiftimans multum valere ad mentem fanam impetrandam.

γ. In *myfteriis magicis* jus vel fuccus carnium porcinarum in aëra fpargebatur, quorfum refpicit locus *Jef.* LXV. 4. *Comedunt carnem fuillam, & fuccum immundarum carnium habent in vafis fuis.*

δ. In *feftis* Gentilium *facris* etiam porci mactatio locum habuit: unde *Juvenalis*,

Moris erat, quondam feftis fervare diebus
Sicci terga fuis, rara pendentia crate,
Et natalitium cognatis ponere lardum.

ε. *Fœdera pacis* inierunt intercedente cæfa porca, tefte *Varrone*, & *Virgil. lib.* VIII. *Æneid.*

Armati Jovis ante aram paterafque tenentes
Stabant, & cæfa, pangebant fœdera, porca.

Obfervarunt quoque antiquarii porcum in Romanorum vexillis depictum fuiffe, tanquam pacis indicium & argumentum.

Anti-

Antiqui Ægyptii hoc animal odio habuerunt ut *pollutum & omnivorum*, ut teſtatur *Ælianus.* Et *Herodoto* teſte, *Ægyptii ſuem beſtiam immundam arbitrantur, quam ſi quis vel tranſeundo contigerit, ſe una cum veſtibus flumini immerſum abit.* Quod forte ab Judæis hauſerunt, à quibus hoc odium propagatum eſt ad Indos & Æthiopes, ut certe ad Muhammedanos.

Verum *dubium* occurrit, quomodo Chriſtus potuerit invenire in Palæſtina porcorum paſtores, *Matth.* VIII. 30. — 33. cum Judæi tam ſtudioſe à porcorum contrectatione abſtinuerint, & horum animalium inter illos nullus eſſet uſus? Reſp. Id contigiſſe in terra *Gergeſenorum*, ubi variæ fuerunt Græcorum coloniæ, peculiari libertate donatæ, non igitur mirum Græcos, utpote Gentiles, & Judæis non ſubjectos, porcos aluiſſe, & carnem porcinam, non tantum inter vicinos Syros, & Phœnices, ſed & inter Romanos milites diſtractam fuiſſe, eo tempore, quo Romani Judæam tenuerunt, & eorum milites in primariis Palæſtinæ civitatibus degerunt.

§. 6. In *Theologia Emblematica* malæ notæ eſt porcus, non tantum apud Hebræos, ſed & apud Ægyptios, nam Ægyptiis æque ac Perſis ſunt execrationi. *Horus Niliacus*, qui vulgo *Horus Apollo* vocatur, & antiqua Ægyptiorum Hieroglyphica deſcripſit, aſſerit *Lib.* II. §. 35. *Porcum fuiſſe apud Ægyptios hominum pernicioſorum ſymbolum*; rationem addens, *quia iſtius naturæ eſt animal*; id ipſum ſacra Scriptura imitatur, ubi homines profani, etiamſi ad externam Eccleſiam accedant, appellantur *Porci*, *Matth.* VII. 6. 2 *Pet.* II. 22. prout & Gentiles extra Eccleſiæ communionem degentes, *Porci* appellantur in Parabola filii perditi, *Luc.* XV. 15. neque abludit analogia; ſi enim conſideremus

א. Porcorum *indolem*, egregie repræſentant profanos

α. Sua *ſtupiditate*, utpote quibus nullum prudentiæ veſtigium adhæret, nihil diſcernunt inter pretioſa & vilia, margaritas & ſiliquas, ſed omnia promiſcuè habent; ita quoque profani nihil lucis in mente poſſident, qua diſtinguant honeſta à turpibus, ipſamque cœleſtem ſapientiam ſpernunt.

β. Sua *pertinacia*; habentur enim porci impuri, quia etiamſi habeant ungulas bifidas, non tamen ruminant, ungularum autem bifidarum conſtantia & firmitas ſine ruminatione, mera pertinacia eſt; ita quoque profani in ovium pabulum incidentes, dum

dum verbum Dei audiunt, nequaquam pia meditatione ruminant, unde omnis ſine fide conſtantia, nihil aliud eſt, niſi opinionum mera pertinacia.

γ. *Facilitate redeundi ad ſpurcitiem*, unde *amica* dicitur *ſus luto*, ita quoque profani poſt acceptum lavacrum Baptiſmi, & ſimulatam anteactæ vitæ pœnitentiam, ad priorem vitam redeunt, quorſum *Petrus* reſpicit 2 *Pet.* II. 22.

ב. Si eorundem ſpectemus *victum* & vitæ genus, varia intercedit inter ipſos & profanos analogia.

α. Ut porci *glandibus* & *ſiliquis* veſcuntur, *Luc.* XV. 16. ita profani quoque amant impuriores gentilium diſciplinas, eaſque longe præ doctrina Scripturaria æſtimant.

β. Sicuti in *ſegetes* erumpentes, non tantum omnia *dilaniunt*, verum & agros *roſtro evertunt*, ita profani quoque verbo Dei intemperanter abutuntur, alias veritates admittendo, alias conculcando, atque ita ædificationi Eccleſiæ maximam noxam inferendo.

γ. Sicuti porci *ſtercora amant*, & eorum odorem habent ſuaviſſimum, ita profani illa ſpiritualibus præferunt, quæ pii pro ſtercore habent, *Philip.* III. 8. & illis ex re qualibet lucri bonus odor.

δ. Sicuti porci non *ferunt roſas* & amaracum, ita quoque profanis eſt verbum Dei *odor mortis ad mortem*, 2 *Cor.* II. 16.

ε. Prout porci *ſua tantum quærunt*, nihilque utilitatis in vita reddunt, non præbent lacticinia ut capræ, non lanam ut oves, ſed omnem paſtum in proprios uſus invertunt; ita profani quoque omnem ſcientiam aliunde hauſtam, ſtudio proprii commodi applicant, ut ſibi per fas aut nefas opes acquirant.

ζ. Ut porci *intemperanter omnia hauriunt*, ut inde ſaginarentur, ad proprium interitum, ita quoque profani rebus mundanis abutuntur, in comeſſationibus & compotationibus aſſiduè, ut tandem tanquam victima Diaboli moriantur. Conf. *Jer.* XII. 3.

ג. Porci olim *gregatim collecti*, & cura paſtoris commendati in multis quoque repræſentant profanos.

α. *Malo exemplo*; ſolent enim matres porcellos mature ad ſtercora ducere, ita quoque profani propriam ſobolem ad impietatem ſeducunt.

β. Solent *paſtori* ducenti variis modis *obniti*: adeo ut

1. Non patiuntur ſe *in viam dirigi* manibus, quin multo cum clamore & oppoſitione ductori reſiſtant; ita quoque profani ἀτάκλοι ſunt, Eccleſiæque miniſterio & ordini obluctantes, dum contra admonitiones & hortationes alto clamore, calumniis & oppoſitionibus inſurgunt
2. Uno *clamante* & grunniente *omnes concurrunt*, ita reprehenſi, adverſus doctorem profani omnes conſpirant.
3. Nonnunquam ſe *convertentes adverſus ductorem* eum dentibus lædunt & dilaniant, quod idem de profanis monuit Chriſtus, *Matth.* VII. 6.
4. Hinc eſt quod porci *ſe non propelli patiantur* etiamſi flagello percuſſi, ita quoque profani illi homines ſe in ordinem redigi non patiuntur, niſi virga juſtitiæ & vi externa politica.

ד. Reſpectu *exitus*

α. Ad macellum non ducuntur *ſine magno clamore*, contra ac oves, quod teſtimonium eſt metus mortis naturâ inſiti, ita quoque profani mortem ex prava conſcientia vehementer horrent, & vitam non niſi valde invito deponunt: unde Poëta,

Vitaque cum gemitu fugit indignata per umbras.

β. Sicuti porcorum exitus ut plurimum mactatio, quâ impurum animal *fit cibus impuris*, (nam ſub lege non licuit Judæis carnem porcinam comedere) ita quoque profanorum exitum conſequitur æternum exitium, quo fiunt cibus ſpiritibus immundis, qui eorum æterna perditione delitiantur.

CAPUT X.

DE CANIBUS.

§. I. INter manſueta animalia, quorum in ſacris fit mentio, tandem ſequuntur *Canes*, pecoris cuſtodes, ſimul ac defenſores.

א. Appellatur autem in lingua Hebr. כלב, quam vocem Arabes retinent, qui canem vocant כלבן: Clariſſ. *Bochartus* hoc animal ita appellatum putat à firmitate dentium & tenacitate morſus, dum

nomen

nomen deducit ex voce כלוב, quæ extat *Amos* VIII. 1, 2. quam *uncinum aut forcipen* reddunt, quæ ultima significatio etiamnum in lingua Arabica & Chaldaica obtinet; verum cum illud pluribus animalibus sit commune: alii conjiciunt potius quod radix כלב, olim significaverit *custodire*, & quod vocab. כלוב, *Jer.* V. 27. significat *caveam avibus plenam*, sicut & *Amos* VIII. 1, 2. *canistrum æstivis fructibus onustum*; cujus ratio vix alia esse potest, quam quod res illis inclusæ ita custodiantur. Hæc sententia si obtinet, canis usum & officium egregie explicat, utpote qui custodum officio funguntur, prout & Græci eos φύλακες appellant. Qui ad linguam Arabicam confugiunt à *rabie* nomen obtinuisse putant, nam apud Arabes verbum כלב significat *rabiosum esse*, *rabie corripi*, *iram concipere*, *eaque efferari*, unde כלבן vocant *rabiem caninam*, sive in cane, sive in homine è canis rabiosi morsu furente, existat.

ב. Græcis κύων vocatur παρὰ τὸ κύειν, quod *Eustathius* interpretatur φιλεῖν, quia canis est animal domini amantissimum, quem, etiamsi verberibus excipiatur, non deserit, quin potius se domini pedibus advolvat, inde profluxit vocabulum προσκύνησις, *summam animi submissionem* & *observantiam* significans.

ג. A Græca voce κύν@ Latinorum *canis* deducitur, authore *Vossio*, sicuti à Græcorum voce κύλιξ Latinorum *calix*.

§. 2. Est autem Canis, *animal minusculum*, *quamvis non semper ejusdem staturæ & formæ*, *omnibus notissimum*, cujus plures enumerantur species, quas tamen ad octo præcipuas revocant, ut alii sint

א. *Venatici*, qui lepores & alia fugacia animalia pernici cursu insectantur.

ב. *Vestigiatores*, qui vestigia odoratu explorant, atque feras avesque indagant donec latibulis excitent.

ג. *Aucupes*, qui cum accipitre & falcone aucupio inserviunt.

ד. *Retiarii*, qui perdices indicio produnt, quo circumveniantur & irretiantur.

ה. *Molossi*, qui apris, tauris, ursis, & feris potentioribus venandis adhibentur.

ו. *Melitæi*, qui fœminarum sunt delitiæ, parvitate speciosa commendabiles, ut facile gremio dominarum excipi, & laciniis condi queant.

ז. *Villici*, seu custodes, qui domi supellectilia à furibus, & foris gregem à lupo vindicant.

ח. *Lusorii*, qui dociles sunt, & variarum artium recreandis hominibus capaces.

§. 3. Inter proprietates canis sunt

א. *Latratus*, quamvis alicubi in regno Africano canes inveniri, qui nec latrent, nec ullam aliam vocem edant, observatum fuerit; saltem ut vitium in canibus notatur *non latrare*, *Jes.* LVI. 10. *Omnes illi canes muti sunt non possunt* לנבח *latrare:* verbum נבח est ἅπαξ λεγόμενον, apud Rabbinos tamen & Arabes frequentissimum, nisi quod hi de aliorum animalium voce adhibeant; quidam ad canum latratum quoque referunt locum *Psal.* LIX. 7. & LV. 15. ubi occurrit verbum המה, quod tamen non adeo latratum quam quidem *strepitum* significat, unde Belgæ vertunt *tieren als een hont*, nisi potius adhibendum sit vernaculum vocabulum *janken*.

ב. *Hirrire* dicuntur quoque canes, cum ad iram provocantur, & porcorum instar grunniunt, & quasi ogganneunt, huc quidam referunt locum *Exod.* XI. 7. ubi verbum חרץ ab aliquibus *hirrire* vertitur, nempe *non hirriet canis linguâ sua.*

§. 4. Commendantur autem canes

א. A singulari *fide* & *amore* erga dominos suos, qua eos non tantum in vita, sed & post mortem prosequuntur, dum eosdem cum domino sibi amicos & inimicos habent; unde *Columella lib.* VII. *cap.* 12. de Canibus, *Quis famulus amantior domini? quis fidelior comes? quis custos incorruptior? quis excubitor inveniri potest vigilantior? quis denique ultor aut vindex constantior?* Fidei & amoris exempla ubique in historiis sunt obvia.

ב. A *vigilantia*, quam pulchre *Lucretius* hoc versu expressit,

Et levi-somna canum fido sub pectore corda.

Vix enim leviter dormiunt, semper intenti, circumspecti, & super omnes stationarios solliciti ac curiosi: si quid increpuit, primo leviter insonant, mox classicum canunt si propior fides adventoris facta fuerit; unde veteres eos non solum privatim ad suas quasque ædes, sed publicè quoque adhibebant ad templa, arces, oppida, palatia, & cubicula custodienda, ut eleganter monuit *Justus Lipsius.* Lacedæmones tamen canem à custodia templorum arcebant, quia in publico coit, & ad vomitum redit, propterea animal illnd immundum reputantes.

ג. *Saga-*

ג. *Sagacitate*, quod ingenium *Plinius* eleganter ita deſcribit *lib.* VIII. *cap.* 40. *Soli dominum novere, & ignotum quoque, ſi repente veniat intelligunt, ſoli nomina ſua, ſoli vocem domeſticam agnoſcunt, itinera quamvis longa meminere, nec ulli præter hominibus memoria major. Vias, beneficia & offenſas ita retinent, ut multo tempore præteritorum facile recordentur:* cujus rei cauſam in cerebri caliditate & ſiccitate quærunt Phyſici, unde ſenſus interiores promptiores & vegetiores, ob calorem etiam rerum ſenſibilium imagines facilius percipiunt, ob ſiccitatem tenacius retinent; Accedit ſanguinis & ſpirituum major ſubtilitas & puritas, quæ non tantum impreſſiones permovent, verum etiam efficiunt ut acutius olfaciant, hinc eſt quod etiam multas artes facile ediſcant; unde *Plutarchus* dubitavit, annon canes ratione præditi eſſent.

ד. Ab *acumine ſenſuum*, canis enim non tantum odoratum in longinquum, ſed & domini ſui, lupi, apri, aliorumque brutorum veſtigia à ſe invicem diſcernit; quod Phyſici attribuunt tuberculis illis, ſeu carunculis, quas mammillares vocant, quippe pituita non ordinaria via in canibus defluit, ſed per quoſdam meatus, qui in naſi extremitatibus diſtincte cernuntur.

§. 5. Alia tamen canibus *vitio* vertuntur, & quidem

א. *Immundities*, eo quod impuriſſimis veſcantur cibis, ut ne quidem cadaveribus humanis abſtineant, verum ea trahant, lacerent, atque devorent, quorſum reſpiciunt teſtimonia *Jer.* XVI. 3. 1 *Reg.* XIV. 11. XXI. 23, 24. Sanguinem humanum avidè lingunt, *Pſ.* LXVIII. 24. putida & ſtercus ipſum deglutiunt, unde quidam explicant locum *Philip.* III. 8. putantes σκύβαλον dici quaſi κυσίβαλον, id eſt, τὸ τοῖς κύσι βαλλόμενον: Impuritatis indicium quoque eſt *redire ad vomitum*, conf. *Prov.* XXVI. 11. 2 *Pet.* II. 22. ob hanc impuritatem cum ſue conjungitur non tantum in Scripturis, verum & apud *Horatium:*

Vixiſſet canis immundus, vel amica luto ſus.

Propter hanc impuritatem, Turcæ ab ædibus, Spartani, & Athenienſes à templis & arcibus removebant, & Rutheni exiſtimant turpe nudâ manu attingere.

ב. *Libido*, & *ſalacitas*, quæ tanta eſt, ut non ſolum cum ſuo genere coeant, ſed & cum lupis, vulpibus, leænis, aliiſque animalibus,

imo nequidem à matribus abſtineant; unde *Ovidius* II. *lib. de Arte Amandi*,

Hæret adulterio cum cane nexa canis.

Propterea coitum nuſquam averſantur, nec certum tempus obſervant ut alia animalia, ſed omne tempus veneri opportunum habent.

ג. *Ira* in canibus major eſt, qui cum provocantur hirriunt, unde (R) litera canina vocatur *Perſii Satyra* 1. Huc quoque reſpicit verſiculus,

Irritata canis, quod (R) quamplurima dicit.

Sæpius ita irritantur, ut nec verbis, nec verberibus coerceri queant, & ſæpe in rabiem & furorem incidant, quo morbo quando corripiuntur, notos ſimul & ignotos invadunt.

ד. *Somnolentia* peculiare nonnunquam in canibus vitium eſt, cum hoc animal propter vigilantiam alias eligatur; aſt non omnium ſed paucorum & degenerum hæc indoles eſt; unde *Livius* miratur *Gallos tanto ſilentio in ſummum evaſiſſe, ut non cuſtodes tantum fefellerint, ſed ne canes quidem, ſollicitum animal, ad nocturnos ſtrepitus excitaverint.*

ה. *Voracitas* canibus vitio vertitur, unde morbus ille in hominibus *canina fames* vocatur. Multis in rebus ea ſe prodit in canibus, dum inſatiabili guloſitate omnia diripiunt & dilaniant, quæ illis objiciuntur.

ו. *Impudentia*, dum libidini indulgent, & nihil non patrant in propatulo.

§. 6. *Uſus* canum triplex notandus eſt.

א. *Politicus* in ludis, armis, luſtratione exercitus, &c.

ב. *OEconomicus* in purpuræ inventione, in re pecuaria, venatione, cuſtodia domus, monſtranda via, atque ſimilibus.

ג. *Medicus*, dum varia inde deſumuntur medicamenta, medicorum curæ relinquenda.

§. 7. *Abuſus* autem hic præcipuè notandus eſt, ubi animadvertendum nonnullas Gentes idololatriam commiſiſſe cum canibus, vel eos ſaltem ad cultum idololatricum adhibuiſſe. Ita

א. *Avæorum Deaſter*, 2 *Reg.* XVII. 31. vocatur נבחן à *latratu*, quia juxta Talmudicos latrantis canis effigiem habuit.

ב. *Anu-*

ב. *Anubis*, idolum Ægyptiacum dicitur quoque, quoad caput caninam formam habuisse; unde *Virgilio* vocatur *latrator Anubis*, *Æneid.* VIII. *Diodoro Siculo* dicitur κυνὸς ἔχων κεφαλὴν, *lib.* I. & apud *Lucianum* vocatur κυνοπρόσωπος, ἑρμῆς. *Plutarchus* asserit *Anubim* canis nomen sortitum fuisse: imo Ægyptii omnes canem venerabantur, testibus *Diodoro Siculo*, *Plutarcho* & *Strabone*; unde *Juvenalis* de Ægypto loquens *Sat.* 15. inquit,

Oppida tota Canem venerantur, nemo Dianam.

Fuit quoque canis apud Ægyptios singularis cultus insigne; unde *Diodorus Siculus* testatur, quod *Canes in Isidis festo pompam antecederent.*

ג. Apud Græcos, quoque canes adhibebantur ad sacrificia, qui illos *Hecatæ* immolarunt, ut etiam Argivi *Lucinæ*, ac Romani *Genitæ*, idem factum in *Lupercalibus.*

Huc respexisse Legislatorem, *Deut.* XXIII. 18. conjiciunt Interpretes, ubi les jubet, *non feres mercedem prostibuli, nec pretium canis in domum Domini Dei tui, quia abominatio est utrumque apud Dominum Deum tuum.* Scil. jusserat Deus, *Num.* XVIII. 15. ut *primogenita mundorum animalium acciperent Sacerdotes, immundorum vero pretia*, atque ita equi, asini, cameli pretio redimendi erant, si quis eorum primogenitos vivos conservare vellet, sed & canis pretium non rejecit Deus solummodo, sed & abominatus est, ne Judæis occasio daretur ad consuetudines Ægyptiacas redeundi, qui aliquid divini canibus inesse putabant, quia enim canis, aut ejus pretium eximium locum in Ægyptiorum cæremoniis obtinebat, Judæis debuit esse abominationi; duoque illa pretia tam prostibuli, quam canum conjunguntur, quia in Isidis sacris lucrum, stupro comparatum, ejus templo consecratum fuit, scelus enim illud in Isidis honorem commissum fuisse respicit *Juvenalis Sat.* VI.

— — Jamque expectatur in hortis,
Aut apud Isiacæ potius sacraria lenæ.

Ubi vetus Scholiastes annotat, *dici apud templum Isidis lenæ conciliatricis, quia in hortis templorum ejus adulteria committebantur*, cumque monuerimus in Isidis sacris primum locum cani, Mercurii symbolo, tributum fuisse, non mirum est, duo illa conjungi in lege, tan-

quam

quam peccata ab Isidis cultu profluentia, & Judæis studiose evitanda.

§. 8. In *Theologia Emblematica*

א. Canis est symbolum *doctorum & inspectorum Ecclesiæ*, *Jes.* LVI. 10. quatenus aliquam relationem habent ad gregem, id est, Ecclesiam, cujus custodes constituti sunt à summo pastore Christo, quod videtur desumptum esse ex Hieroglyphicis Ægyptiorum, qui cum *Mystam*, *Scribam*, *Doctorem*, & *Judicem designare vellent*, *canem pingebant*, ut testatur *Apollo Niliacus* in suis Hieroglyphicis, *lib.* I. depingitque canis genuinus & bonæ notæ, eleganter requisita boni ministri, utpote in quo

α. Quoad *aptitudinem fungendi ministerio* requirimus

1. *Sagacitatem* & judicii acumen, quo distinguat verum Dominum Christum à falsis Diis, quos alii aberrantes venerantur.
2. *Amorem*, quo Dominum suum constanter prosequatur, vid. 2 *Tim.* I. 11, 12. etiam ad ipsam vitæ profusionem.
3. *Audaciam* invadendi, & resistendi lupis, aliisque feris animalibus, dum gregi insidias struunt.
4. *Aptitudinem præsagiendi*, olfactu quasi acutiori, per animadversionem signorum temporum vias Dei discernendo, & de adventus Domini vicinia talia statuendo, quæ cum signis temporum conveniunt.

β. Quoad *muneris exercitium* requiritur in illis

1. Peculiaris *vigilantia*, hinc culpantur Episcopi tanquam canes degeneres, *Jes.* LVI. 10. quod sint *somnolenti* contra eorum officium, quod est excubias agere pro grege Dei.
2. *Latratus*, id est indicatio periculi ex hostium clanculum surripientium adventu, unde iidem *canes*, ut degeneres in loco citato culpantur, quod essent *muti & latrare non possent*, cum contra illis commendetur, *Jes.* LVIII. 1. ut *clamarent*, & *non cohiberent*, *sed denunciarent domui Judæ peccata sua*.
3. Ut *contenti* sint modico stipendio, sicuti genuinus canis edoctus est, ut minimis contentus sit; degeneres autem & voraces omnia insatiabiliter appetunt, quod vitium in ministris quoque notatur *Jes.* LVI. 10. nempe *fortes esse appetitu*, & *insatiabiles*.

ב. Ca-

ב. Canis quoque est symbolum *Hominum impurorum*, unde sæpius in Scripturis canes vocantur *Gentiles*, *Psal.* XXII. 17. *Matth.* XV. *vers.* 26. nec non alii homines Ethnico more viventes atque profani, vid. *Matth.* VII. 6. 2 *Pet.* II. 22. *Apoc.* XXII. 15. quatenus nempe vitia canum qualiacunque exprimunt: sive

α. Sint *libidinosi* & *adulteri* aut *impudici*; hinc est quod Diogenes *Cynicus* dictus fuerit; nomen ei à canibus inditum, quia quæ ad Cererem & Venerem pertinerent, omnia palam faceret. *Ælianus* testatur Romæ in judicio *adulterum palam* canem *dictum fuisse*. *Horatio* publica scorta vocantur *suburanæ canes*, Subura enim vicus erat in Romæ vicinia, vilioribus tantum inhabitatus, ubi meretrices prostabant.

β. *Rixosi* & *mordaces* obtrectatores à Veteribus canes dicebantur. Sic apud Ælianum *Zoilus*, quod idem Sophista & obtrectator omnium esset, *Canis Rhetoricus* dictus est: hinc *Hecuba* rixosa mulier à Poëtis *in canem conversa* dicitur: Plautus *uxorem*, canis instar perpetuò latrantem, *canem* dixit, *Tu*, inquit, *tanquam venatores dies atque noctes cum cane ætatem exigis*, & notandum quod τὸ λοίδορον apud *Athenæum* proprium canum vocitetur.

γ. *Adulatores* & *versipelles* canes quoque dicti fuerunt, hinc *Diogenes* interrogatus ab Alexandro, *cur canis dictus fuisset?* Respondit, *quia dantibus blandior, non dantibus oblatro, malos etiam mordeo.* Apud *Ciceronem* adulator aliquis vocatur *canis Clodianus*, quia canis in morem adulabatur, ut provinciam quam vellet, obtineret. Diogenes Cynicus *Aristippum* propterea vocavit βασιλικὸν κύνα, id est, *regium canem.*

δ. *Apostatæ*, & ad pristinam vitæ consuetudinem revertentes, dicuntur canes, *Prov.* XXVI. 11. & 2 *Pet.* II. 22. *Canum instar redire ad vomitum suum.*

§. 9. Lubet etiam adjicere accuratiorem excussionem parabolæ, *Matth.* XV. ubi notanda est mulieris Syrophœnissæ fides, quæ postquam repulsam passa fuisset à Christo, dicente, *Non est bonum sumere panem filiorum & dare canibus*, in hunc modum institit; *etenim catelli solent edere micas cadentes de mensa dominorum suorum*, in qua fide annotamus

א. Mulieris *humilitatem*, propriam iniquitatem confitentis, dum non ægre fert, imo potius admittit, quod Christus eam canibus adstituat,

tuat, ficuti & olim plures hoc teftimonium fuæ humilitatis dederunt, feipfos *canes*, id eft, *homines abjectiffimos* vocando, conf. 1 *Sam.* XXIV. 15. 2 *Sam.* IX. 8. 2 *Reg.* VIII. 13. in hac confeffione humilioris fuæ conditionis agnofcit illa mulier

α. *Impuram* fuam *originem*; prout enim canes ex impuro congreffu generantur, ita quoque Gentiles fæpius ex contaminato toro, vel faltem profano connubio prodierunt, utpote apud quos facrofanctum conjugium non fatis facrum habebatur, quod ipfum aliquando Judæis ad humilitatem objicitur, *Ezech.* XVI. 3.

β. *Impuram vitam* multis vitiis contaminatam, pro Gentilium confuetudine, qualia vitia præcedenti §. indigitavimus.

γ. *Indignitatem propriam*, qua fatetur fe indignam ullo beneficio, & refpectu juftitiæ divinæ, jure maximo cum canibus ablegandam ad omnia fordida, neque ullo modo cum filiis Dei conferendam, quæ ratio juftitiæ Dei in eo eft fita, quod nolit *fanctum projici canibus*, *Matth.* VII. 6. aut iis dari cibum filiorum, id eft, verbum Dei & gratiæ, Judæis tantum fub Veteri Teftamento ut filiis refervatum & deftinatum.

ב. Mulieris nihilominus *fiduciam in Deum* ut mifericordem, animadvertimus, dum convenienter parabolæ exceptionem fuam proponit, nempe dato, quod inter catellos effet referenda, nihilominus aliquando ex fingulari benignitate domini fieri, ut catellis concedantur micæ panis; ubi teftatur fe credere

α. *Dei benignitatem* Novo Teftamento decretam, qua velit ad gloriam gratiæ fuæ, bonitatem fuam exercere erga immerentes.

β. *Salutare beneficium gratiæ*, quod confifteret in participatione aliquali ejufdem panis quem deftinaverat filiis: jam confiderat Chriftum effe *panem ex cœlo demiffum*, *qui mundo vitam daret*, *Joh.* VI. 36. quippe per verbum gratiæ feu præconium Euangelii Gentibus oblatum, ut ab illis comederetur, id eft, fide fincera exciperetur, & fiduciali ad falutem applicaretur.

γ. *Ordinem gratiæ agnofcit* quoque mulier, illique fe blande fubjicit, fatendo Gentes Judæis non effe præferendas, quibus hoc tempore adhuc prærogativam concedit, verum infert folummodo Chrifto non indecorum effe, ut gratiæ minoris fpecimina ederet inter Gentes, in præludium futuræ converfionis Gentium.

4. *Pium animi propositum* quoque indigitat, dum se ipsam refert non quidem absolute inter canes, sed inter *catellos*, sunt enim catelli in diminutivo animalcula domestica quæ solent haberi in deliciis, quia disciplinata multis virtutibus se possunt dominis suis commendare; est enim quasi dicat, si me excipias inter catellos micas gratiæ concedendo, & disciplinæ subjiciendo, habebis unde gaudeas & delecteris, ac me reperies catelli instar

α. *Docilem* ad omnis generis officia.

β. *Vigilem* adversus omnes hostes nominis tui.

γ. *Blandam* me pedibus tuis adstituentem, & coram te in omni casu reatus procumbentem.

δ. *Contentam* etiam minimis tuis bonis, & singulari gratiâ agnoscentem.

ε. *Constantem*, & ad mortem usque vestigia tua *sequentem*.

Finis Sectionis primæ.

SECTIO SECUNDA.

DE
FERIS ANIMALIBUS.

CAPUT I.
DE LEONE.

§. 1. LEonum nomina, alia genus, alia sexum, alia ætatem exprimunt.

א. Nomen *generis* est ארי vel אריה quo nullum aliud in Scriptura Sacra frequentius & usitatius est; Totumque Leonum genus nulla habita ratione ætatis exprimit, quod evincit locus *Jud.* XIV. 15. Ubi Leo à Simsone occisus vocatur simul אריה & כפיר, ut proinde errent qui per hoc vocabulum *Leonem mediæ ætatis* tantum intelligunt. Originem Cl. *Bochartus* præeunte *Vossio* & *Avenario* derivat à radice ראה *videri*; Putatque hoc Animal ab acutiori visu ita denominatum per literarum transpositionem. Alii à radice ארה deducunt, & quidem quatenus etiam denotat *direptionem* & *avulsionem*, cujus verbi notio eruitur ex *Psal.* LXXX. 13. atque ita exprimeret genium Leonum, qui prædam discerpere solent. vide *Nah.* II. 12. *Psal.* VII. 3. *Hos.* XIII. 3.

ב. Respectu *sexus.*

א. Sexus Fœmineus vocatur לָבִיא & לְבִיא. Fatemur quidem primam vocem occurrere in masculino alteram in Fœmenino genere; verum tamen nihil obstat quo minus etiam prima vox *matrem Leonem* significet, cum illi filii attribuantur *Job.* IV. 11. Conf. *Ezech.* XIX. 2, 3. Circa etymon vocabuli non omnium eadem est sententia, dum quibusdam placet à לב *corde* derivare, quia cordatum & animosum est animal, vide 2. *Sam.* XVII. 10. *Clarif. Bochartus* ex lingua Arabica derivat cui thema לבא in secunda & quarta conjugatione significat *colostros* in mamma habere, & *lactari*

colostro, quia leænarum lac crassius est instar colostri; *doctiss. Majus* potius à voce Arabica לבי quod significat *multum cibi expetere* vel *usurpare*, atque ita denotaret animalis voracitatem vide *Hos.* XIII. 18.

β. Ad *masculinum sexum* denotandum adhibent ut plurimum vocabulumgeneris, quod jam primo loco posuimus.

ג. Nomina *ætatis* sequentia sunt

α. גור significans *catulum*, usurpatur & de prima ætate *Gen.* XLIX. 9. *Jer.* LI. 38. *Ezech.* XIX. 2. *Nah*, II. 18. attribuiturque catulis aliorum animalium, ut *draconum Thren.* IV. 3. & *canum* apud magistros. Vir in his literis doctissimus *Bochartus* catulos ita à congregando dictos voluit, quia circa matrem congregantur, vel & alii quia adhuc cum matre gregatim habitant.

β. כפיר vocatur leunculus qui non amplius catulus est verum secundæ ætatis incipiens prædam rapere *Ezech.* XIX. 2, 3. rugire *Jud.* XIV. 5. & venandi causa tugurium relinquere *Jer.* XXV. 38. Claris. *Bochartus* putat per mutationem littere ב in פ ita dictum pro כביר *adolescere*, alii tamen malunt, (quamvis hoc verbum apud Arabes adolescentiam significet) deducere à verbo כבר quod significat *operiri*, *abscondere*, quia latet in insidiis dum in lustro prædam transeuntem expectat, & conferunt loca *Job.* XXXIX. 12. *Ps.* X. 9, 10. *Ps.* XVII. 12.

ד. His addamus nomina *virtutum* & qualitatum, quibus leones appellantur; ubi occurrunt

α. ליש quæ vox significat leonem robustissimum, ut colligimus ex *Prov.* XXX. 30. Etymon vocabuli alii quærunt in lingua *Arabica* ubi ליש significat *intrepidum*, *strenuum & fortem*: & verbum לית significat *Leonis instar strenuè decertare.* Alii ex lingua *Hebræa* derivant à verbo לוש quod significat *subigere*, ut pistor massam panis solet, rationemque denominationis volunt, quod leo prædam subigat & concuscet.

β. שחל Leonem quoque maturæ ætatis significat, eruditissimus naturæ animalium scrutator *Bochartus* interpretatur *Leonem nigrum* deducendo vocem à verbo שחר quod nigrum esse significat permutatis inter se literis ר & ל; quod genus Leonum frequens est in Lybia; aliisque Africæ oris, nec non in Syria ut ex *Appiano*, *Æliano*, & *Plinio* evincit: Addit claris. *Majus* Leonem ita quoque potuisse à *rugitu* nominari, quia verbum שחל apud Arabes *vocem sonumque in pectore reciprocare* & *rugire* significat.

§. 2.

§. 2. Eſt autem Leo animal ferum facie gravi & terribili, non multum à virili abludente: unde notante *Ariſtotele* dicitur habere os valde magnum, faciem quadratam, non oſſeam nimis, ſuperiorem maxillam non eminentem, ſed deorſum æqualiter pendentem, naſum craſſum magis quam tenuem, oculos cæruleos concavos, non nimis tamen rotundos aut ob longos, ſed mediocris magnitudinis, ſupercilium ingens, frontem quadratam, in medio non nihil concavam, ad ſupercilia autem naſumque ſub fronte nubis inſtar incumbentem, ſupraque frontem ad naſum pilos inclinatos inſtar coronæ. Hactenus Philoſophus oſtendens majeſtatem in leonino vultu. Inquirendum ergo

א. In leonum *caput*; ibique expendamus

α. *Oculos* quibus tantum valent, ut *Plinius* omnem leonum vim in oculis conſtare aſſerat, addens quod nunquam lividis intuentur oculis, ſimilique modo aſpici nolunt *lib.* 8. *cap.* 15. Errant qui leonis oculis viridem attribuunt colorem, contrarium evincente experientia, cum facies uveæ anterioris eo in loco ubi humori criſtallino imcumbit, omnino appareat nigra, unde leonum aſpectus horridus & terribilis, quod enim *Heſiodus* voluit quando leones χαροπὲς appellat. Addunt oculis dormire apertis idque non ſtudio ſed natura ob palpebras juſto breviores, quod tamen hodierna anatomia aliter explicat; hinc in *Ephemeridibus eruditorum Galliæ anni* 1667. *menſis Junii* teſtantur hanc ſententiam inde traxiſſe, quod leones recluſis palpebris oculos tegere poſſint membranula quapiam ſpiſſa & nigra verſus majorem angulum ſita, qua ſublata, & verſus parvum angulum protenſa ſuper univerſam corneam expendatur, quemadmodum in avibus & felibus idem quoque obſervare licet.

β. *Os* habet non minus terribile ac oculos, ad quod ſæpius provocat Sacra Scriptura *Pſ.* XXII. 22. LVIII. 7. *Dan.* VII. 22. *Apoc.* XII. 2. quod non tantum vaſtum & immane, ſed & ὀολερὸν χάος id eſt lethiferum hiatum eleganter *Oppianus* vocat, quo facile totum hinnilum capit.

γ. *Dentibus* munitum eſt & circumſeptum, acutis atque ſerratis, limæque inſtar aſperis ut fortius tenerent, in quavis maxilla quatuordecim numerantur: ſex molares, quatuor canini, & totidem inciſivi, molares valde magni ſunt, quamvis & inæquales, tribus cuſpidibus inæqualibus prædicti; quibus armis inſtructum eſt hoc animal ut prædam frangat & comminuat, hinc leonini dentes ut quam maxime noxii in ſacris denotantur vide *Joël.* I. 6. *Pſ.* LVIII. 7. *Apoc.* IX 10. quibus vel ipſa oſſa comminuunt 1. *Reg.* XIII. 26. *Jeſ.* XXXVIII. 13. *Dan.* VI. 24.

δ. *Lingua* in vivo animale aſpera eſt & pluribus aculeis erectis ſtipata, qui ex duriori ſunt materia, illi quæ ungulas conſtituit haud abſimili, quarum & figuram propemodum referunt; Hæc lingua cutem hominis lambendo valde attenuat.

ε. *Barba* quoque non omittenda eſt propter locum 1. *Sam.* XVII. 35. ubi David teſtatur ſe leonem apprehenſa ipſius barba interfeciſſe: eam autem leoni competere conſtat ex *Homero*, ubi leo aliquoties vocatur ἠυγένειος *bene barbatus*, & ex trito illo proverbio, *barbam vellere mortuo leoni.* Clariſſimus *Bochartus* in loco allegato tamen non *barbam* ſed *mentum* intelligi vult, ut verſionis vulgatæ & LXX interpretum patrocinium ageret.

ζ. *Æſophagus* leoni tamen minime amplus aut latus eſt, unde neceſſe habet membra prædæ valde comminuere & conterere antequam deglutiat.

ב. *Corpus ipſum* quod attinet etiam valde compoſitum eſt ad roboris exercitium, nam

α. *Oſſa* habet valida & præ omnibus animalibus firmiſſima; non enim ſunt in toto corpore fiſtulæ inſtar excavata, præterquam in ſolis brachiis & femoribus, quæ aliquid medullæ habent; imo tantæ ſunt ſoliditatis, ſi *Ariſtoteli* & *Æliano* credendum eſt, qui tamen & rem exploratam enarrant, ut contra ſe invicem colliſa ignem ſilicis & chalybis inſtar reddant.

β. *Juncturæ oſſium* inſunt firmiſſimæ; unde olim creditum colla leonum uno perpetuo oſſe conſtare, cum tamen experientia docuerit illud tantum ita videri, quia apophyſes vertebrarum colli ſpinoſi valde longæ & ligamentis fortioribus atque durioribus ita conſtrictæ ſunt ut non niſi unicum os videatur.

γ. *Pectus* illi toroſum & amplum propter muſculorum amplitudinem & firmitatem, unde *Plinius* dicit vim *ſummam leoni in pectore, & priore corporis parte eſſe, ſed poſterioribus membris deficere.*

δ. *Pedibus* etiam valet, unde greſſus leonis gravis & firmatus, quorſum reſpicit locus *Prov.* XXX. 29, 30. Hinc *Ariſtoteles* dicit leonem eſſe animal tarde incedens ut paſſibus magnis quandoque inter gradiendum humeros quatiat; ungulas habet digitorum inſtar ſed valde acutas & præmiſſas, quas tamen inter eundum contrahit beneficio cujuſdam articuli ſingularis juncturæ ultimæ, quæ talis eſt ut os penultimum, dum verſum interiora incurvatur locum cedat articulo ultimo, cui ungula affixa eſt; hinc eſt quod ungulas flectere queat ad ſuperiora, ad latera & inferiora, & ita contrahere,

ut

ut digitorum acuminibus terram non contingat, ſed nodo potius articuli duorum extremorum oſſium hoc modo elevatas ungulas inter digitos recluſos retinent dum loco moventur, dextrorum quidem pedum ad dextram digiti cujuſque partem, ſiniſtrorum vero ad ſiniſtram. Digitorum flectionem ad ambulandum non niſi per tendines ſublimioris muſculi fieri ſolere quoque animadvertunt; inferioris enim tum demum fit inflectio, cum ungulæ extendendæ ſint.

2. Alia videmus in leone ad *majeſtatem* compoſita. Huc reſpiciunt

α. Leonum *jubæ*, habent enim collum una cum armis inveſtitum jubæ, vel potius coma molliter criſpata & luxuriante quæ à collo in armos defluit, quæque animali ſingularem ornatum ac majeſtatem conciliat; hinc *Plinius* leonis præcipua generoſitas arguitur, cum colla armoſque veſtiunt jubæ, quod ex Leone conceptis tantum contigit; ex pardis enim geniti hoc inſigni carent, ut & ſexus fœmininus.

β. *Cauda* leonum etiam animi ſignum, erecta ſi eſt, ſin in ſpinæ ſimilitudinem ſurrecta cauda, iracundum ſignificat, ſi eam tranquillam & immotam demittat, pacatum & blandum ejus animum indicat, quod rarius accidit, quia ad iram proclive eſt animal: iratum autem terram verberat, & furore increſcente flagellat tergum, ut *Plinius* eodem loco animadvertit, eſtque cauda leonina quo ad externam faciem, uſque ad extremitatem æqualis craſſitiei, quod inde ita apparet, quia pili quibus cincta eſt, eo longiores ſunt quo magis ad finem vergunt; cauſam motus iſtius in cauda *Alexander Aphrodiſeus* recte inde deducit, quod dorſi medullam ad caudam uſque exporrectam habeat, in qua tamen vis animalis atque motus hæret, unde caudâ non aliter ac homines manu utuntur, quando animi ſenſum exprimere volunt.

§. 3. *Voce* utuntur *ſingulari*, prout vox habet notam diſcretivam animalium, quâ ab aliis diſtinguuntur, *rugitum* vocant *Latini*; *Hebræi* autem quatuor habent vocabula, quibus ad denotandum leonis ſonum utuntur.

א. שאג, quod etiam alibi Deo attribuitur, graviter voce ſua intonanti in præſagium ſecuturi judicii, conf. *Amos* III. 8. unde & hominibus attribuitur minitantibus & frementibus.

ב. נהם, quod in ſacris non niſi de leonibus juvenibus uſurpatur; *Chaldæi* tamen & *Arabes* omni id leoni tribuunt, unde hi leonem in ſua lingua נהבו appellant; proprie *fremitum* irati maris ſignificat, conf. *Jeſ.* V. 30. & convenit latinorum verbo *fremere*, quod leoni attribuit *Virgilius*

 --- *Fre-*

—— *Fremit ore cruento*

Et *Lucanus*

—— *Vasto & grave murmur hiatu*
Infringit.

ג. נער *rudere* proprie *Jer.* LI. 38. attribuitur catulis leonum, proprie asinorum ruditum exprimit, *Virgilius* similiter leones rudere dixit *lib.* 7. *Æneid.* V. 15.

—— *Iræque leonum*
Vincla recusantium & sera sub nocte rudentum.

quidam putant hanc rugitus esse modificationem, quam alii verbo *mugiendi* explicant. Vide *Apoc.* X. 3. quod ex *Plutarcho* ita illustrant, leones nempe juvenes prædam nactos clamore in vituli mugitus more composito signum dare, & seniores advocare.

ד. הגה, quod *muscitare* significat, submissiori sc. voce de leone usurpatur *Jes.* XXXI. 4. quo verbo non plenum rugitum sed demissiorem obscuramque vocem aut sonum indigitat Spiritus Sanctus qualem leo edit prædæ jam compos, quod fortasse omnium optimè murmur expresseris ut *Ovidius* de leone.

Iram vultus habet pro verbis murmura reddit.

§. 4. Peculiaris est leoninæ *vitæ ratio*, in qua notandum.

א. Quod vita longior illis contingat, quod deducendum videtur ex peculiari insito calore, qui illis pro musculorum firmitudine major est, unde & magna iis libido coitus, & major ira.

ב. Observant quoque leonem admodum inediæ patientem esse, & triduum ab omni esu & potu abstinere posse.

ג. Vivit autem ex præda, ac camelorum carnibus cæteris libentius vescitur, onagrum odit & venatur, cujus quoque carnes vehementer appetit, quorsum respicit author *Ecclesiastici cap.* XIII. 22. *ut venationes Leonum sunt onagri in deserto, ita pascua divitum sunt pauperes,* cæterum armenta, pecudes, imo & fera animalia rapit in prædam, hominem tamen non nisi famelicus attingit.

ד. Leo-

ז. Leonem primo partu quinque catulos edere, altero autem uno minus parere, quinto unicum tantum & cum eo fæcunditatem amittere ex *Aristotele*, *Plinius* & *Solinus* testantur, *Philostratus* asserit ingentem leænam aliquando octo catulos utero gestasse, asseritque leænam sex menses uterum ferre.

ח. Peculiaris antipatia intercedit inter leones, gallos & scorpiones: Referunt autem antiqui gallorum cantu leonibus terrorem incuti qua de re extant *Lucretii* versus

Quin etiam gallum nocte expandentibus alis
Auroram clara consuetum voce vocare;
Quem nequeunt rapidi contra constare leones,
Inque tueri; ita continuo meminere fugai
Nimirum quia sunt in gallorum corpore quædam
Semina, quæ cum sint oculis immissa leonum
Pupillas interfodiunt, acremque dolorem
Præbent, ut nequeant contra durare feroces.

Abhorret & fugit scorpionem ut vitæ suæ hostem, cujus aculeo ita terretur ut se in fugam vertat.

ט. Quamvis animal ferocissimum sit, nihilominus capi potest & domari ab hominibus. *Plinius* testatur leonem injecto sago ideo feritatem tam cito deponere (testantur enim leones hoc modo capi) quia omnis vis consistit in oculis, quod & simiæ norunt, quæ audaciores pulvere vel arena manus implent, ac in insilentium leonum oculos conjiciunt, ut hostes avertant referente *Jobo Ludolpho in historia Æthiopica lib.* I. *cap.* 10. Capiuntur quoque leones quamvis difficlius foveis superne virgultis seu stramine tectis; agno subrumo in medio virgultis imposito, quem dum capere desiderat in foveas incidit, atque uncinis injectis cogitur se dominio capientis subjicere. Videatur *Oppianus lib.* IV. *κυνηγετικῶν.* Huc respicit locus *Ezech.* XIX. 4-9. Leonem quoque retibus capi idem *Oppianus* testatur, cujus artificium his versibus repræsentatur.

Retia tum pedites sinuosa indagine pandunt
Prælongos denso figentes ordine Varos,
Ut cornu cassis tanto flectatur utrimque
Quanto curvatur reparans nova cornua Phœbus;
Tres statione rata insidiantur cassibus: unus
In medio latitat, alii per cornua summa.

Hinc

Hinc illuſtratur locus *Ezech.* XXXII. 2, 3. adde XIX. 9. *Job.* X. 16. propelluntur in caſſes facibus accenſis, quas leones quoque ferre non poſſunt quin fugiant; notatu dignum eſt quoque leones captos in tantum manſuetos fuiſſe ut adhibiti fuerint ad varia officia, adeo ut canum inſtar regiis cuſtodiis fuerint præfecti, notante *Philippo Camerario in ſubſie vis horis Cent.* II. *cap.* 85. *Plinius* ait *Marcum Antonium leones jugo ſubmiſiſſe & currui junxiſſe non ſine oſtento quodam temporum generoſos Spiritus jugum ſubire illo prodigio ſignificante.*

§. 5. *Variæ* quoque leonum ſunt *ſpecies*; *Ariſtoteles* & *Plinius* duo faciunt leonum genera, unum breve & criſpioribus pilis, alterum longo ſimplicique villo; quos ultimos prioribus generoſiores, & contemptores vulnerum eſſe teſtantur, verum diſtinguuntur ſecnndum colores: Ita

א. *Nigri* alibi occurrunt, ſic *Plinius* lib. VIII. cap. 16. *Leonum in Syria color tantum niger*, quamvis in eo erret, quod iſtius coloris Syria includat ſola, cum etiam in *Æthiopia* & *India* reperiantur teſtibus *Æliano* & *Oppiano.*

ב. *Fulvus* color tamen illis ut plurimum adhæret.

ג. *Albos* & *rubidos* eoſque maximos & pulcherrimos venandi artem edoctos ſuo tempore aluiſſe Tatarorum regem refert *M. Paulus Venetus*, in Africa leones tam validi & feroces ſunt, ut unus vel ducentos equites invaſerit, notante id *Leone Africano.*

§. 6. *Virtutes* unde leo ſibi principatum in omnia animalia vendicat, admodum ſpectabiles ſunt, ubi occurrunt

א. *Fortitudo*, qua valent non tantum robore corporis, verum & magnitudine animi, adeo ut intrepidi aggrediantur non tantum totos armentorum greges, verum etiam in homines armatos impreſſionem faciunt, neſcientes facile cedere, ad quam fortitudinem provocat quoque Sacra Scriptura *Prov.* XXVIII. 1. *Prov.* XXX. 30. *Jeſ.* XXXI. 4. unde fortiſſimi Heroës habiti ſunt qui auſi fuerunt cum leone congredi, quoniam ut *Ælianus* eum vocat, θηρίον δυσμαχώτατον, animal ſuperatu difficillimum conf. *Jud.* XIV. 5 1. *Sam.* XVII. 34. 2. *Sam.* XXIII. 20. quæ fortitudo commendatur in leone.

α. Ob *generoſitatem* adhærentem: animal enim in maximis periculis conſtitutum hoſtem ne limis quidem oculis dicitur intueri, pedatim ſuperbo modo incedere, & multa alia generoſi animi ſpecimina dare, ut quod proſtratis parcat, viros potius quam fœminas aut infantes invadat & ſimilia.

β. Ob *clementiam* adhærentem, quatenus dicitur fœminarum proſtratarum lachrymis, quandoque peperciſſe infanti unguibus incluſo,

cujus

cujus nobile exemplum *Philippus Camerarius in horis subsisivis Cen. 2. cap.* 85. refert, & *Ovidius* quoque clementiam leonis testatam voluit his versibus

Corpora magnanimo satis est prostraße leoni.
Pugna suum finem, cum jacet hostis, habet.

γ. *Ob justitiæ moderamen*, non enim sua fortitudine abutitur circa benefactores suos, verum alta est illi beneficiorum memoria; nota jam sunt vulgo exempla *Andronidis* servi leoni famelico objecti, quem tamen ob ante præstitum beneficium extractæ ex pede leonis spinæ, non attigit; qualia plura *Ælianus*, *Gellius* & *Plutarchus* adducunt. è contra simias leonibus irridentes justo supplicio percutiunt, ut pote gloriæ contemptores non ferentes, vide *Camerarii horas subsisivas Cent.* 2. *cap.* 86.

ב. *Vigilantia* in leone quoque ut virtus capitalis commendatur, quatenus est animal parum dormiens, & in somno oculos non ita claudens, quin ab objectis commode afficiatur, quæ vigilantia eo magis commendanda quod conjunctam habeat

α. *Sagacitatem*, quatenus semet periculo præmunire novit, cauda vestigia sua diluente, odore venatores accedentes observando, summos montes & inaccessa cacumina frequentando, & cum in fugam cogitur abire pedem referendo & oblique deflectendo, ut hostem instantem semper ictu avertere posset.

β. *Constantiam*, qua prosequitur prædam indefessus, nulli labori parcens, neque consilium immutans.

ג. *Singularis etiam castitatis* amor, & fortissima zelotypia leoni adscribitur. Leo enim quando pardi coitum sentit in adultera leæna, gravi supplicio ream punit, & tota qua potest violentia ulciscitur injuriam illatam, unde leæna hujus quasi zelotypiæ sibi conscia aquæ se immergit, ut abluat cum odore culpam, ne quid suboleat leo, quod si hoc astu scelus dissimulare nequeat, fugientem adulterum comitatur.

§. 7. Insunt tamen leoni *vitia* quæ illi in vituperium cedunt, & quidem

א. *Ira immoderata*, postquam semel furorem concepit, quorsum respicit *Sirach* IV. 33.

ב. *Crudelitas* iram immoderatam consequens, quam nonnunquam tantam esse ex historiarum monumentis constat, ut gentes, nationesque, ut vicos, urbes & provincias devastaverint: In Lybia civitates à leonibus subversas fuisse ex *Diodoro*, *Æliano*, aliisque notavit *Bo-*

 chartus.

chantus. Megarenſes effractis leonum carceribus horrendam ſtragem ab illis retuliſſe teſtis eſt *Plutarchus in vita Bruti*; inde eſt quod Deus Iſraëlitis pœnas comminaturus inter graviſſimas afflictiones referat ferarum immiſſionem, & præcipue leonum *Lev.* XXVI. 12. Exempl. extat 2. *Reg.* XVII. 25. & *ſeqq.* Conf. *Jeſ.* V. 9. *Jer.* II. 19. V. 7. XV. 3.

ג. *Rapiditas & voracitas* in hoc animali tanta eſt, ut inde præ reliquis omnibus ſit metuendum, unde Diabolus leoni ob illam voracitatem comparatur. 1. *Petr.* V. 8.

ד. *Inſidiator quoque eſt leo*, ut antea monuimus, quando eum conſpiciebamus in antris atque latibulis corpore proſtrato prædæ inſidias ſtruere adductis *Job.* XXXIX. 1, 2. *Pſ.* X. 10. *Pſ.* XVII. 12. Adde *Thren.* III. 10. & *Sirach.* XXVII. 10.

§. 8. *Uſus* iſtius animalis rarus eſt & fere extraordinarius, nam

1. Rarum eſt, quod notavimus antea, leones adhibitos fuiſſe & manſuefactos ad cuſtodiam regiam.
2. Raroque eſt quod manſueti curribus triumphalibus fuerunt juncti.
3. In ſuppliciis autem adverſus reos frequentius fuere adhibiti; Leones enim alebant Romani ut in amphitheatrum producti cum hominibus ad mortem damnatis decertarent; unde *Ammiano Marcellino*, *Amphitriales feræ dicebantur lib.* 28. *cap.* 1. quod ſupplicium multi tulerunt Chriſtiani cum primis ſæculis perſecutionem paterentur, unde crebræ illæ voces, *Chriſtiani ad leones.* Hoc ſupplicii genus antiquum eſſe patet ex *Dan.* VI. ubi ex ſententia Perſarum propheta leonibus objicitur, conjiciendus in leonum ſpecum, unde tamen divina gratia incolumis evaſit.

§. 9. Abutebantur leonibus Leopolitani, natio Ægyptiaca, quæ teſte *Strabone*, hanc feram impenſe colebant, *Perſæ* quoque Deum ſuum Mithram leonina pingebant facie, & *Romani* Deorum matrem *Cybelem* imponebant currui à binis leonibus provehendo.

§. 10. Emblemata ſcripturaria etiam ſæpius referunt leones ut repræſentamina tam bonorum quam malorum.

1. *In bonam partem* proponitur Leo tanquam emblema

א. *Dei* vid. *Iob.* X. 16. *Ieſ.* XXXVI. 4. XXXVIII. 13. *Thren.* III. 10. *Hoſ.* V. 15. XIII. 7, 8.

ב. *Chriſti* quatenus victoriam reportavit ab hoſtibus *Apoc.* V. 5.

ג. Cherubinorum, quorum una facies fuit leonina *Ezech.* I. & X. *Apoc.* IV.

ד. *Principum Gen.* XLIX. 9. *Dan.* VII. *Ezech.* XIX. imo & Heroum 2. *Sam.* XXII. 2.

In

In malam partem leones ſunt emblemata

1. *Diaboli* 1. *Petr.* V. 8. *Pſ.* XX. 11.
2. *Tyrannorum & hoſtium eccleſiæ* 2 *Tim.* IV. 17. *Prov.* XXVIII. 5. *Ier.* IV. 7. & alibi.
3. *Hominum Deo & piis ſe opponentium, ut falſi vates Ezeeh.* XX. 25. & *populus refractarius Ier.* XII. 8.

§. 11. Ut autem omnium analogias commodiſſima methodo abſolvamus, notandum eſt leonum dominium in bonum conſiderari, quatenus in ſylvis & deſertis lupos & ſimias, aliaque noxia animalia proſequentes diripiunt; ita mundus reſpicitur inſtar deſerti, in quo homines per peccatum corrupti, ferarum inſtar verſantur ſingulari diſciplina cohibendi: unde primo loco leones jam olim emblemata fuere poteſtatis politicæ & principatus, quorum eſt malis moribus frænum objicere; eamque poteſtatem eleganter leonibus comparari jam olim innotuit ipſis gentibus, unde Romani in gradibus Capitolii duos leones ex atro marmore lydio effictos collocarunt, & *Horus Niliacus* monuit, Ægyptios leones regio ſolio ſubjeciſſe: *Thebani* quoque Teſte *Pauſania* Heroum ſepulchris & monumentis leonis inſigne impoſuerunt. Huc pertinet quod legimus 1. *Reg.* X. factum nempe Salomonis regum ſapientiſſimi, qui cum ſolium eburneum ſibi erexit, ſex gradibus conſcendendum in uno quoque gradu duos leones conſtituit, qui ab utraque manu conſcendentis fulcrum præberet, atque ita thronus ille XII leonum figuris ſuperbiit, hæc emblemata opportune monebant reges officii ut eſſent memores, & leonum virtutes imitarentur

1. In *adminiſtratione politiæ*, ubi illis imitanda erat leonum

   א. *Vigilantia*; Leo enim cum animantium regem ſe eſſe ſciat, aut parum dormit, aut ſi dormiat quadantenus apertos ſibi ſervat oculos, ita non tantum ſuo confidit officio & imperio, nec de ſua majeſtate tantopere ſecurus eſt, ut neceſſarium non arbitrantem ſe vigilantem fingere etiamnum dum ſomnum capit: hinc teſte *Horo* Ægyptii leonis caput pingebant, quando hominem vigilantem & ſedulum indicare vellent, hoc quoque jure exegit à principibus *Homerus*, cujus græcos verſiculos ita aliquis eleganter in latinum ſermonem commutavit.

Non decet ignavum tota producere ſomnum
Nocte, virum ſub conſilio ſub nomine cujus
Tot populi degunt cui rerum cura fideſque
Credita ſummarum.

Et jure magnus dixit *politicus*, *nulla arx*, *castrumve satis munitum est*, *nisi solertia excubet*, *major monarcha majori cum cura frontem suam coronare debet quam ipsa solicitudine.*

ב. *Justitia rigida*, sicut enim leones non parcunt lupis ovile diripientibus, nec simiis eorum authoritati insultantibus, verum severe in utrosque animadvertunt, ita principum quoque est aliquando ad severitatem frontem suam componere, & ungues explicare ut malitia fraude, & petulantia insultus attentare non audeant, illud, ut opinor, Ægyptii volebant innuere cum Leonis effigiem principis sui capiti imponebant, nolentes principem tam benignum esse, ut nunquam vi utatur, neque tam mollem, ut se oculis quorundam exponat ludibrio; non est honor & reverentia, ubi non est aliquis timor; quod si semel resciverit populus principem irasci non posse, sed placido semper ac benigno erga eos vultu esse, eum contemnendum ducet; hinc David gloriatur quod severe animadvertisset in malos *Ps.* CI. 7, 8. & ira principum confertur iræ leonum dum non parcunt refragantibus, nec majestatis contemptum inulti negligunt, *Prov.* XIX. 12. XX. 2.

ג. *Clementia* leonina virtus quoque est principibus viris imitanda, non enim in omnes æque convenit severitas; verum aliquando conducit clementia uti erga eos, qui ex imbecillitate lapsi sunt unde versiculus

Parcere subjectis, & debellare superbos.

Ubi poeta ad leoninos mores alludit qui dicuntur ungues abstinere à prostratis, unde *Tacitus* etiam in *vita Agricolæ* de optimo principe asseverat, *parvis peccatis veniam*, *magnis severitatem commendare*, *nec pœna semper*, *sed sæpius pœnitentia contentus esse*, & *prudens politicus* eleganter dixit, non *imperare eum melius qui acriter castigat*, *sed qui excusat cum prudentia*, *ea cum moderatione*, *ut ne plectendi ansam porro præbeat*, *prorsus sicut chirurgo nemo honori tribuit si qualescunque tibias vulneratas resecet*, *& abscindat.*

1. In causa belli principis est exprimere quoque leoninas virtutes, & contra hostes se exhibere

א. *Fortem virum*, prout fortitudo leoni adscribitur *Prov.* XXX. 30. *Ægyptii* sapientiam hieroglyphicam impense colentes, anteriora leonis membra pingebant, *robur* denotaturi, quia in illis leonum maxima insita est vis; *Herculis* figura in numismatibus expressa repræsentat eum pelle leonina indutum, quod fuit virtutis & fortitudinis

tudinis ſymbolum, prout enim leones intrepidi maxima pericula ſubeunt, ita principem decet quoque eadem magnanimitas; ſive eum ſecunda fortuna ſervet integrum, ſive adverſa frangat, idem ſemper in eo vultus appareat oportet; qui eſt ad ſceptrum natus mutari non debet ad quemcunque eventum, ac caſum, nec ullum tam gravem aut acerbum ducat, ut ideo à ſe ipſo deſciſcat, aut perſonam, quam ſuſtinet, diſſimulet; inſignis fortitudinis animi exemplum dedit *Porus* Indorum Rex qui ab *Alexandro* captus, & rogatus *quomodo tractari vellet! regiè*, inquit, dein ſubjicienti, num quid *aliud etiam vellet?* reſpondit, *omnia hoc verbum complectitur regie*, quod Alexandro ita placuit, ut non modo eum in regnum reſtituerit ſuum, verum & plures provincias adjecerit; à principis magnanimitate ut plurimum victoriæ dependent, quia & animum militum auget, nam è vultu principis periculi gravitatem vulgus colligit, haud ſecus atque ex naucleri oculis ii qui in eadem nave ſunt cum grandior tempeſtas irruit.

2. *Generoſum*, prout leo dicitur dolo carere, nec limis oculis hoſtem intueri, ita quoque bonus princeps nunquam fœdifragis aut malis dolis hoſtem circumvenit, verum generoſo & aperto marte agit. Turpiſſimum eſt *Macchiavelli* conſilium, qui principem ſuum non aliter efformat, ac ſi ex leone & vulpe fingendus eſſet; qua in re Lyſandrum Lacedemoniorum ducem magiſtrum habuit, quem ferunt teſte *Plutarcho* dixiſſe, quando leonis pellim attingere non poteſt, vulpinam principi aſſumendam eſſe, hoc eſt dolis ac fraudibus agendum, quem aſtum *Polibius lib.* 13. *hiſtoriarum* graviter improbat, *Fuit, inquit, cui tractandis negotiis dolus malus placeret, qui regi convenire nemo ſane dixit, etſi non deſint qui in tam crebro uſu hodie dolis malis, eum neceſſarium dicant, ad publicarum rerum adminiſtrationem:* verum ſi fraus vitio non caret in omnibus ſuis partibus, quantumvis exiguis vitioſa ſit oportet, & principe indigna. Dignitas regiæ purpuræ omnem reſpuit maculam, neque ullus tam ſubtilis eſt atomus, qui non appareat & defœdet radios horum terreſtrium luminarium, dolus eſſe non poteſt abſque admixtione aliqua malitiæ & mendacii, & qui fidem ſuam frangunt, turpes reportant victorias.

3. *Callidum* tamen requirimus principem, neque omnia ſtratagemata belli reſpuimus, à quibus ne ipſi leones in totum abſtinent, dum aut veſtigia ſua caudâ delent ne venator eos aſſequatur, aut in antris, aut in ſpeluncis latitantes prædæ inſidiantur; ita quadantenus

verum est, qui nescit dissimulare, nescit regnare; quamvis magna hic prudentia opus sit, & omnia fiant salva fide, ita aliquando ex re Reipublicæ est, astum fallere astu, & hostem circumvenire, ita *David* obtegit vestigia sua *Saulo* fugiens, cujus prudentiam miratus fuit Rex 1. *Sam.* XVIII. 15. hinc singulari stratagemate avertit à se periculum regis Achis 1. *Sam.* XXI. 13. nam revera fatua foret ingenuitas consilia hostibus detegere, & periculosum imperio sine aliqua cautione agere, aut publicare custodias Reipublicæ. Artibus utatur quoque igitur princeps, non fraude aut infidelitate, retia sua contegendo, quibus hostem capere intendit qui prius fidem fregerat.

ז. *Sagacem* quoque porro requirimus & prudentem principem, qui hostium stratagemata præsentire novit & detegere, non aliter ac de leonibus vidimus quod venatores è longinquo odore observare possint, consistitque hac in parte præcipuum heroïs artificium, ut possit conjicere hostium necessitates & studia, ac perpendere virium robur; unde poeta

——— Non solum viribus æquum.
Credere sæpe acri potior prudentia dextra.

Unde & Cicero, *non omnia viribus superantur, non velocitate, non celeritate, sed consilio & scientia*; quod autem Heroës sub leonum symbolis nonnunquam depingunt, id ob nullam aliam causam fieri potest, quam quod principum virtutes in bello egregiè exprimant.

§. 12. Monuimus & *Deum* leoni comparari in Vet. Testamento quod non aliam ob causam in genere fieri statuimus, quam quia ipse in medio populi Israelitici, ut Rex considerandus fuit, unde regimen illud θεοκρατία vocatur 1. *Sam.* VIII. 7. Inde est quod cum regem eligere vellent Israelitæ temporibus Samuelis, dicantur Deo injuriam fecisse, ejusque regnum abnegasse; cumque divina clementia postea præposterum illud populo desiderium concessit, reges non admisit, nisi peculiari oraculo designatos, adeo ut videri voluerit in ipsis regnare non aliter ac si eos vestimenti instar induisset, ut revera veri fuerint Dei proreges, & personæ numinis repræsentaturæ. In hac consideratione *Deus*, ut absolutæ potestatis monarcha inter Israelitas jure *leoni* comparatur.

1. Respectu *gubernationis*, quotiescunque severitatem suam exercere voluit inter populum peccato onustum, & verbum ejus contemnentem, in quo rerum statu illi attribuitur.

א. *Rugitus*, *Amos* III. 8. quotiescunque pœnis suis præmittit

α. Severiores comminationes judiciorum præambulæ & præsagia, quas intercedente Prophetarum ope denunciari jussit.

β. Castigationes gravioribus pœnis præmissæ & severiorem judiciorum præsagia, quatenus sunt iræ divinæ indicia ad maturam pœnitentiam monentia, ne ad ultimam iræ effusionem irritarent.

ב. *Quod discerpat* quatenus est symbolum ultimi exterminii populi vid. *Hos.* V. 14. XIII. 7. 8. quale fatum experti sunt Judæi in direptione urbis per Babylonios, & ultima destructione per Rom.

2. Respectu *potentissimæ defensionis* populi erga hostes ipsorum, luporum instar insidiantium gregi, solent enim leones primam suam iram in lupos effundere, in quo casu Deus leoni assimilatur.

א. Ob suum *robur & irresistibilem* omnipotentiam, adversus quam ne maximus hostium exercitus quicquam valet, modo Deus se illis leonis instar objiciat *Job.* XXXVI. 21.

ב. Ob *horrendas strages* ultimæ hostium consumptioni & dilaniationi conjunctas.

§. 13. *Christus* quoque leoni comparatur, quatenus est potentissimus ecclesiæ Rex & caput populi electi, suorum causam strenuè agenti, idque propter elegantissimas analogias quas observamus.

1. In *gubernatione* regni spiritualis quam præstat

א. *Regia majestate*; sicut enim leo jubam coronæ & diadematis instar gerit, tanquam insigne principatus & dominii in reliqua animalia, ita quoque Christus ad regni thronum translatus, & ad dextram majestatis patris sui collocatus conspiciendum se præbet ut majestate coronatum *Ps.* VIII. 6. & ut regem gloriæ *Ps.* XXIV. 8-10.

ב. *Vigilantia*, & singulari custodia, unde vocatur שוכר *Hos.* IX. 8. in qua virtute leones excedit, ut pote qui nequidem dormitat *Ps.* CXXI. 3. 4.

ג. *Severitate* in pravos, non aliter ac leo in lupos & simias, emblemeta pseudoprophetarum & hypocritarum, quales in ecclesia ferre non potest, unde Christo adscribuntur oculi flammei *Apoc.* I. 14.

2. In *oppugnatione hostium* se *leonem* exhibens ex *Tribu Juda*, ut præstaret fidelium tum redemptionem, tum defensionem, emicuit singularis ejus

א. *Fortitudo* quam celebrat psaltes *Ps.* XXIV. 8. quâ valuit

α. Robore invincibili maxima pericula constanter subeunte, unde vocatur אל גבור *Jes.* IX. 5.

β. Animo infracto, unde celebratur ut Heros *Ps.* XLV. 4. qui manu

manu auxiliatrice destitutus semet proprio suo brachio suffulcire & sibi salutem procurare valuit *Jes.* LXIII. 1-5.

ב. *Generositas* apparuit in ejus spontaneitate & candore, qui noluit artem eludere arte, verum aperto Marte cum hostibus congredi, illisque in occursum ire *Matt.* XXVI. 46.

ג. *Victoria celebris*, quando tenebrarum principem & leonem infernalem ita invasit ut victoriam reportaverit prædictam *Gen.* III. 15. & redemptionem suorum præstitit juxta *Jer.* XXXI. 12: huc respiciunt testimonia *Jes.* XLIX. 24. 25. *Matt.* XII. 29. *Joh.* XIV. 30. 1. *Joh.* III. 8.

ד. Neque tantum victoriam reportavit, verum & leonina ira hostem plane *enervavit* & aboluit *Hos.* III. 14. 1. *Cor.* XV. 24. 25. 2. *Tim.* I. 10. *Hebr.* II. 14. *Apoc.* I. 18.

ה. In judiciis utitur tamen etiam leonina *clementia*, cujus est parcere subjectis, unde dicitur in ira memor misericordiæ *Hab.* III. 2.

§. 14. Verum sicut Heroes sub principe militantes etiam leonibus comparantur, ita quoque Deus & Christus in exercitu *Heroes* habent leonibus disciplinatis & mansuefactis comparandos qui pro gloria principis custodias agunt, inter quos numeramus.

1. *Angelos* sub nomine Cherubinorum venientes, *Gen.* III. 24. quoque vocantur *fortes Heroes Ps.* CIII. 20. & quibus Deus utitur in hostium oppugnatione, ut comprobatum est nobili exemplo 2. *Reg.* XXIX. 35. Conf. *Apoc.* 12: 7. inde est quod aliquis Cherubinorum leoninam habuerit faciem *Ezech.* X. 14. *Apoc.* IV. 7.

2. *Pios*, bonum certamen pro fide & pietate sub Christi ducatu decertantes, unde quilibet describitur ut fortis instar juvenis leonis *Prov.* XXVIII. 1. neque alienum est eosdem comprehendere sub emblemate Cherubinorum, quatenus una cum angelis ejus imperatoris sint ministri Conf. *Apoc.* XXII. 9. neque abludit analogia, leonibus enim jure comparari possunt.

א. Ob animi *fortitudinem*, qua intrepidi & singulari fiducia non detrectant maxima adire pericula, nullisque comminationibus aut tormentis se exterreri patiuntur, ut pote quibus Deus dedit *spiritum roboris* 2. *Tim.* I. 7. 2. *Cor.* V. 6-8.

ב. Ob singularem *vigilantiam* quâ prospiciunt venatorum conamina & quasi subolfaciunt, ne præter expectationem illis circumveniant. Quam prudentiam & sagacitatem acquirunt ex diligenti animadversione signorum temporum.

ג. Ob *methodum generosissimam*, dum recta hostes invadunt, omissis omni-

omnibus deviis, quando aperte profitentur quod ſentiunt, nihil declinantes à veritate & pietate Conf. 2. *Cor.* IV. 2.

ו. Ob *antipathiam* qua ſingulari odio proſequuntur *lupos* & *ſimias* id eſt pſeudo-prophetas, juxta monitum Chriſti *Matt.* VII. 15. & hypocritas qui priorum ſimiæ ſunt, nihil niſi ludicram perſonam referentes, & fidelium actiones præter mentem exprimentes.

ח. Ob ſingularem *gratitudinem* erga auxiliantes, dum poteſtates Chriſto ſe ſubjicientes, aut beneficia erga eccleſiam præſtantes, ſingulari reverentia proſequuntur, nullam illis noxam inferunt, ſed potius adblandiuntur.

§. 15. Diſciplina hieroglyphica leonis ſymbola accipit quoque in *malam partem*, quatenus leones ferociores & truculentiores implacata inhumanitate & immanitate ſæviunt; atque ita ſymbola ſunt

1. *Tyrannorum*; ſicuti Paulus *Neronem leonem* vocat conf. *Prov.* XXVIII. 15. & alia teſtimonia ſupra allegata: Ita *Hannibal* apud *Silium Italicum*, *Leo Lybicus* vocatur; eſtque peculiaris ratio, quotieſcunque tyrannidem exercet in populum Dei ſeu eccleſiam, quæ conſideratur ſub emblemate gregis, atque ita vocatur

א. Propter *ingenium & mores*, quatenus

α. Leones in antris inſidias ſtruunt gregi prætereunti, ita rex Babylonis vocatur *Jer.* IV. 7. *Leo adſcendens de cubili ſuo*, *Jer.* XLIX. 19.

β. Quatenus implacabilem iram concipiunt, qua perſequuntur gregem vid. *Jer.* L. 17.

γ. Quatenus ſingulari crudelitate gregem dilaniant uſque ad oſſifragium *Jer.* L. 17.

ב. Attamen *non* ita conſiderantur illi leones *ut inſuperabiles*, quin aliquando Deus illis objiciat Heroes; ſicuti *Simſon* & *David* leones ſuperarunt; ita quoque eccleſia tempore *Conſtantini* & aliorum Heroum nonnunquam à leonum-inſultu liberata fuit, dum aliqui venatorum inſtar illis foveas ſtruxerunt, conf. *Ezech.* XIX. 4-8. aut retibus expanſis ceperunt *Ezech.* XXXII. 2. & 3.

2. *Pſeudoprophetarum* ſymbola etiam dicuntur leones

א. Quia eadem immanitate animas prædæ inſtar diripere ſolent *Ezech.* XX. 15.

ב. Quatenus ſingulari arte quoque ſunt ſuperandi, aut abigendi ſaltem; ſicut enim leones faces accenſas fugiunt, ita quoque hi lumine verbi divini abiguntur, utpote quod oculis ferre non ſuſtinent.

3. *Diaboli* symbolum quoque est Leo, quia illi etiam competit regnum *Matt.* XII. 26. estque princeps hujus mundi *Joh.* XIV. 16. qui habet dominium potestatis aeris *Eph.* II. 2. verum quando ille imperium capessit, consideratur ut leo indomitus & degeneris animi bellua, admodum metuenda

א. *Ob robur*, dum consideratur ut *fortior nobis Ier.* XXXI. 11. ut *potens Ies.* XLIX. 24. imo ut *fortiter armatus Matt.* XII. 29. ut pote instructus

α. Ore amplo & prædæ inhiante *Ps.* XXII. 22.

β. Unguibus laceris quales sunt tyranni *Ps.* X. 10.

ב. Ob *calliditatem & sagacitatem*, unde insidiator & maximus fallendi artifex, qui leonis instar vestigia sua delere & occultare novit, ut nemo facile deprehendat. Solet enim peccata suadere & commendare sub specie virtutum.

ג. Ob *horrendum rugitum*, unde Leoni rugienti assimilatur 1. *Petr.* V. 8. qualem se repræsentat in tentationibus fidelium, illos per comminationes divinas ad desperationem sollicitando, aut per tyrannorum minas metu mortis corripiens.

ד. Ob ejus *crudelitatem & tyrannidem*, inde dicitur *hostis* & *vindictæ cupidus Ps.* VIII. 3. imo & ipse *tyrannus Ies.* XLIX. 25. ut pote qui alios secundum animam & corpus plurimos, aut electos saltem circa corpus dilaniare & perdere quærit 1. *Petr.* V. 8. *Apoc.* II. 10.

ה. Ob *senectutem*, dicitur enim leo adultus majorem iram concipere, ita quoque diabolus majorem concipit iram sub finem sæculorum, quando novit sibi breve tempus restare.

Nec tamen plane irresistibilis est quin etiam Leonis instar resisti possit, sicut enim leones abiguntur

α. *Gallorum cantu*; ita quoque Diabolus insultans expellitur precibus, psalmodiis similibusque pietatis exercitiis *Matt.* XVII. 21. Conf. *Matt.* XXVI. 41.

β. *Facibus accensis*, ita quoque fideles utuntur lumine verbi divini, quo gladii instar eum repellunt, ut Christus in tentatione *Matt.* IV. 4, 7, 10. Conf. *Ephes.* VI. 17.

CA-

CAPUT II.

DE PARDO.

§. 1. SEcundus à Leone occurrit *Pardus* non minoris immanitatis animal.

1. *Hebræis* נמר, quam vocem retinent *Syri*, *Arabes* & *Æthiopes*, radix non extat amplius inter Hebræos; verum ſagaciſſimus *Bochartus* ex lingua Syriaca & Arabica colligit hoc animal ita denominatum à maculis, nam in lingua Syriaca נמר *variegare*, & in Arabica נמר *maculoſum eſſe*, aut albis *nigriſve maculis diſtinctum eſſe*, harum macularum mentio fit *Ier*. XIII. 23. ubi vocatur חברברות à voce חברה quæ livorem denotat, ſicut eſt in lingua Arabica אחבר *notam inurere* ſignificat, unde vox derivata חבר *notam inuſtam & atramentum* denotat.
2. *Græcis* πάνθηρ quaſi πᾶν θὴρ *tota fera*, quia fœmina omnimoda feritate prædita eſt, adeo ut crudelitatis nunquam obliviſcatur etiam manſuefacta: alii tamen vocem derivant ex πᾶν & θήρα quatenus ultima vox venationem denotat, eſt enim hoc animal mirum in modum omnis generis venationibus aptum, dum non tantum feras ſed & aves captat.
3. Uſitatior tamen eſt vox πάρδαλις quamvis alii à πανθήρα diſtinguant, ut unum genus ſit majus, alterum minus, originem vocabuli quidam à themate ἀρδαλόω deducunt, quod *inquinare* ſignificat, quia animal maculis quaſi inquinatum conſpicitur, verum durius aliis videtur primam literam π abjicere, niſi forte π præponatur in morem Ægyptiorum in quorum lingua coptica π habent vim pro nominis demonſtrativi: alii tamen ex Phœnicum lingua, פרדש quod *hortum* ſignificat, rationemque denominationis dant, quod pellis macularum oculis non aliter ac hortus floribus ornatus ſit.

§. 2. *Ariſtoteles* hoc animal à leone diſtincturus cap. V. *Phyſiologiæ*, in hunc modum depingit, *Pardalis* inquit *inter ea, quæ fortiora eſſe videntur, fœmineam magis formam exprimit, cruribus tantum exceptis, quibus maxime utitur & fortiter agit: habet autem faciem parvam, os magnum, oculos exiguos & albicantes* (aut potius glaucos) *introrſum cavos, eoſdemque fere planos, frontem oblongam, aures verſus rotundam magis quam planam figuram, collum valde longum, & tenue pectus* ἄπλευρον *parvis admodum coſtis præditum, & dorſum oblongum, clunes carnoſas*

ut & fœmina, partes vero circa illa & ventrem magis planos ſeu læves, colorem varium, totum denique corpus male articulatum & proportione carens.

§. 3. *Varia* ſunt *Pantherarum genera* variis in regionibus; In Arabia juxta deſcriptionem *Agatarchidæ* apud Photium Pardales non ſunt tales quales in Cariæ, Lyciæque tractibus, ſed corpore prolixo, & vulnerum, laborumque moleſtias perferre multo magis norunt, viribus quoque præſtant aliis quanto cicuribus agreſtes; idem quoque teſtatur *Diodorus de Arabia lib.* II. *magnam prægrandium ferarum copiam alit, nam & leones & pardales hic numero ac magnitudine viribuſque præſtant iis qui in Lybia ſunt. Oppianus* diſtinctionem utriuſque generis lib. IV. κυνηγετικῶν ita deſignat, *pardalium* inquit *duplex eſt genus, ſunt enim aliæ majores dorſoque ampliores, aliæ vero minores, ſed robore non multum inferiores, eandem coloris varii & corporis figuram, ſimilitudinemque ambæ habent, excepta caudâ quæ majoribus eſt minor, ac minoribus major, utriuſque ſolida ſunt fœmora, corpus oblongum, oculi ſplendidi, quorum pupillæ ſubglaucis fulgent palpebris, quæ ipſæ quoque glaucæ ſunt, ac interius rubicundæ, ardentibus ſimiles atque ignitæ, dentes ſunt pallidi venoſi, pellis varia, color ſplendidus crebris maculis nigricantibus.*

§. 4. Sicuti in *Arabia* vidimus pardos inveniri, ita quoque veriſimile eſt aliquos fuiſſe in *Moabitide* terrâ Arabiæ vicina: unde urbs in Moabitide cui nomen *Bethnimra Num.* XXXII. 36. prout & amnis cui nomen מי נמרים *Jeſ.* XV. 6. *Jer.* XLVIII. 34. quæ loca ſibi invicem vicina nomen proculdubio à regione obtinuerunt, in qua major fuit pardorum frequentia; in Cantico Salomonis *cap.* IV. 8. memorantur quoque *montes pardorum*, ubi proculdubio alluditur ad montes Libanon *Hermon, Seneir* & *Amana*, ibi memoratos, ſicut & hodie *mons Leopardorum* oſtenditur peregrinantibus duabus leucis Tripoli, & una à Libano diſtans rotundus & præaltus, forte, quia hæ feræ ibi olim luſtra habuerunt, ex quibus egredientes agros devaſtarent.

§. 5. Formidandum hoc animal

1. Propter nonnullas qualitates corporis compoſiti ad

   א. *Fortitudinem*, ſunt enim Pardi Leonibus proceritate fere æquales & robore proximi. Hinc *Addamyrius* Arabs affirmat *victoriam inter utramque feram ſæpius alternam eſſe*, eam ob cauſam eruditi volunt leonem & pardum in S. literis ſæpius conjungi.

   ב. *Velocitatem*, qua pardus reliquis animalibus longe præſtat, unde & Chaldæorum *equi dicuntur leviores fere pardis Habb.* I. 8. *Adamus Olearius teſtatur* Schamachiæ ſe vidiſſe pardum venaticum quo-

vis

vis cane gallico veliociorem, qui in lepores incidens eos ſtatim curſu prævertit: unde *Euſtatius* pardos quaſi volare ante venatorum oculos dixit, & clariſſ. *Voſſius* lib. III. de *idololatria* cap. 63. eos ter quaterque equum, licet pernicem aſſequi obſervavit, rationem dedit *Pollux*, quod *corpus habeant molle, flexile, agile & ſaltibus aptum.*

ג. *Gratum odorem* quem exhalat, & quo omnes quadrupedes ad ſe allicit, dum ſuavem odorem præſentientes in propriam perniciem ad hoſtem accedunt, cauſa forſan eſt quam tradit *Philoſtratus in vita Apollonii* lib. II. cap. 1. quod *aromatis gaudent & lubenter comedunt, imprimis vero ad ſtoracis lachrymas feruntur, quoties eo liquore arbores turgent*, ſicuti & juxta arbores camphoræ teſte *Avicenna* libenter degunt.

2. Adſcribitur Pardis quoque

א. *Calliditas*, quod mira arte beſtiis inſidientur, eaſque venentur, ita ſimias capiunt hoc dolo; quod ſe humi proſternentes tibias contrahunt, oculos claudunt, ſpirituſque ita reprimunt ut videantur mortuis ſimiles, unde ſimiæ primo timidæ, deinde audaciores illos ex arboribus ſpeculantur, deinde deſcendunt, ac mortuo in ſpeciem hoſti inſultant, quæ omnia patienter ſuſtinet, donec ſatis defatigatas putat, ac tum de improviſo exiliens partim unguibus partim dentibus lacerat, gratumque ex hoſtibus prandium ſibi parat. Ad inſidioſam animalis fallaciam refertur quoque quod frondibus ſe obtegens & involvens in prætereuntia animalia deſilit; ad hunc ſimilemve morem inſidiandi pardorum referendus eſt locus *Hoſ.* XIII. 7. *ero quaſi pardus ad viam Aſſur*; ubi verbum אשור ab aliis accipitur tanquam appellativum nomen *Aſſyriæ*: ita eſt LXX, & qui eos ut plurimum ſequuntur *Syrus* & *Arabs*, conſentiente & *Maſora*, quæ monet Kamets hic reperiri pro Patach cum dageſch, alii tamen referunt ad verbum שור ut *Jonathan* & alii cujus futurum eſt אשור juxta *Num.* XXIX. 17. atque vertunt textus verba, ſicut *pardus in via ſpeculabor*, quaſi ex inſidiis & paratus ad rapiendum.

ב. *Ferocia*, non enim minorem crudelitatem ipſo leone exercet, verum gregem & armenta avide diripere ſolet.

ג. *Pronitas* ad ebrietatem, notandum eſt enim quod *Oppianus* narrat lib. IV. κυνηγετικῶν pardos hoc dolo capi: *venatores enim multas amphoras vini odorati in foveam huic uſui accommodam effundunt; unde Pardi ejus odore allecti immodice bibunt, inebriatique ſaltationibus primo ſe oblectant, donec delaſſati ſomno corripiuntur, à quo tempore*

 à ve-

à venatoribus ſtragulo ſe occultantibus nullo negotio capiuntur.

ז. *Gratitudo* & pardis ineſſe dicitur non aliter ac leoni, unde pardus *Æliano* lib. II. cap. 24. commemoratus licet famelicus, ab hædo abſtinuit in cujus contubernio fuerat educatus: alium autem illi oblatum avide devoravit: aliud exemplum *Plinius* ſuppeditat lib. VIII. cap. 17. pardum ſcilicet cujus catuli procul in foveam delapſi erant, hominem illi occurrentem molliori unguium injectu duxiſſe ad foveam. ut catulos inde eximeret, eoque officio præſtito, ex vaſta ſolitudine reduxiſſe illæſum.

§. 6. Cum leone quoque in eo convenit quod ab hominibus capi poſſit; hinc Ælianus tradit Mauritanos pardos conſtringere laqueis, dum carnis fœdidæ fruſto, ex longiori funiculo ſuſpenſo, cujus odorem hauriunt, alliciuntur, ac properantes in inſidias incidunt: alium capiendi modum ex *Oppiano* adduximus paragrapho præced. Pardos captos nonnunquam cicuratos fuiſſe, & ab aliquibus adhiberi in venatu Tatarorum hiſtoriæ monent. Ita *Paulus Venetus* Tataros iis domatis, canum vice uti in proſequendis capiendiſque aliis feris monuit. Inteſtinum quoque odium inter *Pardos* & *dracones*, nec non *hiænas* & *gallos* intercedere annotavit *Plinius* lib. XXVIII. cap. 2.

§. 7. *In doctrina hieroglyphica pardus* eſt doctrina impii *Muhamedi Dan.* VII. 6. ubi poſt *leonem* & *urſum* tertio loco propheta vidit animal *pardo* ſimile, *habens in dorſo quatuor alas volucres, & inſtructum quatuor capitibus, cui datum eſt imperium*; quo repræſentamine alii imperium *Alexandri* expreſſum fuiſſe volunt, qui fuerat tertiæ monarchiæ fundator; verum ad tempora ulteriora referendam eſſe illam viſionem ex ultima ejus ſcena evidenter apparet, ubi regnum Chriſto tradendum cum omni amplitudine, quod eſt beneficium ſeptimæ periodi, evidentiſſime pellucet, ac proinde *quartum* animal non poteſt non ſpectare ad regnum *antichriſti* cum adventu regni eccleſiæ abolendi; cumque ergo & tertium animal quærendum ſit in œconomiâ N. Teſt. non poteſt ullo imperio quam *Muhamedanorum* applicari. Nec obſtat locus *Apoc.* XIII. 2. ubi Pardi ſimilitudo quoque trahitur ad *primam beſtiam*, quoniam ſcopus Johannis eſt oſtendere quartam Danielis belluam quaſi ex tribus prioribus conflatam fuiſſe, atque aliquid habere cum omnibus commune. Elegantiſſima analogia quoque intercedit inter imperium Muhamedanorum & pardum.

1. Propter *animalis genium*: eſt enim pardus

א. *Fera* bellua, atque adeo convenientiſſimum emblema imperii Chriſtianæ diſciplinæ non ſubjecti, quod in Muhamedanorum regnis mani-

manifestum est, qui enim disciplinam Muhamedis sequuntur, in eo gentilibus similes sunt, quod sacram scripturam ut corruptam respuunt, & humanis legibus solummodo vivunt vera pietate destituti.

ב. *Maculosa*, suntque maculæ illæ repræsentamina errorum & peccatorum *Jer.* XIII. 23. Muhamedica enim religio, etsi quædam transsumpsit ex Mose & Euangelio, multis errorum & vitiorum maculis conspersa est & commaculata, Christum enim agnoscentes ejus divinitatem & mortem expiatoriam negant, polygamiam admittunt, & totum cultum humanis concupiscentiis appropriarunt.

ג. *Velox est*; quæ proprietas denotat imperii Muhamedici veloces progressus, qui conspicui sunt in imperio regis Omar, tertii à Muhamede, qui totum fere orientem intra paucos annos occupavit.

ד. *Crudelis est*, quæ proprietas denotat in Muhamedanis insatiabilem Christianos subigendi appetitum; prout est grex, verum est objectum furoris pardorum; ita quoque ecclesia Christiana grex Christi omnes insultus Muhamedanorum sustinere debuit.

ה. *Callida* quoque bellua est & admodum insidiatrix, quæ proprietas denotat stratagemata belli quibus Muhamedani Christianos invaserunt.

2. Propter *partes*, in repræsentamine denotatas, ubi

א. *Corpus* significat populos intercedente una religione in unum corpus conflatos, & vim conjungentes adversus communes hostes.

ב. *Quatuor capita* denotant quatuor *Calyphatus*, qui non longe post Muhamedis initium ob ortisunt, quorum duo fuerunt in oriente, duo in occidente.

α. Primus *Calyphatus* fuit *Bagdadensis* ita denominatus ab urbe Bagdad ad confluentem Euphratis & Tygridis, cujus vicem nunc agit imperium Persicum longe lateque dominans in oriente.

β. Secundus *Calyphatus* est *Ægyptiacus* sive Cairoamus, cujus sedes fuit in urbe Alcairo Ægyptiorum metropoli, quique postea à Turcis occupatus hodie substituit Turcarum imperium.

γ. Tertius *Calyphatus* est *Fesso Maroccanus*, sive Mauritanus, cujus metropolis nonnunquam Fessa, aliquando Marocca fuit, ejusque initium deducitur ab anno 788. atque etiamnum viget, finesque imperii ad Nigritas usque protendit.

δ. Quartus *Calyphatus* fuit *Andalusius*, sive *Hispanus*, qui initium cepit ab anno 756., cum quo diu multumque luctatum est à Christianis, donec Mauri sæculo decimo quinto demum, ejusque

que anno 1492. expulsi sunt, postquam eorum imperium per 700. annos duraverat.

ג. Quatuor *alæ* commode repræsentant quatuor genera exercituum ex 4. illis regnis collectorum, quibus in altum elevatum fuit Muhamedanorum imperium.

1. Propter *fata* quæ aliquando pardis eveniunt, dum

א. *Capiuntur:* hostes enim gregis nihil valent adversus prudentiam summi pastoris, seu velocitate seu calliditate sive etiam fortitudine; Ita Christus non patietur ecclesiam suam à pardo plane diripi, verum illud imperium cum reliquis una subjugabit, quando regnum ecclesiæ eriget, quod jure concludimus ex allegato loco *Dan.* VII. 17.

ב. *Cicurantur*, idque tam exactè ut plane abstineant ab omni noxa; simile quidpiam promissum est in regno Christi *Jes.* XI. 6. fore enim ut *pardus* cum *hædo concumbat*, id est, mutato animo ad ecclesiam accedat, & per conversionem membra Regni Christi fiant, quæ olim corpus Pardi constituebant.

§. 8. Non omittendum quoque est hoc animal Baccho fuisse sacrum; unde *Oppianus* lib. IV. *Pantheras* vocat *dona Bacchi*; & *Philostratus* in vita *Apollinii* lib. II. cap. 1. testatur in Pamphylia Pantheram repertam fuisse cum torque aureo, cui Armeniis literis hæc verba inscripta erant, *Rex Arsaces Deo Nysæo*, id est Baccho. Hinc mos veterum fuit in Bacchi simulachris Pardum statuendi ad pedes ejus, & in *nummis Magnesianis* Decii Trajani, Bacchus conspicitur duabus Pantheris vectus, sicuti & in alio qui sub Antonino Pio percussus est, idem Bacchus repræsentatur vectus à Satyro & Panthera, qui videntur spectasse ad Bacchanalia sacra, videturque ratio petita ex animalis natura & indole, cum antea monuimus Pardum vino deditum esse, imo quidni est ut indicarent homines ebrios Pardo assimilari, quorsum poetarum figmentum respicere videtur, quo comminiscuntur Liberi Patris nutrices in Pantheras conversas fuisse, quæ omnia magis confirmant quod pardus commodum sit symbolum imperii voluptatibus plus quam Deo servientis.

CA-

CAPUT III.

DE URSO.

§. 1. INter ferociora animalia majoris molis occurrit nunc tertio loco urſus qui communi in oriente nomine vocatur דוב: hoc enim retinent poſt Hebræos non tantum Chaldæi & Syri, verum etiam Arabes & Æthiopes

1. Clariſſ. *Bochartus* originem vocis quærit in Arabia, in lingua enim Arabica verbum דבב ſignificat non tantum *habere faciem piloſam*, verum & in genere *villoſum* ac *hiſpidum* eſſe, itaque urſus nomen accepiſſet à piloſa & hirſuta cute.

2. Doctiſſ. *Majus* revocat ad idem verbum ex eadem lingua ſed alia verbi ſignificatione nempe דב quæ in lingua Arabica notat *lente tardeque incedere*, quod urſis proprium eſt, quia ob corporis molem atque craſſitiem nec non ob genua & cubita contraria, pigrum eſt animal, ac lente procedit.

3. Qui tamen non negligendam eſſe linguam hebr. volunt, in derivatione vocabulorum referunt hoc nomen ad verbum דבב quod occurrit *Cant.* VII. 10. quodque proprie ſignificare videtur *Muſſitare*, ſeu loqui cum murmure, quia murmur urſo quaſi proprium eſt, qua vocis flexura diſtinguuntur ab aliis animalibus.

§. 2. Habet autem urſus (ut ejus figuram & proprietates contemplemur à capite ad caudam) roſtrum ſive os oblongum ſuilli inſtar, aſperum patulum & exitioſum, dentes habet leonum dentibus fere ſimiles, niſi quod minores ſint, ac propter labiorum craſſitiem penitius fere reconditi, ſatis tamen validi: cerebrum quater majus leonis cerebro, & caput debilius: oculi illis admodum ſunt parvi, quibus humor cryſtallinus aliter quam in aliis animalibus eſt diſpoſitus, nempe ad unam oculi axis partem retractus, unde viſus obſcurior & tetricus, ac moroſus illi vultus, collum illi breve, & pectus robuſtum; crurum ſtructura prorſus ſingularis eſt, denſum & pingue quoddam ligamentum habent, ex quibus forte humor ille profluit, quo exſucto per hyemem vivunt; pedes anteriores hominum fere manibus ſunt ſimiles: ungues à leonis unguibus in eo differunt, quod ſint magis æquales, magiſque compacti, quia totum corpus admodum piloſum eſt, natura caudam illis diminuit; ur-

ſus diſtinguitur à reliquis animalibus peculiari voce, quæ pluſquam uno verbo Hebraico exprimitur. Adſcribitur enim illi

1. המה *Jeſ.* LIX. 11. quod multi *fremere* vertunt, Eſt autem verbum latioris ſignificationis, uſurpaturque de canis ululatu, columbarum gemitu, viſcerum tumultu, & maris fremitu.
2. דבב, quod antea monuimus muſſitandi ſignificationem habere, & forſan metaphorice transfertur ad homines *Cant.* VII. 10.

§. 3. *Varia* ſunt urſorum *genera*, diſtinguuntur que

1. *A magnitudine*, in præſtantes, & parvos.
2. *A locis ubi degunt*; non enim tantum occurrunt urſi terreſtres ſed & aquatici; ita in regionibus ſeptentrionalibus urſi inveniuntur inſignioris fortitudinis, qui unguibus glaciem rumpentes in mare ſe immergunt & piſces capiunt.
3. *A colore*, alii ſunt albi quales occurrunt in Æthiopia, Thracia, & Groenlandia, alii vero colore fuſco, in America reperiuntur plane nigri.
4. *A majori* aut *minori hirſutie*; reperiuntur enim in America qui ſunt læves faciem decrepiti Æthiopis rugis obductam referentes.

§. 4. De urſorum *indole* multa ſpecialia annotantur, nempe ob duram hirſutamque pellem inflicta verbera niſi fortiora ſint, non ſentire; naſum habere tenerrimum, quo vel leviter tacto vehementer irritantur unde proverbium *ne tentes naſum urſi*, in eos dictum qui irritati nocere poſſunt: muſicâ valde delectantur, unde paſtores in ſeptentrionalibus regionibus ab urſis circumventi bicornubus ludunt fiſtulis donec fame urgente diſcedant; illud præcipuè mirandum quod animal ſit diſciplinæ capax, & edoctum ad magiſtri nutum ſe componat; nam dulci fiſtularum ſono quo plurimum gaudet, ad ludicros geſtus & choreas excitatur, diſſona vero tubarum voce, tanquam acriore ſigno inducitur ut ſe in pedes erigat: multaque alia ludicra exercet, rotis applicatur in magnatum curiis ut aquam è puteis educant, plauſtris junguntur, excubias agunt, ut noxias beſtias arceant, imo & onera portant, quarum omnium rerum teſtis eſt *Olaus magnus in hiſtoria de gentibus ſeptentrionalibus* lib. XVIII. cap. 28. & 29.

§. 5. Bellua hæc à multis *vitiis* vituperatur & quidem

2. Ob *ferociam*, cujus inſigne exemplum extat 2. *Reg.* II. 24. qua ferocia duobus in caſibus exacerbatur
   - א. Quando catulis orbata urſa incedit vid. 2. *Sam.* XVII. 8. *Prov.* XVII. 12. *Hoſ.* XIII. 8.
   - ב. Quando fame urgetur, quorſum reſpicit locus *Prov.* XXVIII. 15.

eſtque

eſtque urſi eſurientis tanta ſævitia, ut non greges tantum, imbelleſque pecudes, verum ipſa quoque armenta ac tauros aggredi audeat, quorum nares aut cornua petit; cornua ut pondere defatiget, nares ut acrior dolor ſit in loco teneriore vide *Solinum* cap. 39.

2. Ob *Voracitatem*: eſt enim urſus animal omnivorum, quod fruge, fronde, vindemia, pomis, cancris & formicis vivit, inſidiatur valde alvearibus apium, nec avidius quicquam favis & melle captat; Carnium vero maxime avidus eſt, quapropter ne cadaveribus quidem abſtinet, quæ luporum in morem ſecum portat ac devorat, quorſum reſpicit locus *Dan.* VII. 5. imo hominibus multo quam leo infeſtior eſt, quorſum reſpicit proverbium propheticum *Amos* V. 19. *Quomodo ſi quis fugiat leonem & occurrat ei urſus.* Significatque in deteriorem ſtatum incidere, atque ita coincidit Latinorum proverbio

Incidit in ſcyllam, cupiens vitare Charybdim.

3. Ob *verſutiam*; eſt enim urſus inſidioſum & fraudulentum animal, unde *Oppianus* appellat *genus verſutum* eique tribuit cor ſubdolum, & verſutum pectus: huc reſpicit locus *Thren.* III. 10.

4. Ob *inſatiabilem libidinem*, Oppiano enim authore dies nocteſque avidæ coitus ipſæ fœminæ in mares irruunt; hinc Arabes hominem in libidines valde pronum, *urſo libidinioſiorem dicunt*, nec contenti urſi ſunt cum generis ſui fœminis coire, ſed ſimiarum ritu hominum quoque pudicitiam tentant, exempla memoranda extant apud *Olaum magnum* lib. XVIII. cap. 25. coire quidam obſervarunt omni fere tempore.

§. 6. *Uſum* vix habet hoc animal, niſi quod

1. Gentes ſeptentrionales urſorum carnes ſale conditas, inſtar ſuillæ pro cibo caſtrenſi aſſervare ſoleant, quam tamen ob difficiliorem concoctionem, illiberalem eſcam vocant medici.

2. Pellis tamen avidè deſideratur, quibus induuntur, incumbunt, & teguntur Boreales nationes, ubi præcipuè expetuntur pelles albæ, tanquam majoris pretii.

3. Animal vivum & manſuefactum adhiberi domeſticis negotiis perficiendis jam ante monuimus, attamen ſemper prudentia tractandum, quia facile redire ſolet ad priſtinam indolem.

§. 7. *In Theologia hieroglyphica* urſus quoque non pretereundus propter nobiliſſimum emblema *Danieli* in viſione exhibitum cap. VII. 5. ubi *ſecundum animal ex mari prodiens dicitur urſi faciem repræſentaſſe, leonique*

 ſtetiſſe

stetisse à latere, & additur quod habuerit *tres costas*, quasi spolium ex præda *inter dentes*, & *quod mandatum acceperit ultra progrediendi ad comedendum.* Ex hypothesi hactenus observata quod belluæ in S. S. significent corpora seu societates hominum animalium, & carnaliter sapientium cum imperio (conf. *Jes.* LVI. 9. *Hose.* II. 20. *Habac.* II. 17.) & quod quatuor animalia in hac visione prodeuntia pertineant ad tempora N. T. ut pote regnum ecclesiæ non longe antecedentia, facile constat *ursum* repræsentare non monarchiam *Persicam*, ut vulgus interpretum existimat, sed *imperium barbararum gentium* cum Gothis, Hunnis, & Vandalis conflatum, quodque non longe post imperium Romano-Christianum multa strage afflixit ecclesiam, neque abludit etiam analogia, si ursus consideretur

1. *Comparate ad leonem*, cui stetit à latere, & post cujus exortum, aliquando postea, se etiam conspicuum dedit, nam sicuti ursus est
   א. *Bellua leone ignobilior*, & minus formosa, ut pote corpore incondito; ita barbaræ illæ nationes Romano-Christianis longe ignobiliores fuerunt, neque corpus illud politicum ita fuit disciplinatum, ut à forma commendari mereret; hinc *Strabo* Gothos sub Getarum nomine describens, vocat *barbaram* atque *feram gentem.*
   ב. *Ingratior respectu coloris* fuit quoque leone, qui cum fulvo suo colore superbiat, urso præcellit, cui color fuscus & valde ingratus: jam vero cum omnis animalis ornatus fere sit à colore, & nationum à Religione, commodum hoc symbolum esse potest in Gothis illis & reliquis gentibus barbaris, quod sub nomine Christiano cum Ariani cum essent, longe Leone essent inferiores qui catholicam profitebatur fidem.
   ג. Inferior quoque ut leone ursus est & *minus generosus*, juxta comparationem Ovidii

   Corpora magnanimo satis est prostrasse leoni,
   Pugna suum finem, cum jacet hostis, habet.
   At lupus, & turpes instant morientibus ursi,
   Et quæcunque minor nobilitate fera est.

   Ita quoque barbaræ hæ nationes in terram Christianorum irruentes quovis fero animali truculentiores se præstiterunt, unde *Ammianus Marcellinus lib. histor.* 26. de temporibus Valentiniani & Valentis agens, dicit hoc tempore *veluti per universum orbem Romanor. classicum canentibus buccinis excitæ sunt gentes sævissimæ quæ limites*

mites sibi proximos persaltabant. Ludovicus Vives in præfatione ad *Augustinum de Civitate Dei* de Gothis asserit quod fuerit *ferox & inquieta gens, suisque sedibus male contenta, quæ subinde causam alienas invadendi quærebat.* Truculentiæ insignis specimen dederunt in principio belli cum Imperatoribus, cum enim in primo prælio fuso Valentis Imperatoris exercitu ipsum vulnere saucium cepissent, vivum cremarunt; unde sub duce Alarico per gentes non tantum ferro sed & igne quascunque obvias regiones exterminarunt, unde omnibus terrori fuerunt, adeo ut in proverbium abierit, *Gothi veniunt.*

2. *Quoad propriam* indolem, notavimus enim in urso

א. *Fortitudinem* insignem, ita *Strabo* de getis quoque dixit *gentem fuisse viribus valentem, animo immani, atque mortis contemptore.*

ב. *Voracitatem*, attributum hic primario respicitur, quia inter dentes hujus Ursi spectantur *tres costæ*, quod significat insatiabilem diripiendi appetitum: eadem fuit Gothorum indoles unde à *Ludovico Vive* dicebantur suis *sedibus male contenti*; hinc non satiati fuerunt Pannoniam, Illyricum, & Noricum prima invasione occupasse, verum etiam Italiam, Galliam, & Hispaniam non solum desiderarunt, verum & devorarunt.

ג. *Versutiam*, quæ pertinet ad stratagemata belli, & causas alienas invadendi; dum quascunque occasiones arripuerunt Romanum imperium impugnandi: Ita Alaricus postquam Stelicone interfecto Romam biennium frustra obsederat, urbem dolo cepisse dicitur, dum simulabat obsidii solutionem, & regressum, quasi pacem daturus nobiles aliquot in urbem intromisit clanculum qui custodiis prostratis portas aperuerunt; quod factum anno ab urbe condita 1164. ipsis Calendis Aprilis, Flavio & Varrone consulibus.

ד. *Libidinem*; quæ barbaris gentibus quoque familiaris fuit, dum victorias prosequentes ubicunque terrarum venirent honestas matronas & virgines stuprarunt, atque inde maximum terrorem circumquaque hominibus incusserunt.

3. Respectu rerum *connexarum* dicitur *ursus*

א. *Stetisse* ad unum *Leonis latus*, prout itaque Leo repræsentabat imperium Romano-Christianum, ursus vero Gothicum, eleganter indigitatur non tantum utriusque imperii simultanea coexistentia, verum etiam vicinia, Gothi enim imperium occidentale diripuerunt, ac proinde steterunt Leone ab occidente à latere.

ב. *Tres costas habuisse intra dentes*, ubi alluditur ad prædæ reliquias quasi retentas; solent enim ursi satiati à præda, quod reliquum est secum abducere & sibi conservare in alimoniam, ut inde subsequenti tempore vivant; ita tres illæ costæ sunt emblema trium regnorum quæ post invasiones sibi retinuerunt, quales teste experientia fuerunt *Gallia*, *Italia* & *Hispania*, in quibus regna Gothica dudum perseverarunt.

ג. *Mandatum accepisse* dicitur quoque *surgendi*, & *multam carnem comedendi*, nempe postquam jam tres illas costas secum abduxisset, ita quoque cum Gothis actum est, dum ecclesiæ territorium abhinc sæpius invaserunt, multasque strages excitarunt, quandiu in Ariana perfidia perseverarunt: cum hoc mandato convenit prophetia *Jes.* LVI. 9. *Vos omnes belluæ venite ad comedendum*, *etiam omnia animalia sylvæ.* Quibus denotatum fuit excitante divina providentia, gentes barbaras easdem adhibitas fuisse ad flagellum ecclesiæ, & prospera fortuna usuras diripiendo multos principatus, ducatus &c.

ד. Verum non omittendus est scenæ exitus, verum ut *ursi cicurari possunt*, & variis usibus domesticis inservire, ita prædicitur *Jes.* XI. 7. fore ut *vacca* junctim *cum urso pascuis utatur*, & *utriusque pulli simul concumberent*, quæ prophetia indigitat ursum feros illos mores depositurum per disciplinam Christianam admissam, atque ita reliquis conjunctum iri, ut ejusdem communionis fieret particeps; quod etiam probatum est ipso rerum eventu, dum Gothi Arianam religionem derelinquentes in nomen Catholicum concesserunt, & communionem cum ecclesia, licet corrupta, abinde coluerunt.

CAPUT IV.

DE LUPO.

§. 1. AD lupum descendimus quoad mores inter leones & canes quasi medium, unde aliqui hoc animal habuerunt pro cane sylvestri; dubitari nequit hoc animal indigitatum esse in sacris sub nomine זאב quia non tantum LXX illud constanter vertunt per λύκον, verum etiam quia linguæ orientales eandem denominationem retinent, nisi quod aliqui

aliqui ſain in daleth ut Arabes immutent. Non eadem tamen omnium ſententia eſt circa vocis originem, dum alii זאב volunt dictum à זהב mutato ה in א ad exprimendum *aureum animalis colorem*, quæ etymologia placuit clariſ. *Bocharto*, diſplicuit autem clar. *Majo* quia illa derivandi ratio nimis eſt contorta, & literæ ejuſdem organi raro ita inter ſe permutantur in medio dictionis. Hinc alii potius derivant à themate דאב mutato daleth in ſain ut fiat זאב atque ita nomen accepiſſet à *terriculoſa voce* quæ horrorem cæteris animalibus incutere ſolet. Hinc in lingua Arabica radix ſignificat terrere æque ac in lingua Chaldæa.

§. 2. Quicquid ſit, lupus animal eſt magnis canibus ſimile ut *Cardanus* affirmavit, lupos & canes feros ad eandem ſpeciem referendos eſſe, contradicente tamen illi *Scaligero exercitat.* 202. Quoad corporis formam caput illi eſt caninum, ſed craſſius, oculos habet acutiores de quibus ita *Plinius Nocturnorum animalium veluti felium in tenebris fulgent radianturque oculi, ſic luporum ſplendent, lucemque jaculantur.* Dentes habet acutiſſimos, quorum canini incurvi ſunt admodum utiles rebus attrahendis; illis venenum ſubeſſe dicitur, quia morſus luporum ſunt venenati; aures habet breves & erectas quas tenere difficile & relinquere periculoſum eſt, unde proverbium, *lupum auribus tenet*: collum illi ob brevitatem & craſſitiem difficulter flectitur, unde retro ſpectaturus totum fere corpus retorquere cogitur: pedes habet robuſtos, unde aliqui lupum dictum voluerunt quaſi λεωπȣς, quia illi leonina virtus & robur in pedibus, vel quod leonum inſtar pedes priores diſtinctos habeat quinis digitis, poſteriores quaternis, caudam habet villoſam: colore vario occurrit, commendatur autem ſenſibus externis, quod viſum habeat lupus valde acutum quò aliqui reſpici putant *Hab.* I. 8. multumque valet etiam odoratu, dicitur enim per noctem, adverſo licet vento, odorem eſcæ per 1000 paſſus & longinquius percipere, creduntur lupi quoque præſentire tempeſtatis acerbitatem, quando mature loca frigore nimium infeſta cum calidioribus permutant; quod *Aratus* poeta ſingularibus quoque verſibus expreſſit, quos vide apud *Majum*: norunt lupi ſingularem ululatum excitare flebili & miſerabili voce quod etiam cum canibus habent commune.

§. 3. Lupis alia vertuntur *vitio*, *alia virtuti*.

1. *Virtuti* vertitur ſingularis *velocitas*, notante etiam *Scaligero*, leporem conſequi & vorare norunt, hinc notante clar. *Bocharto* Arabes multa luporum nomina à celeritate deſumpſerunt; quotidiana experientia confirmat lupos celerrimo curſu anſeres tamdiu inſequi, donec defatigatos comprehendant, raptas de grege oves tam celeriter abducunt ut

paſtor

paſtor citato licet curſu imminens eos tamen aſſequi nequeat.

2. *Sagacitas*, norunt enim uti vario ſtratagemate, norunt ventrum implere, ubi pondere decertandum eſt cum armentis, exonerare quando fuga ſaluti conſulendum eſt; armenta à tergo invadunt, gregem omnibus modis fallere conantur, ſtabula bene munita ſi ſint illis parietes, perfringunt, atque ex inſidiis oves caput exerentes capiunt, dum unus ad caulam ovium appropinquat, ac ſe in fugam à canibus agi ſinit, alii ex inſidiis ſurgunt, & in gregem graſſantur quando canes ſatis remotos animadvertunt.

3. *Robur* velocitati & ſagacitati conjunctum hoc animal magis extollit, quam ob cauſam poetæ eos *Martios* & *Martiales* vocarunt; & fortiſſimis viris luporum nomen quandoque inditum eſt, ut *Herculi*; quanto autem robore polleat lupus vel inde conſtare poteſt, quod armatum etiam equitem, equo inſidentem, bovem, equum & ſimilia invadat atque dilaceret.

§. 4. Verum *vitio* vertuntur lupis

1. *Voracitas*, eſt enim animal helluo, ac perpetuâ fere fame affligitur, unde inſatiabilis ejus genius perpetuo prædæ inhiat: voracitatis cauſam phyſici ſtatuunt, quod ſtomachum habeat ita validum & ferventem, ut duriſſima oſſa emollire & concoquere poſſit; unde alimonia ſubito digeſta maturius è ſtomacho elabitur, cumque ob fermenti alimoniam famem diu ſuſtinere nequeat, hinc interdiu atque noctu prædatum exit, & veſperi æque ac mane prædam devorat, quamquam nocturno tempore frequentius quam diurno prædæ inhiare ſoleat, hinc illuſtrare poſſumus locum *Zeph.* III. 3. *Judices ejus ſunt lupi veſpertini, qui non exoſſant ad matitunum tempus uſque.* Veſpertini vocantur non aliter ac *Oppianus* lupum νυκτελιὸν, & *Virgilius nocturnum* appellant, quia ſub veſpera ſæviores exeunt; poſtquam tota die fame macerati ſunt: dicunturque non *exoſſare uſque ad matutinum*, id eſt, prædam una cum oſſibus illico abſumere, ne hilum quidem uſque ad tempus matutinum relinquentes.

2. *Rapacitas*, quâ quicquid obvenit ſeviſſimum in modum dilaniant & abſumunt: hinc in ſcriptura ſæpe *lupi rapaces* vocantur *Gen.* XLIX. 27. *Ezech.* XXII. 27. *Matt.* VII. 15. X. 16. *Joh.* X. 12. adeo ut omnia devaſtare ſoleant, non ſolum quæ ad famem explendam ſufficiunt, jugulantes, verum & totum gregem trucidantes, niſi à latratu canum, aut à clamore paſtorum abſterreantur: quod ita proprium eſt illis, ut experientia doceat, luporum catulos licet cicuratos inſtar canum domeſticorum non tamen prorſus deponere poſſe odium,

quo

quo natura in venatores, oves, aliaque animalia feruntur, qui ſimul ac prædæ materiam vident, ingenium prodant diſciplinæ prioris obliti, atque ita hic obtinet illud dictum

Naturam expellas furcâ, tamen uſque recurret.

3. *Hypocriſis*, dum callide novit obtegere nocendi ſtudium, quando frondibus ineſcare capras norunt, & nonnunquam cum iis laſcivientibus quaſi ludere, & ludendo in antra pertrahere, huc pertinet etiam quod cœlo nubiloſo interdiu exeuntes ſe ipſos quaſi occultent.

4. *Noxa*, dum ſolummodo petit gregem & armenta, ſolent enim oves præ reliquis appetere tanquam cibum gratiſſimum, dein capras, tauros, nec non equos & aſinos.

§. 5. Variæ ſunt rationes *lupos capiendi & mitigandi.*

1. *Canibus* qui ſingulari modo huic venatui & pugnæ aſſueſiunt.

2. *Caſſibus*, dum fugantur ope canum, nec non ignibus excitatis, ſtrictiſque gladiis ac multo clamore, à quibus abhorrent.

3. *Foveis*, ad quas propoſita præda invitantur, dum ſaltu caș ſuperare tentant, in eaſdem incidunt.

4. *Laqueis* funibus alligatis, unde caro ſuſpenſa eſt.

5. *Hamo* agninæ carni inſerto, quam dum deglutire avet, unco detinetur.

§. 6. Aliquæ regiones commemorantur in quibus lupi non occurrunt, inter quas *Anglia* & *Creta* inſula, quod male quidam occultæ qualitati & naturali antipathiæ adſcribunt, quoniam experientia contrarium evicit; lupos nempe vivariis incluſos ibidem & gignere, & æque facile ac in aliis oris vivere; ſed ratio eſt quòd alicubi non inveniantur, quia curioſius inſectati & exterminati fuerunt, ſic antiqui Britanniæ Reges decretum fecerunt ut ii qui crimen abſque dolo & nocenti animo perpetraſſent, tamdiu extorres forent, donec certum linguarum, capitumve luporum à ſe interfectorum numerum adferrent; & hoc pacto noxam expiarent; quod cum aliquot ſæculis obſervatum fuiſſet, omne lupinum genus in Anglia deletum fuit; inter leges Atticas fuit quoque una de occidendis lupis, quique id præſtiterit, ei præmium decretum fuit: ſic *Plutarchus* in vita *Demetrii Phalerei* vetuſtam apud Athenienſes conſuetudinem viguiſſe tradit, bellum gerendi cum lupis.

§. 7. Miræ apud quoſdam fabulæ narrantur de hominibus in lupos converſis, de qua re legi dignus eſt *Philippus Camerarius hor. ſubc. Cent.* I. *cap.* 72. verum non ſatis bene multi animadvertunt eſſe morbi genus quod

λυκανθρωπίαν medici appellant, cujus tota vis consistit in corrupta imaginatione, quod probatum est experientia, nam *Georgius Sabinus* de ejusmodi homine in Borussia capto narrat, qui se mutatum iri in lupum dixerat, qualem quoque se curasse testatur *Petrus Pomponatius* celeberrimus Italiæ medicus, qui alium qui eandem formam retinuerit semper, eo etiam tempore quo se mutatum iri in lupum dixerat: Plura apud *Wyerium* legi possunt; Neque juvat exemplum Nebucadnezaris, cujus forma non fuit mutata quatenus humanum corpus gestavit, verum cum illi efferatus esset animus, quo ferebatur ad vitam brutorum, singulari Dei judicio ex neglectu cultus corporis ungues & pili excreverunt & externam speciem humanam deformarunt.

§. 8. Vix ulla est luporum utilitas, nisi quod

1. Barbari & agrestes quidam homines lupina carne vescuntur, testatur etiam Gesnerus lupos in Italia ab Insubribus interdum edi.
2. Luporum pelles ab aliquibus adhibentur ad vestitum, quod in regionibus Borealibus est frequentius.

§. 9. In *doctrina hyeroglyphica*, luporum emblema sæpius occurrit in malam partem, quatenus est animal gregi inimicum oves & capras plusquam Vatiniano odio prosequens; cumque grex sit symbolum Ecclesiæ, sub luporum nomine veniunt hostes fidelibus formidandi; iique speciatim sunt

1. *Diabolus Joh.* X. 12. qui lupus vocatur
   א. Propter *naturæ singularia privilegia* quæ sunt
      α. *Acumen sensuum*, visus simul & olfactus, ita quoque ille callidus fallendi artifex ex multorum seculorum experientia accepit acumen intellectus, quo valet præsagire plurima de rebus longinquioribus, & verisimiliter conjicere ex causis secundis quænam futura sint, ipsique occasionem invadendi præbitura.
      β. *Astutia*, quâ tentator novit uti occasionibus ubicunque præsentibus, unde ipsi *calliditas* attribuitur 2. *Cor.* XI. 3.
      γ. *Robur*, quo multum valet, gravis enim & fortissimus est Diaboli impetus, unde vocatur *robustus Jes.* XL. 10. XLIX. 25. adeo ut quantum lupi prævalent ovibus, ipse quoque sit tanto nobis robustior *Jer.* XXXI. 11.
   ב. Propter insignem *crudelitatem* quæ etiam in lupis est.
      α. *Voracitas*: In Diabolo est insatiabilis rabies & nunquam saturandum desiderium abripiendi fideles; utpote infestissimus humani generis hostis, qui nunquam desinit à grege circumeundo.
      β. *Rapacitas*, quatenus non abstinet ab ipsis prædæ ossibus, & mira

mira rabie membratim discerpit, ita quoque Diabolus non cessat, quando homines præcipitavit in mortem peccati, verum etiam mira crudelitate ipsos peccatores discerpit & dilaniat, quando illos in anxietates conscientiæ conjicit, severus carnifex eorum quos diripuit.

ג. Propter singularem μεθοδείαν & seducendi methodum, solet enim Diabolus luporum instar

α. *Clanculum* invadere gregem, ut lupi nequis avertat.

β. *Subnubiloso cœlo quasi se occultare* i. e. temporibus afflictionum præcipue oves invadere, conjungens tentationes afflictionibus ut homines illi prædæ fiant.

γ. Sicut *lupi frondibus inescant capras*, ita habet & mundi oblectamenta quæ hominibus objicit, & quibus eos allicit, ut in ejus castra concedant.

δ. Sicut *lupus* dicitur *ludere cum capris* in principio capturæ, & postea discerpere, ita quoque princeps tenebrarum in principio conspicitur quasi ludere cum deceptis, quando conatur illis persuadere peccata nihil esse, Deumque misericordem, & ætatem ad pœnitentiam adhuc intempestivam, verum postquam jam satis confirmati sunt in peccato, illos conatur conjicere in meram desperationem.

ד. Propter *fortissimum impetum*, invadit enim lupus prædam

α. *Singulari velocitate*, insequens concitato cursu, & quæcunque armenta aut greges facile assequens; ita quoque spirituum impurorum natura infert illos momento adesse ubi velint, & abesse pro lubitu.

β. *Imperterrita audacia*, quâ insultant etiam in armenta, boves, equos & asinos: ita tentator quoque audet explorare etiam maximos & fortissimos; sic nequidem pepercit *Petro* & *Paulo*, imo nequidem ipsi *Christo*, vid. *Luc.* XXII. 31. 2. *Cor.* XII. 7. *Matt.* IV. 3.

ה. Propter *resistendi methodum*, fugantur enim lupi igne & gladio, ita quoque Diabolus repellendus est.

α. *Igne fervoris & spiritus Christi* in precibus nostris, commendante hoc medium Christo *Matt.* XXVI. 41.

β. *Gladio verbi* divini, cujus usus ad hoc armaturæ genus refertur *Ephes.* VI. 17.

2. *Pseudoprophetæ* & *Hæretici* quoque sub nomine luporum veniunt *Zeph.* III. 3. *Matt.* VII. 15. *Act.* XX. 29. non aliam ob causam

quam quod genius Diaboli in ipsis operatur, conveniunt enim non aliter ac mendaciorum pater cum lupis.

 א. Respectu eorundem *naturæ* privilegiorum, quatenus in falsis doctoribus quoque se manifestat

α. *Acumen* ingenii, quatenus norunt argumenta veritatis mirum in modum eludere, & inexercitatos præveniendo confundere.

β. *Astutia*, quæ consistit in methodo obtegendi pessima sua dogmata, & venenum doctrinæ callide obtegendi vid. *Matt.* VII. 15.

ב. Respectu *crudelitatis* dum gregi quoque non parcunt, verum animas in perniciem præcipitant *Act.* XX. 29. quod efficiunt

α. *Insatiabili desiderio* oves capiendi nihil non tentantes *Matt.* XXIII. 14.

β. *Implacabili odio* quo perseverantes omni modo exterminare conantur secundum animam simul & corpus, vid. *Matt.* XXIV. 24. X. 16.

ג. Respectu *singularis methodi*, ubi notandum quod

α. Sicut lupus exiturus dicitur *dentes acuere herba origano*: hi quoque se præparant ad animarum direptionem falsis interpretationibus scripturæ.

β. Ut lupus præcipuè *noctu grassatur*, ita illi quoque sub tenebris errorum prædominantium potius fideles minus exercitatos circumveniunt.

ד. Respectu *noxæ inferendæ*, notandum est quod

α. Lupinus *morsus sit lethiferus*, ita quoque doctrina hæretica lethifera est, & spiritualem mortem infert *Ps.* LVIII.. 5. & 7.

β. Sicut lupi nonnunquam *greges dissipant*, dum *pastores circumveniunt*, ita quoque multi cœtus in pluribus regionibus dissipati sunt, postquam doctores in hæreticorum casses inciderunt.

ה. Respectu *oppugnationis*, sicut enim lupi propter noxam formidandi sunt, ita quoque strenuè oppugnandi & à grege arcendi, ubi requiritur

α. *Cura pastoralis* semper lupinis insidiis intenta.

β. *Armorum spiritualium omne genus*, inter quæ ignis precum & gladius verbi divini præcellunt.

3. *Tyranni* quoque lupi vocantur *Jer.* V. 6. *Ezech.* XXII. 27. *Matt.* X. 16. quia hi etiam pars magna Diaboli sunt, in quibus prædominium obtinet lupina rabies, quâ feruntur in Christianos & sinceræ fidei professores, præcipuaque ratio assimilationis est fundata

א. In *crudelitate*, quâ

α. Omni

ג. Omni molimine & conamine noctu interdiu ecclesiam infestant.

ב. Qualicunque genere pœnarum constantes interficiunt, quorsum pertinet omnimodum genus tormentorum à tyrannis excogitatorum.

ב. Respectu *noxæ*, quatenus laborant

א. Ecclesias *dissipare*, regnumque Christi, si possibile foret, exterminare.

ב. Quatenus conantur omnia in proprium usum *diripere*, ut ex prædâ bonorum direptorum superba sua consilia reddant magis fundata, prout Pharao ex Judæorum subjugatione & exterminio simul sibi promittebat fundatum magis imperium in monarchiam extollendum.

§. 10. Est tamen locus ubi lupus *emblema* est *Benjaminis*, interpretandum in bonam partem *Gen.* XLIX. 27. nemo enim dubitare potest quin sub emblemate illo repræsentetur aliquid boni, quoniam inter benedictiones filiorum Jacobi refertur illa enunciatio, verum non eadem est interpretum sententia, quorsum illud testimonium referendum sit, quo *Benjamin* vocatur *lupus qui rapit*, *quique mane comederet prædam*, *& vesperi distribueret spolia.*

1. *Judæi* jubent nos cogitare de *Altari*, quod volunt forte collocatum in templo, in portione Benjaminis, eundemque lupum vocari ajunt, quia ignis altaris absumebat oblationes quotidianas, tam matutino, quam vespertino tempore, verum frustra sunt.

א. Quia altare una cum clivo Moriæ spectabat ad omnes tribus in communi, sicut & David clivum istum ab *Arauna Jebusæo* argento redemerat 2. *Sam.* XXIV. 24. imo ipsa urbs omnibus tribubus communis erat *Nehem.* XI. 1, 2. Et *Josephus de Bello Jud. libro* IV. *cap.* 5. consentientibus Talmudistis apud *Ligtfotum* in *præmissis Matt. cap.* XXI.

ב. Neque oblationes & victimæ in altari oblatæ spectabant ad Benjaminitas, sed ad Levitas, quorum sunt partes oblationum absumere.

2. Quidam *Christiani* hoc emblema revocant ad *fortitudinem Benjaminitarum* manifestatam in bello Gabaitharum causa suscepto, qui duobus præliis victores fuerunt, multis millibus Israelitarum fusis & cæsis, vid. *Jud.* XX. verum & illa à scopo aberrant.

א. Quia lupo hic attribuitur *prædam quærere*, non autem seipsum defendere, prout Benjaminitæ coacti fuerant, qui in arenam descenderunt non prædæ causa sed defensionis.

ב. Quia ultimo prælio ceciderunt, ac proinde quasi præda ipsi facti sunt.

ג. Quia emblema actum continuum respicit, qui haberet successum & tenderet in Tribus gloriam; cum actio allegata solummodo fuerit duorum dierum, habueritque infortunatum exitum, & conjunctam habuerit Tribus infamiam.

3. Sequitur sententia *Patrum* modificata à Clar. *Coccejo* qui animadvertit *Jacobum* distinguere regni tempus in *Auroram* & *Occasum*, & indicare quod Benjamin in utroque foret insignis, in *Aurora* per Saulum primum Israelitarum regem, hostes circumquaque profligantem, in occasu per *Paulum* spolia ex Judæis & gentibus Satanæ erepta fæliciter dividentem: quam sententiam probamus.

א. Ex *rationibus hermeneuticis*, quia interpretatio convenit

α. *Scopo Jacobi*, qui sibi proposuerat fata populi enarrare usque ad *ultimum dierum*, id est, tempora Messiæ *Gen.* XLIX. 1, 2.

β. Convenit *analogiæ fidei* quæ jubet credere cum regno Christi fore spoliorum spiritualem divisionem *Ps.* LXVIII. 13. *Jes.* IX. 2. XLIX. 24. LIII. 12. ut proinde posteriores prophetæ videri possint egisse interpretes hujus dicti Jacobi.

γ. Quia convenit cum ipso *formulari benedictionis*, quæ annunciat peculiaria commoda per singulares Tribus in commune bonum populi expectanda, eaque maxima, jam vero per Benjaminitas in aurora regni majus bonum allatum Israeli non fuit fortunatissimo Sauli imperio, ut nec in occasu reipublicæ quippiam magis considerari potest quam Paulinum studium ad promovendum regnum Christi.

ב. Ex *analogia*, inter typum & personas significatas intercedente, quam ut probe percipiamus, notandum quod Tribus Benjaminis hic consideretur ut utilis futura toti populo per posteros ad subjugandas hostium catervas & prædæ instar subjiciendas, adeo ut toti populo inde vigor & incrementum accederet, Tribuique decus & gloria.

α. *Saulus rex* primus fuit ex Tribu Benjam. ac primo lemmati oraculi satisfacit, quo Benjamin vocatur *lupus mane prædam comedens*, quod etiam exactè Saulo convenit

a. Ob *similitudinem ingenii*; prout enim leone ignobilius animal est lupus, ut pote in quo observatur vehementia generositate destituta; ita quoque Saulus cum Davide comparatus (qui ex Juda fuit, & sub typo *leonis* adumbratus *Gen.* XLIX. 9.) longe

longe ignobilior censendus est, ut pote qui fuit homo generositate minor, & hostibus infestus magis, quod plane ex his speciminibus evincitur.

1. Quia in Regem electus occultavit se 1. *Sam.* X. 22.
2. Quia ad provocationem Goliathi se ipsum subtraxit, non ausus cum hoste in arenam descendere.
3. Quia quando res illi erat cum Davide ingenerosius causam egit, sacerdotes Davidi ignorantia opem ferentes trucidavit, & multa alia abjecti animi signa dedit.

b. Ob *methodum invadendi prædam*, gessit enim Saulus bella adversus plurimas gentes

1. Singulari *robore*, nunquam pugnavit infæliciter, & insignes victorias reportavit, excepto ultimo vitæ termino, quo Deus eum deseruit, & singulari judicio periit.
2. *Calliditate* lupina, quatenus etiam non infeliciter usus fuit stratagematibus bellicis.
3. *Insatiabili appetitu victorias* persequendi, & vicinas gentes subjugandi, unde factum est, quod non solum Ammonitæ, verum & Moabitæ nec non Philistæi, variis præliis superati, Judæis cesserint in prædam.
4. Singulari *severitate*, pro regis genio, quam exercuit in victos, licet non sine jussu divino 1. *Sam.* XV. 8, 9.

c. Ob *successum*; dicit enim Jacobus fore ut Benjamin lupi instar prædam comedat, quorsum spectat vox jubilantium 1. *Sam.* XVIII. 7. ubi Saulo concedunt gloriam quod *varia millia* occiderit.

d. Ob *temporis convenientiam*, designat enim Jacobus tempus auroræ seu matutinum, quod non male accipitur de aurora Reipublicæ Judaicæ: Nec obstat quod vir doctus putet divisionem spoliorum prædæ comestioni præmittendam esse, & vespertino tempore lupos ad prædam exire, mane autem comedere, unde verba textus in hunc modum vertenda vult, *mane comedit prædam, vesperi dividit spolia* atque adeo copulam ו vertendam jubet per *postquam*, verum hæc minus solida esse & præter necessitatem urgeri putamus ob sequentes rationes.

1. Quia tunc emphasis vocabulorum *mane* & *vesperi* periret, atque illa verba aliter acciperentur quam in scriptura accipi solent. Vid. *Exod.* XXIX. 39. *Deuter.* XXVIII. 67.

2. Li-

2. Licet litera ו aliquando notet *postquam*, nihilominus multo frequentius notat nexum & simplicem copulam, à qua simplicitate sine causa non est recedendum.

3. Quia difficultates motæ facile pereunt, quando animadvertimus lupos non tantum vesperi, sed & mane egredi ad prædam capiendam & devorandam ut antea vidimus & *clar. Bochartus* in doctissimo suo opere pluribus confirmavit. Jam vero imperium Sauli pertinere ad aurorem Reipublicæ ab hinc constat, quia regum primus fuit, & tempora à Josua ad illum præterlapsa propter hostium impetus & successus magnam mixturam tenebrarum habuerunt.

B. Sequitur nunc *Paulus apostolus* in altero lemmate considerandus, quem fuisse ex *Tribu Benjamin* constat proprio ipsius testimonio, *Philip.* III. 5. quique proinde fuit gloria istius gentis, cujus ope maxima opera præstita sunt. Nemo enim apostolorum tam evidenter pomeria regni Christi propagavit quam hic noster: huic autem emblema lupi etiam non male convenit.

a. Ob convenientiam *naturæ*, nam sicuti lupus cum leone comparatus, animal est ignobilius, tum quoad externam formam, tum etiam quoad ingenii minorem generositatem; ita quoque Paulus

1. Quoad *externam formam* adversariis fuit contemptibilis ipso monente 2 *Cor*. X. 10.

2. Quoad *ingenium* sæpe exhibuit se *acriorem*, & ad vehementiam se proniorem, non tantum ante conversionem, dum ecclesias persequeretur *Act*. IX. 1. XXVI. 11. verum etiam post conversionem, ut apparuit in paroxismo inter illum & Barnabam exorto, *Act*. XV. 39. & severa in Petrum exercita animadversione *Gal*. II. 11.

b. Ob *methodum quærendi prædam*, quæsivit enim gentes æque ac Judæos regno Christi subjicere.

1. Singulari animi *fortitudine*; nemo enim omnium tam intrepide pericula adiit, aut fortius sustinuit quam hic noster 2. *Cor*. XI. 22, 23. neque tamen usque passus est se à promotione regni Christi averti.

2. *Insigni calliditate* & astutia, quam aperte profitetur se adhibuisse in studio convertendi gentes 1. *Cor*. IX. 19. 2. *Cor*. XII. 16.

3. *Indefesso studio*, atque ita insatiabili appetitu victoriam pro regno

regno Chrifti profequendi, pergens in omnes oras, & *qualefcunque regiones* ut aliquos *Chrifto lucri faceret* vid. *Rom.* XV. 19. ubi non fatiatus à converfione gentium Afiaticarum & Græcarum. Teftatur quoque quod etiamnum defideraret adire *Hifpaniam* v. 24. & quod valde defiderabat occafionem itineris ad *Romanos Rom.* I. 11.

4. *Rapaci ftrenuitate*, non ceffans ab opere fubjectionis donec penetraverat ad ima hominum præcordia, & funditas deleverat omnes carnales cogitationes 2. *Cor.* X. 4-8.

c. Ob *operis* quoque *fucceffum*, dicit enim Patriarcha fore ut *fpolia dividat* ficut folet lupus ab ampliffima ftrage rediens, quafi fpolia dividere inter fuos, fic Paulus quoque per totam Afiam minorem, Græciam & Macedoniam, aliafque Oras Italiæ & Hifpaniæ tantas ftrages dedit regno Diaboli, ut ubique fuerint erectæ Ecclefiæ & inter epifcopos diftributæ, & ut inter illas doctores veritatis degerent, atque munia fua exercerent.

d. Ob *convenientiam temporis*, nam prædæ diftributio fieri debuit *fub vefpera*, republica nempe Judaica ad finem & occafum vergente, quando Judæi nunc erant in deferto gentium id eft fub poteftate Romanorum, quod apprimè congruit cum minifterio Pauli, qui celeberrimam illam expeditionem euangelicam pro regno Chrifti feliciter promovit, imperantibus *Claudio* & *Nerone* brevi poft fequente fub *Vefpafiano* reipublicæ Judaicæ exterminio.

CAPUT V.

DE HYÆNA.

§. 1. LUpo fubjungimus *Hyænam*, quia fera eft lupo fimillima, imo ex lupino genere. Appellaturque

1. Hebraicè צבוע à radice צבע quod fignificat *variegatum effe*, & *diverficolorem*, ut proinde hoc animal denominatum fuerit ab externa aliqua proprietate, de qua in fequentibus. Mirum eft viros doctos circa vocis fignificationem ita cefpitare, cum valida fint argumenta quæ illam *Hyenæ* fignificationem vendicant.

א. Quia antiquissimi interpretes locum *Jer.* XII. 9. huc referunt, LXX enim vertunt σπήλαιον ὑαίνης, & alius *interpres græcus* φάραγξα τῶν ὑαίνων legit 1. *Sam.* XIII. 14. quorsum quoque pertinere *Chaldæum* & *Syrum* docuit clariss. *Bochart.*

ב. Quia lingua Arabica idem nomen, iisdem exaratum literis & punctis vocalibus hyenæ attribuit docente eodem *Bocharto.*

ג. Quia authores *Hebræi* eodem vocabulo Hyænam descripserunt.

ד. Quia nomen naturæ animalis apprime convenit.

2. Græce appellatur ὕαινα vid. *Syrach.* XIII. 21. quæ vox deducitur ex ὗς, ac rationem denominationis dant Philologi quod dorsum hujus feræ veluti suillis setis rigeat.

§. 2. De *forma animalis* generatim tradunt authores *Hyænam lupo aliquanto humiliorem*, *sed nihilo breviorem esse*, *pellem habere lupi similem*, *nisi quod pilo sit horridiore*, *& grandibus maculis nigris distinguatur. Oculi in mille colores transeunt. Oppianus cæcutientem* dixit, sive quod interdiu cœcutiat, acrius vero videat noctu, sive quod cœcutiendo colores mutet; *dentes habeat serratos non aliter ac lupi*, *dorsum ipsum longioribus hirsutisque pilis suillarum setarum instar præditum est*, *quoad colorem candet fuscata nigredine instar panni Damasceni*, *diversis ornata figuris*, *atque pulchrior in aspectu redditur*, *quando artificum diligentia & industria colorum conformitati in quocunque vestium genere fuerit coordinata*, ut testatur *Olaus magnus.* pedes habet *lupinis longiores*, *humanis fere similes crassioribus suris instructos*, *claudum dicitur animal non quoad rei veritatem*, *sed quoad speciem*, quod clariss. *Bochartus* refert ad colli rigorem & modum, unde *fit ut non nisi circumactu totius corporis flecti possit.*

§. 3. Quantum ad *ingenium*, Hyænæ adscribitur

1. Maxima *calliditas* qua omnes feras facile superat, novit enim voces humanas imitari nec non singultus & vomitus, quo medio canes sollicitatos & ad se allectos fallit ut facile eos devorare possit

2. *Immanitas*, qua non tantum in cætera animalia, verum & in hominem ipsum rabiem exercet, sepulchra suffodit, cadavera extrahit, & in suam speluncam transfert inde à Germanis vocatur *een grafdier.*

3. *Ingratitudo* dum nullis beneficiis se deliniri patitur, unde apud Arabes abiit in proverbium *Retributio Hyænæ* ad designandum hominem ingratum, hanc ingratitudinem confirmat historiola, tradens Hyænam olim à venatoribus impeditam fugisse sub tentorium Arabis agrestis, qui postquam vitam feræ servasset, eamque insuper aliquot dies aluisset, tamen ab illa ut humanarum carnium avidissima dilaniatus fuit.

§. 4.

§. 4. Habent tamen homines artificium se adversum immanem bestiam defendendi eamque capiendi, quod ex *Busbequio* ita refertur, venatores nempe accedunt ad ejus cavernam, interea unus subit cum fune, cujus partem extremam sociis tenendam foris relinquit, ipse identidem pronunciatans *Joctur*, *Joctur Ukala* illam non reperire, illam non adesse, penitius intrat. At hyæna quæ se latitare ex isto sermone putat, manet immota donec illi crus fune vincitur, interim eadem clamando regreditur, ligamentum injiciens, postquam egressus est clamat hyænam intus esse, unde in publicum prosilit, & funibus implicata occiditur vel viva capitur. Notandum est Turcas credere quod Hyæna sermonem humanum intelligat, ac proinde hanc methodum capiendi commendare; *Illustris Scaliger* venatores cantu & tympanorum pulsu hyænam delinitam laqueis injectis capere asseruit.

§. 5. Inveniuntur *Hyænæ* in *Syria* & *Arabia* ac proculdubio & in *Judæa* unde clar. Bochartus locum 1. *Sam.* XIII. 18. à græco quodam inteprete rectè per *vallem Hyænarum* interpretatum asserit. Qui locus deserto vicinus nomen à copia hyænarum obtinuit, si *Gulones* nihil aliud quam hyænæ sunt ut contendit *Olaus Magnus*, errant qui Hyænas in Europa inveniri negant; *Erocuta* Hyæna quoque congener est bestia, ex hyæna & leæna progenita, atque in Æthiopia quamplurimum frequens.

§. 6. Peculiaris antipathia hyænam inter & canem intercedit, quorsum respicit proverbium *Zirachidis* cap. XIII. 21. τίς εἰρήνη ὑαίνῃ πρὸς κύνα. *Quæ pax Hyænæ cum cane?*

§. 7. In Theologia *hieroglyphica* hyænæ assimilatur populus Israeliticus, Deo infestus & iniquus si modo locus *Jer.* XII. 9. cum clariss. Bocharto ita vertendus est, hæreditas mea mihi facta est העיט צבוע, id quidam vertunt

1. *Avem trabæa*, quia putant avis istius speciem incognitam esse, imo sunt qui interpretantur de *basilisco volatili*, inter quos est doctissimus *Schmidius*.
2. Alii *vertunt avem coloratam & variegatam* inter quos est *Hieronymus*, qui refert ad *Pavonem*.
3. Alii *avem digitatam*, *& unguibus instructam*, ut fere sunt aves rapaces & catnivoræ, quasi nomen deducendum esset ex האצבע digito, quibus accedit doctissimus *Coccejus:* verum clarissimus *Bochartus* monuit vocem עיט non solum avem sed quodvis animal in prædam irruens significare, idque deducit ex vocis etymologia, quæ referenda est ad radicem עוט significantem in *prædam irruere*, 1. *Sam.* XIV. 32. XV. 19. ac proinde probat versionem τῶν LXX statuisque Israelem

 assimi-

assimilari rapaci *Hyænæ*, sicuti versu præced. *Leænæ*, neque male convenit analogia, arguitur enim Israel

א. *Ingratitudinis* erga Deum, utpote cujus retributio fuit Hyænæ instar, dum non pepercerunt nomini & gloriæ benefactoris Dei.

ב. *Immanitatis* maledica virulentia manifestatæ: sicut enim hyænæ nec vivis, nec mortuis parcunt; ita Judæi arrodebant famam Prophetarum & ministrorum Dei tam viventium quam mortuorum; & non aliter ac Hyæna est infestissima canibus, ita quoque illi infestissimi erant prophetis, quibus canum instar cura gregis commendata erat.

ג. Ὑποκρίσεως unde Judæi quoque *hypocritis assimilantur*; huc pertinet monitum *Gemarici* doctoris in *Korah*, *ne metuas tibia Pharisæis, neque ab iis qui non sunt Pharisæi*, *sed* ab הצבועים id est *Hyænis seu hypocritis* qui similes sunt Pharisæis, sicut enim hyæna humanam vocem imitando, hominem sæpe nomine tenus compellat, noctuque blande evocat, sed incautè exeuntem devorat, ita quoque Israel gens hypocrita, eadem loquendo cum piis se populum Dei simulabat, sed operibus ipsis alienum & infestum animum manifestabat, præcipuè temporibus Jeremiæ, ut constat ex continua serie rerum gestarum istius Prophetæ.

CAPUT VI.

DE THOIBUS.

§. 1. PRoximus locus debetur *Thoibus* de quibus doctissimus *Bochartus* accipit locum *Jes.* XIII. 22. *mutuis clamabunt ululatibus Thoes in palatiis ejus*, in textu originali vocant איים quod de Thoibus accipitur

1. Quia אי proxime accedit ad אוי ita enim Arabes *Thoem* vocant cum canibus, lupis & hyænis, tanquam distinctum genus conjungentes.
2. Quia nomen videtur exprimere acutum hujus feræ *ululatum*, teste enim *Bellonio* vociferantur in grege alius post alium ac si canis vocem *vuau vuau* repeteret, unde vulgus Arabum Thoem vocat *vuavi*, hinc est quod in præsenti loco ululatus mutui adscribantur, & clamor quasi responsorius quo alternis canunt, Barbari vocant *babuinos*.

§. 2.

§. 2. *Olaus magnus* breviter differit *Thoes esse genus luporum cæteris longitudine procerius, sed brevitate crurum dissimile, velox saltu, venatu vivens, innocuum homini, habitum non colorem mutans, ut pote per hyemes hirtum, æstate nudum. Color illi fulvus est & varius instar tigris, noctu plerumque tantum ululat, voce tristi, infantum vagitum referente, canis ingenium in eo refert, quod hominibus sit amicissimus, æque ac innocuum animal*, ut *Plinius* & *Aristoteles* testantur.

§. 3. Hanc feram in tota fere *Asia* reperiri testantur *Bellonius* & *Busbeqius*, *Scaliger* quoque afferit in *Palæstina*, totaque *Syria* frequentem esse, *Olaus Magnus* in Europa cognitos afferit. Varia Thoum genera inveniri, verum variis anni tempestatibus animal hoc colorem mutare, unde aliqui putarunt diversa Thoum genera inveniri.

§. 4. Quoad ingenium istius animalis notanda sunt sequentia.

1. Φιλανθρωπία, non enim humanam societatem fugit, neque hominibus quicquam nocet.
2. *Astutia*, quæ tanta est ut cum vulpe non solum comparari possit, verum etiam longe superet, adeo ut Turcæ homines fraudulentos & versipelles *Syacales* vocent, quod *Thoum* nomen est in eorum idiomate, victum furto magis quam dolo quærunt; unde noctu ædes subeunt, & quicquid esculentum inveniunt devorant, quando aves venari cupit, ex insidiis invadit, quarum singularia specimina inveniuntur apud *Bochartum*.
3. Metus, solent enim, viso leone, fugam capere, inde est quod apud *Eustatium in Homerum* Trojani *Thoes* dicti fuerunt, eo quod Ajace veniente se protinus in fugam dederint, ac proin emblema est pavidi ingenii.

§. 5. Introducuntur *Jes.* XIII. 22. ut intra ruinas Babylonis mutuis ululatibus clamantes, quod est testimonium maximæ devastationis primariæ istius urbis, quæ olim populosa in tantum deserenda foret, ut superborum ædificiorum ruinæ derelictæ maneant in habitaculum ferarum animalium.

CAPUT VII.

DE VULPIBUS.

§. 1. DEscendimus nunc ad *Vulpes* de quarum nominis origine non idem omnes ſentiunt.

1. Hebraicè שועל dicitur vocabulo derivando
   - א. Ex שעל quod *pugillum* ſignificat ob craſſiorem caudam pugni formam referentem, vel ob fovearum formam, quas ſibi pugilli in modum excavant.
   - ב. Ex שעל quod apud *Arabes* & *Syros tuſſire* ſignificat; nec non in lingua *Æthiopica*, imo in *Baal Aruch* vocabulum hebraicum שעל pro *tuſſiente* uſurpatur, quæ derivatio non male convenit naturæ animalis, tum quia tuſſi valde obnoxium eſt, tum & quia gannitu tuſſientis rancedinem imitatur, atque hæc derivatio eſt *Clariſſ. Bocharti.*
2. Græcè ἀλώπηξ ἀπὸ τοῦ ἀλᾶσθαι ut quidam volunt, id eſt, errando & divagando in ſolitariis locis, vel ut alii veriſimilius putant ab ἀλόω decipio, & ὤψ ὠπὸς *oculus*, quia per ambages eundo oculos obſervantium quaſi fallit.

§. 2. *Forma & ſtatura vulpis mediocri cani non eſt abſimilis, color eſt unus omnibus, pilos habet denſos, cauda illi prolixa & craſſa, ſenſibus plurimum valet, imprimis audiendi facultate*, nam obſervatum eſt hoc animal amnes congelatos paſtus cauſa trajecturum, aure glaciei appoſita ejus craſſitiem explorare, *vox illi propria eſt gannitus, quamvis alias novit imitari luporum ululatum, canum latratum, urſorum murmur, & alias aliorum animalium voces; nihilominus gannitu ab omnibus diſtinguitur, qui eſt obſcuræ & raucæ vocis prolatio, non abſimilis ſono tuſſientium.*

§. 3. Diſtinguuntur præcipue coloribus, aliæ ſunt nigræ, aliæ candidæ, rubræ, crucigeræ, cæruleæ. In Arabia, Syria, Palæſtina vulpes ſunt pilo fœdo & audacia inſigni præditæ monente *Scaligero* in *exercitationibus*; nam in *Palæſtina* frequentes fuiſſe vulpes *hiſtoria Simſonis* confirmat ut vide *Jud.* XV.

§. 4. Vulpibus adſcribitur ingenium *ſubdolum & fallax*, unde *Ælianus* eleganter dicit vulpem attigiſſe *ſummum malitiæ & fraudis faſtigium*, quæ aſtutia præcipuè patet

1. In

1. In *capiendis animalibus*, nam pressa fame, frigore ac nivibus rusticorum appropinquat villis & casis, imitaturque canum latratum, quo securius gregem ad se alliciat, præterea mortuam se simulat, spiritum reprimendo, oculos claudendo, pedes, linguamque exerendo, ut aves ita allectas avido haustu voret, vesparum favis ut potiatur, primum retro accedit alvea aculeorum metu, dein eorum impetum cauda excipit quam ubi onustam sentit ad saxum, arboremve allidit, idque toties repetit, donec omnes necaverit, erinacium terrestrem suis se spinis tuentem supinum evertit ut mollem corporis partem laceret, aut si illud non succedat, urinam in ipsius os reddit ut incluso spiritu suffocetur, pisciculos & cancros cauda aquis immissa hami instar, postquam pilis impliciti sunt, repente extrahit.

2. In *eludendis hostium insidiis*; illa enim canum evadit vim, canem latratu se simulans, vel dum ramo se suspendit, illos errare cogit incerta sequentes vestigia, vel villosam suam caudam per canis os trahit, eumque tam diu fallit donec sylvarum latebras ingrediatur. Constricta laqueo, aut morsu pedem sibi præscindit, ut vel sic evadat, aut mortuam se simulat, ut è pedica extracta & projecta fugam capescat; unde constat vulpium venationem satis arduam & difficilem esse.

§. 5. Non tamen vulpium captura ut impossibilis habenda est, neque difficultas inde movenda est adversus historiam *Simsonis* quem legimus *Jud.* XV. 4. 300 cepisse vulpes *quas ligatis caudis & innodatis facibus in Palestinorum segetes* immisit ut *omnia combureret*; erat enim Palestina vulpibus refertissima; unde varia ejus loca nomen inde mutuarunt vid. 1. *Sam.* XIII. 17. ubi universa regio vocatur שׁעל & non tantum urbs Judæ nomen inde obtinuit *Jos.* XV. 28. verum & urbes *Simeonis Jos.* XIX. 6. vocatur שׁצל תול id est *castrum vulpis* 1. *Chron.* IV. 28. hinc est quod *Thren.* V. 18. de monte Sionis vastato dicatur *vulpes ambularunt in eo* conf. *Ps.* LXIII. 11. non mirum est igitur in tanta vulpium copia Simsonem hominem artis venaticæ peritissimum facile tot numero potuisse capere, præcipuè si concipiamus illum potuisse aliorum ope uti, & aliquod spatium temporis consumere, quibus omnibus accedit afflatus spiritus divinum auxilium quoque promittens. Capiuntur autem vulgo vulpes ope canum & laqueorum, aliisque artibus.

§. 6. *Amicitiam colunt vulpes* teste *Plinio* cum *corvis*, dum communes habeant hostes, amantque etiam juxta *Aristotelem* antra *serpentum & anguium* qui videndus est *lib.* XIX. *historiarum animalium cap.* 1. cæterum noxium est animal quotidie insidians & devorans gallinas, anseres, & alia volatilium genera; præcipuè notandum est quod maximum damnum

num inferant vineis, non tantum quia foveas ſtruendo terram ſubruunt & ſuccum vitis detrahunt, verum etiam quia uvis ſummopere delectantur, ex quarum eſu pingueſcunt, quorſum reſpicit verſiculus *Nicandri in Alexipharmacis* 185.

Cum pingui nocuit vulpes verſuta racemo.

& *Theocriti* teſtimonium *Idylio* X. quod *Heinſius* ita eleganter vertit

Area purpureis pulchre circumdatur uvis,
Quam puer exiguus reſidens cuſtodit in horti
Sepibus, hunc circum vulpecula bina racemos
Altera percurrens depaſcitur &c.

Idem videre eſt apud eundem *Theocritum* Idyllio V. *Varronem* lib. I. cap. 8. & *Galenum de alimentorum facultatibus* lib. III. cap. 2. hinc orta *fabula* omnibus nota de *vulpe & uva*, quam *Phædrus* ita expreſſit.

Fame coacta vulpes alta in vinea uvam appetebat ſummis ſaliens viribus, tangere ut non potuit diſcedens ait, nondum matura eſt nolo acerbam ſumere.

Illuſtratur elegantiſſimus locus *Cant.* II. 15. *capite nobis vulpeculas, quæ vineas perdunt.* Cadaveribus quoque veſci ſolent vulpes, quorſum pertinet hiſtoria *Plinii* lib. XI. cap. 37. de *Ariſtomene* in baratrum prope Lacedæmonem dejecto, qui per triduum ibi commoratus vidit accedere vulpes cadavera appetentes, huc alludit textus *Pſ.* LXIII. 11. ubi David *ominatur de hoſtibus ſuis illos portionem vulpium fore.*

§. 7. Solebant venatores vulpem inſequi propter *pellem* teſte *Heſiodo*, pelles enim etiamnum apud ſeptentrionales in pretio ſunt præcipuè nigræ, non tantum quia rariores, verum etiam durabiles, carnes fere inutiles cenſentur, niſi quod *Galenus* citato loco teſtatur *venatores in ſua patria autumno vulpium carnibus veſci*, quia tum *uvarum uſu pingueſcunt*, alii tamen ob fœtidum odorem carnes ingratas eſſe aſſerunt, unde ætate minores aut teneriores reliquis præferuntur, quia minus gravè olentes ſunt.

§. 8. In doctrina *Hieroglyphica* vulpes in genere recenſentur inter animalia callida & malefica ut vocantur ab *Ariſtotele* lib. I. cap. 1. & putantur attigiſſe *ſummum malitiæ & fraudis faſtigium* ut ait *Ælianus* lib. IV. cap. 39. unde emblemata ſunt hominum qui malas artes diſſimulant, hinc *Horatius de arte poetica* v. 437.

Nun-

Nunquam te fallunt animi ſub vulpe latentes.

& *Perſius.* Sat. 5.

Aſtutam vapido ſervas ſub pectore vulpem.

In Sacra Scriptura conſideratur ut emblema

1. *Hominum politicorum* qui aſtu & fraude agunt, quod leonina generoſitate non valent, huc ſunt referenda teſtimonia *Pſ.* LXIII. 11. ubi David hoſtibus ſuis prædicit, illos fore *vulpibus in pabulum*, ut juſta nempe ſit illis retributio; qui enim virum multis technis & inſidiis perſecuti fuerant, illos aſſerit ſimili aſtu capiendos & devorandos; Chriſtus eodem ſenſu *Luc.* XIII. 32. *Herodem* vocavit *vulpem*, dum ſe ſimulabat veritatis, & Chriſti cognoſcendi cupidum, ut utrique noceret, ac proinde in politicis hoc emblema denotat
   א. *Perverſam* ingenii *calliditatem*, *ad fraudem* comparatam, quale quippiam nemo magis quam *Machiavellus* commendavit, jubens quod princeps ratione & armis aſſequi non poteſt, hoc dolo obtineat; huc pertinet dictum *Lyſandri* Lacedemoniorum ducis, quem *Plutarchus* aſſerit aliquando dixiſſe, quod *Leonis pellis attingere non poteſt principi aſſumendam vulpinam.*
   ב. *Inſatiabile nocendi ſtudium* malis artibus velatum, adeo ut ne fœderibus quidem ſe conſtringi patiantur, dum probos & pios exterminare volunt.
2. In *ſtatu eccleſiaſtico* Pſeudo-apoſtolorum & hæreticorum emblema vulpes eſt *Cant.* II. 15. Spiritus Sanctus *parvas vulpeculas* vocat Pſeudo-apoſtolas qui hæreticorum & Anti-chriſti forent prodromi, atque ſevérioribus illis eccleſiæ hoſtibus, portam aperirent, viamque munirent, qua in vineam Domini poſſent ingredi, de quibus *Rom.* XVI. 17, 18. *Jud.* 4. *Act.* XX. 29. *Philip.* III. 2. atque eccleſiam N. T. comparat vineæ, in qua teneriores Chriſtiani ſpeciem primarum uvarum referunt; hiſce autem conantur noxam inferre, fidemque deſtruere euangelium interpolando. *Ezech.* XIII. 4. Prædicitur Judæorum *Prophetam* i. e. doctores aliquando *ſimiles fore vulpibus in deſertis*, quod accipiendum de *Phariſæis*, qui populo in deſerto gentium conſtituto, & veræ fidei eandem inferrent noxam. *Thren.* V. 18. de *monte Sionis* vaſtato prædicitur *vulpes per illum ambulaturas*, conſideraturque ibi eccleſia ut mons vitifer, ſed derelictus, ita ut ſentes &

vepres inter vites aſſurgant, unde metus eſt, ut ab hominibus callidis magis quam ſapientibus, bonorum fructuum proventus impediatur, dum vulpini ingenii doctores ſuam quærunt, non autem eccleſiæ ædificationem, ratio autem analogiæ hic multiplex eſt

א. Propter pſeudo-doctorum *ingenium*, qui vulpium inſtar

α. Sunt *aſtuti* propter inſignem quidem eruditionem, ſed non ſanctificatam, ſolent enim omne acumen ingenii, omnemque doctrinam & prudentiam convertere in malam partem, ad veritatem, ſi illis poſſibile eſſet, ſubvertendam, & Sophiſticis argumentis debellandam.

β. *Verſipelles*, propter hypocriſin alienas perſonas fingendo, ſicuti vulpes, quaſi de genere canum eſſent, latratu ſuo canes imitantur, quaſi pro grege & vinea vigilarent, ita quoque heterodoxi ſæpe loquuntur cum eccleſia, & ſpeciem orthodoxiæ & pietatis induunt, ut in vineam Dei admittantur, conf. 2. *Cor.* XI. 13.

γ. *Inſidiatores*, quatenus ſe occultant, ut clanculum poſſint ſubingredi hortos atque ædes, animo nocendi *Jud.* 4. 2. *Tim.* III. 6.

ב. Propter *mores & vitæ conſuetudinem*, dum

α. *Varios* habent *cuniculos*, ut venatorum manibus effugiant, ita quoque hæretici infinita habent effugia & exceptiones, ne capiantur.

β. Vulpes utuntur *blanditiis*, ita quoque hi ſimpliciorum mentes corrumpunt ſuis χρηστολογίαις καὶ εὐλογίαις *Rom.* XVI. 18.

γ. Vulpes ut amant *ſocietatem corvorum*, & utuntur *antris ſerpentum*, ita quoque hæretici ſe conjungunt

a. *Conſiliis Tyrannorum* & malorum principum, quorum rapax eſt ingenium.

b. Utunturque libenter *ſerpentis infernalis* auxiliis & artibus, bonam conſcientiam non ſervantes in agendi methodo.

δ. Ut vulpes caudis ſuis canes inſequentes avertunt, ita quoque paſtoribus pro eccleſia excubias agentibus reſiſtunt, illoſque ſæpe eludunt.

ג. Propter *noxam & damnum*, quod eccleſiæ inferunt; prout enim vulpes

α. *Uvas carpere*, & ſimul, *vineas corrumpere* quærunt, ita quoque hi fidelium apoſtaſiam, & eccleſiæ deſtructionem moliuntur.

β. Prout enim vulpes *omnia vertunt in proprium commodum*, & ut id

id obtineant omnia ſubvertunt in hortis, cuniculos agunt, totamque terram infrugiferam reddunt; ita quoque principium pſeudo-doctorum eſt, proprium tantum quærere emolumentum, nihilque ita ſanctum habere, quod non propter proprium commodum ſubvertant, unde ordinem eccleſiæ ut plurimum perturbant, & quietem Reipublicæ novarum rerum moliminibus deſtruunt.

CAPUT VIII.

DE FELIBUS SYLVESTRIBUS.

§. 1. Inter fera animalia ſequuntur feles ſylveſtres, genus animalium in Oriente ſatis frequens, non tantum inter Braſilienſes Americanos inveniuntur, verum etiam in India & Perſia, & quia apud Arabes ejus frequens eſt mentio, non mirum eſt quod in Judæis innotuerit; præcipuè adſcribitur Babyloniæ. *Jeſ.* XIII. 22. XXXIV. 13. *Jer.* L. 39.

§. 2. Hebraicè vocantur ציים quia in aridis & vaſtis degunt locis: ציה in ſcripturis ſæpius terram aridam ſignificat, unde clariſ. *Coccejus* vertit *deſerticolas*, multum interpretes hariolati ſunt, qualis ſpecies animalium indigitaretur hoc vocabulo: plurimi malunt vocem hebraicam intactam relinquere, quam lectoris animum in diverſa diſtrahere, donec clariſ. *Geſnerus* conjiceret de felibus agreſtibus loca intelligenda eſſe, quam conjecturam non ſolum ſecutus eſt clariſ. *Bochartus*, verum in pluribus probavit

1. Ex convenientia linguæ Arabicæ, in qua hæc animalium ſpecies appellatur ejuſdem radicis literis ציאון *Zajavvinon.*
2. Ex voce deſerticolis illis attributa, dicuntur enim ציים cum איים. Hoc eſt *feles cum Thoibus* ſibi alternis & horridis cum ululatibus reſpondere; probatque *vir doctiſſimus* felium in deſertis coeuntium vocem diram & inauſpicati ominis fuiſſe.
3. Ex Paraphraſtis Chaldæi authoritate, qui docet paſſim in Palæſtina fuiſſe & in Babylonia, in citatis illis teſtimoniis.

§. 3. *Gualtherus Charleton* ſylveſtrem felem Angliæ Regi ex India donatum, accuratè & prolixe deſcribit, *à nigris auribus* (unde aſſerit Perſice *Syah*

 gluth

gluth dictum) *vulpis magnitudine*, *cui hoc videatur proprium*, *quod captæ insultu præda*, *illi aliquantisper immobilis incumbat*, *sive non satis moderate ferens lætitiam*, *seu potius sanguinem è subjecti animalis jugulo tacite exsugens*; *Ab Indorum principibus ob eximiam in captandis avibus*, *leporibus*, *cuniculis*, *aliisque animalibus astutiam cicurari atque ad venatum adhiberi solent*, *omnium Orientalium consensu*, *dum in sylvis libere degunt*, *leonibus se venationum comites adjungunt*, *ut prædæ reliquiis vescerentur. Color autem unicus fere & simplex est*, *nempe cinericius*, *ungues habet leonis instar hamatos & vaginis reconditos*, *quod rapacitatis indicium est*, *visu & odoratu multum valent*, *oculisque in tenebris fulgent*, *radiantque non sine terrore videntium*, *coeuntium vox est miserabilis*, *dira & terribilis*, *infantium vagitibus similis.*

§. 4. Nonnulla iis attribuuntur vitia, nempe

1. *Astutia* qua singulari silentio, & levibus vestigiis obrepunt avibus, atque hostes suos ex improviso adoriuntur.
2. *Fallacia*, dum singulari artificio insidias struunt.
3. *Voracitas*, dum imprimis petunt carnes, vivaque animalia dilaniant atque devorant.

§. 5. Alia tamen inde oritur *utilitas*, dum

1. *Mures*, aliaque noxia animalia *capiunt*, & agricolas ab inde liberant.
2. Felium agrestium *carnes* quibusdam gentibus *in cibum cedunt*, jubentque nos credere, eorum carnem calidam & mollem, à leporina non multum abludere.
3. Major tamen *usus pellium* felibus sylvestribus detractarum, commendantur enim quod corpus adversus hybernum gelu exactius muniant, & pilorum calore præ omnibus aliis humanam cutim foveant.

§. 6. In Theologia *hieroglyphica* significant feles sylvestres colluviem hominum barbarorum populo Dei immicorum, quatenus sunt flagellum Dei quo utitur ad puniendos hostes ingratos, & subvertendum imperium ecclesiæ inimicum; atque ita

1. Occurrunt sub emblematico sensu variis in locis.

א. Quatenus immittuntur in Babylonem *Jes.* XIII. 21. *Recubabunt ibi Feles sylvestres*, *& implebunt domos eorum hyænæ.* Feles sylvestres hic sunt gentes Barbaræ, sicut & *Ps.* LXXIV. Quæ invaderent Babylonem literalem; conf. *Jer.* L. 29. sed & postea spiritualem, postquam Ecclesia Dei inde egressa fuit, atque facerent ex Babylone *habitaculum dæmoniorum & impurorum animalium* conf. *Apoc.* XVI. 12. XVIII. 2. scilicet Turcæ & Tartari imperium Antichristi ita invaderent, ut tandem omnem hierarchiam in ea extinguerent:

rent: huc quoque referri poteſt locus agens de Tyro ſpirituali *Jeſ.* XXIII. 13. *Aſſur fundavit eam felibus ſylveſtribus*, aut ſi mavis Barbaris, Turcis nempe & Tartaris, quia à Chriſtiano nomine alieni Romanum imperium invaderent.

ב. De imperio Romano in genere dicitur *Pſ.* LXXIV. 14. Tu *conquaſſaſti capita Leviathan, dediſti eam cibum populo, felibus ſylveſtribus*; ubi Leviathan ut animal multiceps repræſentat imperium Romanum, primo Chriſtianis, ut populo Dei, deinde Turcis concedendum, qui univerſum imperium Orientis occuparunt.

ג. Utitur quoque Deus iiſdem feris animalibus ad puniendam *Bozram*, id eſt, ditionem Judæorum, *Jeſ.* XXXIV. 14. ubi dicitur *accurrent feles ſylveſtres thoibus*, id eſt Barbari barbaris, ut terram illam anathemate percuſſam magis vaſtarent, quod Turcæ quoque fecerunt, à quo tempore Imperium Saracenorum diripuerunt.

ד. Alibi feles ſylveſtres proponuntur ut Chriſti regno ſubjiciendæ *Pſ.* LXXII. 9. *Coram ipſo incurvabunt ſe* ציים *hoc eſt feles ſylveſtres,* barbari deſerticolæ, incultiſſimi homines, non enim dubium eſt quin ſit hæc futura regni Chriſti gloria, quod Turcæ & Tartari aliquando Chriſto nomen dabunt.

2. Sub hoc emblemate eleganter deſcribuntur illæ gentes barbaræ.

α. Propter indolem: ſunt enim

a. *Voraces* & crudeles unguibus ſuis leoninis omnia diſcerpentes & diripientes; nam utraque gens Turcarum & Tartarorum non niſi ex gladio & rapina vivit.

b. *Aſtutæ* & fallaces, quia ſingularibus artibus agunt ut aviculas fallant, concedentes enim libertatem religionis minus noxiæ & lentius accedere videntur, ſed poſtquam illaquearunt multos Chriſtianos decimationibus filiorum, & rigidioribus exactionibus tacitè omnem ſuccum & ſanguinem exſugunt.

c. *Impura* ſunt animalia & inculta; ita quoque hæ gentes, Chriſtiana fide deſtitutæ, inter impura cenſenda ſunt.

β. Propter uſum, adhibentur enim

a. Ad *vaſtationem reliquiarum* omnis culturæ, ut reliquias lente conſumerent, ita quoque illas gentes vocavit Deus ad pœnam pſeudo-Chriſtianorum, adeo ut reliquias Chriſtianiſmi, ſed impuriores conſumant, & forſan amplius conſument.

b. Ad aliorum *impurorum animalium capturam*, & deletionem quotquot ſunt minores, ita quoque Turcas & Tartaros immiſit Deus, in gentiliſmum, qui multas gentes idololatricas ſubjugando exterm-

terminarunt, & gentilismum ex innumeris regionibus deleverunt.

γ. Propter eventum; sicuti enim feles sylvestres cicurari & subjici possunt, ita quoque demonstratum dedimus ex loco *Ps.* LXXII. 9. illas gentes etiam aliquando subjiciendas esse regno Christi, cui ministrabunt.

CAPUT IX.

DE CERVIS TAM VERIS QUAM SPURIIS.

§. 1. INter fera animalia etiam Cervus occurrit, bestia in Syria, & Palæstina frequens, quod & *Æliano* innotuit *lib.* V. asserenti *Cervos qui in Syria sunt, progigni in altissimis montibus Amano, Libano, & Carmelo*; hinc Legislator Judaicæ gentis Cervos non tantum genuinos sed & spurios in cibum concessit *Deut.* XIV. 5.

§. 2. *Nomina* hujus animalis varia sunt, pro varietate sexus, ætatis, & speciei.

1. Inter Cervos *genuinos* numerantur

א. איל, nomen sexus masculini, quamvis & pro fœminino sexu usurpetur, tam sine, quam cum terminatione fœminina. Quidam viri docti volunt cervos id nomen obtinuisse propter similitudinem cum ariete; ut sit quasi *Aries sylvestris*, quæ sententia placuit *Forstero* & *Buxtorfio*: alii potius à robore æque ac arietem nomen accepisse existimant; cuique enim robur convenit in sua specie, quamvis magis placeat derivatio à voce איל quatenus infert præfecturam, convenire arieti, quatenus autem robur infert, convenire cervo.

ב. צבי est nomen sexus fœminini, significatque capream, & ex etymo denotat formam ejus gratam atque elegantem, quia eadem notio sæpe decus in scriptura significat.

ג. עופר, ætatem minorem denotat. Latini *hinnulum* vocant, eademque appellatio remansit in lingua Arabica. Claris. *Bochartus* hinnulos ita dictos voluit, à molliori lanugine, sicut & Arabibus *Gaphoron*

rôn dicuntur villi vestium, & pili molliores in facie, collo, & auribus excrescentes.

2. Verum & cervorum *spuriorum* sive sylvestrium, pro specierum varietate, varia quoque extant nomina, quorum plurima recensentur *Deut.* XIV. 5. scilicet

א. יחמור LXX βούβαλον vertunt, nostrates *een Buffel*, quia putarunt bovis sylvestris speciem fuisse, ast *Bocharto* authore, *capreæ* speciem denotat, ad bovinam altitudinem fere assurgentem, qui nequidem aliam fuisse τῶν LXX interpretum mentem asserit. *Eusthatio*, aliisque græcis alias ἄνθαλοψ vocatur, *Arabes* idem nomen adhuc in sua lingua servant, describuntque *rufum esse hoc animal*, quod & etymon infert; nam ab eodem etymo antea vidimus & *asinos* denominatos; cervo dicitur simile, sed velocius & serratis cornubus instructum, quibus arborum ramos diffindit.

ב. אקו animal medium est inter *hircum sylvestrem* & cervum, nomen accepit à verbo אנק, *clamare*, quia multum participans de hircino genio clamosum est animal.

ג. רישון, etiam capreæ genus denotat, vulgoque *Trachelaphus* appellatur & *Pygargus*: Ratio denominationis valde in obscuro est, clar. *Bochartus* hic sibi visus fuit sequi duces LXX Interpretes, nisi quod putaverit ab exscriptoribus nomina inter se conmutata fuisse.

ד. תאו *Oryx* vertitur, animal quod fere accedit ad bovinam indolem, de quo physici animadvertunt, quod valde sit inimicum lumini lunari; ratio quoque nominis in obscuro est.

ה. זמר, *Rupi-capra* vertitur à doctissimo *Bocharto*, deduciturque à verbo Arabico זמר *salire*, quia saltu admodum valet, rupes cautesque facile conscendit, & celeriori saltu descendit; alii potius à זמר *amputavit*, deducunt, quia dentibus suis quæcunque obvia germina decerpit & amputat. fateor equidem aliquos hic cogitasse de *alce* alios de *camelo-pardali*; verum neutrum hic locum habere potest, tum quia *alce* est animal boreale in oriente ignotum, atque ita frustra foret Judæis alcinæ carnis victum concedere, tum quia *camelopardalis* est animal fictum, ad gryphos ablegandum, quod in rerum natura non existit, ac proinde jure in *Bocharti* sententia acquiescimus.

ו. יעל, *Ibex* hisce adjiciatur, cujus mentio fit *Job.* XXXIX. 3. 1. *Sam.* XXIV. 3. *Ps.* CIV. 118. *Prov.* V. 19. estque sexus masculini, sicut rupicapra fœminini, quamvis vox etiam terminationem fœmininam suscipiat.

§. 3.

§. 3. Est autem *Cervus animal cornutum ex venusta membrorum compositione pulcherrimum, visuique gratissimum*, utpote *cui concessum est corpus oblongum & gracile ad equinam vergens formam, cui impositum est caput oblongum cum facie carnosa, naso simo, oculis majoribus, auribus scissis & divisis, cauda illi adhæret brevis, color ut plurimum subflavus est*, alibi *candidus*, præcipuè commendantur *cornua*, quæ *grandiora, aspera, & ramosa sunt, quibus incedit armatum animal*, cumque reliqua animalia cornua sua semper retineant, *hoc mutare solet, quod de cervo, non de caprea intelligendum est, quæ cornubus destituta est*, ut pote quæ sexui infirmiori forent molesta, præsertim gestationis tempore. Qui curiosius cervina cornua inspexerunt; asserunt *valde solida esse æstivo calore exsiccante, & hyberno frigore condensante, deinde non cranio adhærere, verum ex cute duntaxat provenire, ramos dicuntur multiplicare pro annorum numero, cornubus amissis cervi inermes delitescunt, noctuque tantum è latibulis pabulatum prodeunt, quasi infirmitatis suæ conscii, quando renascentia erumpunt, cornua recta & acuta subularum instar exsurgunt, materia molli sensim cum incremento magis obdurescente, quales propterea Romani* Subulones *vocant, cum autem perfecte excreverunt, eorum robur ad arborem experiuntur, Porro commendantur à cruribus gracilioribus quidem, attamen satis firmis & solidis, aptisque ad celerem cursum, à qua celeritate & levitate juxta quorundam sententiam* ἔλαφος *appellatur, quasi* ἔλαφρος.

§. 4. Attribuitur cervis peculiaris glocitatio, quorsum respicit locus *Psal.* XLII. 2. ubi verbum ערג occurrit, quod multi interpretes, per *desiderare* & *amare* transtulerunt; sed potior est eorum sententia qui statuunt non nudum innui desiderium, sed simul aliquem ex impatienti illo desiderio ortum *clamorem*; Notandum interim quod idem verbum omnibus agri bestiis generatim quoque tribuatur, *Joel.* I. 20. ac proinde designat vocem pluribus animalibus communem, bovium boatum, ovium balatum, asinorum ruditum, &c.

§. 5. *Commendatur* autem hoc animal

1. *A velocitate*, qua aptum natum est hostium insultus effugere, rupium cacumina conscendere, & ardua quoque adire, ut ab insidiis hostium in tuto sit.
2. *A sagacitate*, peculiaria enim prudentiæ indicia notantur in cervis, ut quod musicâ delectentur, quod fœtus ad saltum & fugam capescendam præparent, quod maria transnatare soleant gregatim singulari artificio, nempe dum sequentes præcedentium clunibus capita imponunt, & primo duce delassato, illi permittunt ut agmen claudat & alte-

alterius fulcimento utatur: ſpecimen quoque prudentiæ eſt, quod audito canum latratu ſecunda fugiat aura, quo pariter recedat veſtigiorum odor: à ſerpentibus læſus cum fuerit cervus, hoſtem proterunt, devorant, & lambendo cicatrices vulneribus obducunt, aquarumque fontes illico appetunt.

3. Ab *animo innoxio*, niſi quod germina carpunt, contra ac reliquæ feræ, quæ omnes fere ex raptu minorum animalium vivunt.

§. 6. Illis tamen *vitio* vertitur

1. *Intemperantior libido*, dicuntur enim tempore coitus furere, unde *Oppianus* cum gallis gallinaceis clamore libidinoſo comparat.

2. *Timiditas*, unde omnis illius ſalus eſt in pedibus; ad vulpeculæ enim gannitum, & canum latratum, illico in fugam ſe conjiciunt.

§. 7. Singulare *odium & antipathia* intercedit inter *cervos* & *ſerpentes*, quos ſolos cervi proſequuntur, ubi enim ſerpentes non habent obvios, cavernas quærunt, quibus halitum inflantes, hoſtem cogunt egredi, & in publicum prodire, neque aliud animalium genus in cibum appetunt, præter ſerpentes quos avide devorant.

§. 8. *Uſum* inſignem præſtat cervinum genus: omnes enim cervorum ſpecies inter *munda animalia* recenſentur *Deut.* XIV. 4. 5. ac proinde non aliter quam oves & boves, cervina caro alimoniam humano generi præbet, & quidem eo utiliorem quo nullis alantur ſumptibus, aut curam humanam requirant, dum in deſertis ex ſponte natis & creſcentibus vivunt, omitto quod pelles & cornua &c. ſint in pretio.

§. 9. *In Theologia hieroglyphica* uterque ſexus frequenter adhibetur ut emblema variorum hominum, & quidem

1. *Principes* aſſimilantur Cervis, eorumque celeritas nunc in aſſequendis hoſtibus *Pſ.* XVIII. 34, deſideratur, nunc iterum in fuga capeſcenda vituperatur *Thren.* I. 6.

2. *Chriſtus* quoque comparatur Cervo *Cant.* II. 9. & 17. VIII. 14. huc viri quidam docti revocant locum *Pſ.* XXII. 1. ubi cantus ille threnicus commendatur ludi magiſtro על אילת השחר aliqui vertunt *ſupra cervam auroræ*, vel potius *propter cervam auroræ*, prout præpoſitio על varias ſignificationes admittit; ex verſione poſteriori volunt deſignari argumentum Pſalmi. Agere, nempe, canticum hoc de Chriſto, ſub emblemate *cervæ auroræ* deſignato; quæruntque myſteria tùm in ſexu fœminino, qui *debilitatem* ſignificat, tùm in *ſpecie animalis* quod eſt hoſtium in venationibus objectum, ac canibus divexandum, capiendum, lacerandum; ac tandem etiam in epitheto adjuncto *auroræ*, quia ſub finem V. T. Chriſtus cervæ inſtar cum aurora prodiret,

ret, & ab hoſtibus peteretur, ita tamen, ut illuſtrior dies hanc auroram conſequeretur, cum luce N. T. Verum, licet illa piè dicantur, & non abludant ab argumento Pſalmi, nihilominus exiſtimo ſenſum literalem aliud quidpiam exigere; ſi enim attendamus ad ipſam conſtructionem, fatendum eſt vocem למנצח conſtructam cum præpoſitione ordinaria על deſignare per allatam præpoſitionem inſtrumenta muſica quibus pertractandis ludimagiſter præfectus erat. Animadvertimus igitur Thalmudiſtas in tractatu Celim jam olim teſtatos fuiſſe ſub nomine אילת venire inſtrumentum aliquod muſicum quod illi per אירוס explicant, quæ ſententia minime reſpuenda videtur, fierique potuit quod inſtrumentum illud muſicum nomen acceperit à fortitudine tonorum quibus reſonuit, vel etiam à *robore* ſeu *quercu*, quia ex ligno quercino confici potuit, radix enim utrumque admittit, vox autem ſequens השחר deſignare poteſt tempus matutinum quo canticum hoc erat decantandum, quorſum reſpexit *Chaldæus Paraphraſtes* qui voluit certo aliquo tempore canticum hoc conjunctum fuiſſe ſacrificio jugi matutino; atque hæc quoque aliena non erunt à ſcopo Pſalmi, nam matutina decantatio cum ſacrificio jugi modulanda, optime monuit Chriſtum exeunte nocte Veteris Teſtamenti cum aurora Novi Teſtamenti, ut ſacrificium mactandum fuiſſe; & inſtrumentum quod Judæi volunt fuiſſe lugubre optime conſentit cum querela Chriſti in hoc Pſalmo effuſa.

3. Sexus fœmininus ſæpius proponitur ut emblema eccleſiæ & fidelium vid. *Cant.* II. 7. III. 1. atque huc pertinet elegantiſſimus locus *Gen.* XLIX. 21. quem pauci interpretum rectè intellexerunt, unde Clariſſ. Bochartus, ſibi in ſententia antiquorum non ſatisfaciens, auſus fuit locum emendare, quod cum temerarium ſit, grata fuit nobis interpretatio Clar. Cocceji, quæ lingua vernacula hæc foret *Naphtali is een los gelate Hinde, des genen, die ſchoone woorden geevt.* Non animadverterunt interpretes enunciationem ſecundam, quæ poſt Athnagh ſequitur, reſolvendam eſſe per ellipſin ut ἀπὸ κοινοῦ repetatur vox אילה, quod propterea neceſſarium eſt, quia participium הנתן cum ſit maſculinum cum voce אילה fœmininæ terminationis alias non cohæret, qua data conſtructione, elegantiſſimus vocabulorum naſcitur ſenſus; Fore nempe in fine dierum Veteris Teſtamenti, ut dator verborum & ſermonum gratiſſimorum, qui eſt Chriſtus, Euangelii author, habeat Nephtalitas ſui ſequaces, ſibique cum maxima animi alacritate & libertate aſſentientes, adeo ut nullam aliorum paſtorum curam cervarum in morem admittant, & vincula Pædagogiæ legalis, longe poſt ſe relin-

relinquant; cujus implementi principium fuit in turba Naphtalitarum, qui Jesum in Galilæa præconiantem, alacriter sequebatur. vid. *Matt.* IV. 13. ad 17. & 25. Complementum autem comparet in Apostolis & discipulis, ex hac tribu & loco multo numero collectis, qui in desertum gentium emissi, ad propagationem regni Christi, indefessa animi alacritate, & constantia, inter mille persecutiones, omnia ardua ac prærupta superarunt.

§. 10. Ut autem analogia magis constet, considerare oportet

I. Christum, quem monuimus nonnunquam sub emblemate Cervi propositum, quique proinde occurrit

1. *In se*, quatenus cervo convenit forma atque indole, ut pote in quo conspicua est

א. *Puritas*, erat cervus animal purum, habens utramque munditiei notam in lege definitam, scilicet ruminationem, & ungulas scissas, ita quoque Christus fuit purus & mundus, in quo excelluit sapientia ruminantis omnia & considerantis mentes; Et constantia utriusque charitatis tam erga patrem, quam proximum.

ב. *Pulchritudo*, est enim cervus animal corpore bene composito gratum, ita quoque Christus commendatur, à membrorum omnium bona conformatione, quatenus ad munus suum obeundum, apprime consentiunt *Cant.* V. à v. 9. ad 15.

ג. *Alacritas*, prout enim cervus est animal pernix, peculiaris celeritatis, quæ est emblema alacritatis, ita Christus quoque viam vitæ, non obstantibus multis arduis, sibi alacriter decurrendam proposuit, totamque Palæstinam saltando celeriter pervagatus est, in omnibus Synagogis comparuit, doctrinamque salutis inculcavit.

ד. *Fortitudo temperata*, sunt enim cornua cervorum emblemata fortitudinis, quibus cum non facile utantur adversus hostes, indicium est moderati animi, salutem magis in vitando quam in oppugnando quærentis; ita Christus quoque fortitudine sua non est usus adversus hostes suos Judæos, imo proprios apostolos corripuit, gladium capere volentes, atque adeo potius vitando declinavit hostium furorem, quam quod irritaverit.

2. *Respectu hostium*, in qua relatione non aliter conspiciebatur ac cervi.

א. Hi *serpentes oderunt* & perdere laborant; ille vero Diabolum Draconem infernalem sibi hostem elegit, neque ab opere abstinuit donec illum perdidisset *Hebr.* II. 14. unde & in prima promissione proponitur serpentis antagonista peculiaris.

ב. Hi patiuntur *insectationes canum*, ille vero tulit persecutiones hominum

minum impurorum, unde & *Ps.* XXII. 17. hostes, illum corona includentes, *canes* vocat.

ג. Hi *salutem quærunt in rupium cacuminibus* altissimis & præruptis, hic in confugio fiduciali ad Deum, ac simul quoque evasit, ascendendo in altum.

3. *Respectu suorum*, in cervis autem conspicuus est

א. *Amor erga conjuges*, quo valde feruntur; in Christo prævaluit amor erga ecclesiam, quæ in ejus pectore fuit instar *ignis ipsum consumentis*, conf. *Ps.* LXIX. 10. & alia testimonia amorem Christi commendantia.

ב. *Promtitudo* ad occupandum campum suis decumbendi aptum, ita enim dicuntur Cervi montes conscendere, ut ibi tranquille inter suos degant; Ita quoque Christus invitatur ab ecclesia *Cant.* VIII. 14. ubi sponsa ad sponsum, *fuge dilecte mi & assimulere capreolo aut pullo cervorum in montibus aromatum.* Per montes aromatum intelligit, regna mundi, destinata ad uberrimum fructuum fidei proventum; testaturque ecclesia ut Christus non aliter ac cervus fugiens impetum faceret, quo mundum occuparet, omniaque ardua superaret, ut instar cervi in medio ecclesiæ, tamquam in tutissimo loco, cum illa decumberet.

II. Sub emblemate Cervæ, commode & satis evidenter repræsentatur indoles cujuscunque hominis fidelis, habentis se respectu Christi, ut sponsa in ordine ad sponsum, aut uxor ad maritum, unde ejus indoles consideranda est

1. *Respectu Christi*, quod

א. Sicuti cerva commendatur à *decore* & amabilitate *Prov.* V. 19. Ita quoque anima fidelis Christo est gratissima.

ב. Sicut cerva est animal *siticulosum* adhinniens ad fontes aquarum; ita quoque homo fidelis ante Christi adventum expertus est vehementiorem sitim, quam extinguere cupivit aquis vivis ex Christi fonte hauriendis, huc respicit *Ps.* XLII. 2, 3. ubi Psalmus decantandus tempore comparitionis populi in festis, eleganter repræsentat fidelium desiderium nondum exsatiatum umbrali præsentia, verum adhuc sitiens aliam θεοφανείαν qua frueretur præsentia *faciei divinæ salutiferæ*, confer vers. 3. cum 6.

ג. Sicuti cerva libenter sequitur *ductum cervi in libertate*, nec patitur aliam curam pastoralem; Ita quoque Christiani fideles libenter sequerentur ducem Christum, & cum euangelio libertatis *sermones bonos dantem*; hic sensus est loci *Gen.* XLIX. 21. ubi

ubi Naphtali comparatur *cervæ dimiſſæ*, & quidem *ejus qui bona verba daret*.

2. *Reſpectu Dei*, cerva conſideranda eſt ut animal mundum & alacre, ita quoque in fidelibus obſervamus κριτήρια munditiei & virtutum.

א. *Sapientiæ*, denotatæ ſigno ruminationis.

ב. *Conſtantiæ*, in bonis operibus & via ſalutis, quæ denotata eſt altero ſigno munditiei nempe per fiſſas ungulas.

ג. *Alacritatis* & celeritatis, quæ cervis propria eſt, atque indicat animi promptitudinem in munere obeundo, & arduis ſuperandis.

3. *Reſpectu hoſtium*, piorum animus cervis comparandus venit, quatenus

א. *Odium in ſerpentes* exercent illæ, hi animum adverſus diabolum ejuſque regnum perpetuo decertant, non ſine ſpe victoriæ *Rom.* XVI. 20.

ב. *Inſectationes* canum patiuntur illæ, à quibus immeritas jactationes & exagitationes ſubire coguntur; ita quoque hi ab impuris, & ab incredulis hominibus ita affliguntur, ut cogantur ex uno loco in alium fugere, *Matt.* X. 23.

ג. Cervæ non habent *evaſionem niſi in præruptis montium cacuminibus*, ita quoque Chriſtiani non quærunt confugium, niſi ad Deum, & Chriſtum, *Petram ſalutis*, qui promiſit illos conſtituendos eſſe in alto, *Hab.* III. 19.

ד. Illæ non habent quod opponant niſi *fugam*, ita quoque hi à Chriſto edocti ſunt, hoſtibus non reſiſtere, neque malum malo rependere, ſed tantum declinare, aut fuga ſe eripere.

ה. Cervæ commendantur à ſingulari *prudentia*, qua hoſtium inſidias & venationes evadunt, ſcil.

α. Quod à ſerpentibus ictæ illico remedium quærant, & frigida aqua ardorem extinguant. Ita quoque ſi fideles in tentationibus vulnerati, peccati commiſſi quærunt in Chriſti ſanguine remedium, & ardorem conſcientiæ læſæ extinctum cupiunt aquis ſpiritus conſolationis, quem fide excitant.

β. Quod canes inſequentes aura ſecunda præripiant, ne colligere poſſint cervarum veſtigia ex odore. Ita quoque Chriſtiani *ſanctum canibus non objiciunt*, ne ſeipſos conculcandos prodant, juxta monitum Chriſti *Matt.* VII. 6. ſciunt enim illos odorem euangelii non poſſe ferre, utpote illis *odor mortis ad mortem* 2. *Cor.* II. 16.

4. *Reſpectu eorum* qui ſunt conſortis fidei. Commendantur enim cervæ

א. Ab *amore ſocietatis*, unde illas videmus agminatim paſcentes, ita quoque fideles amant communionem ſanctorum, neque libenter mutuam congregationem derelinquunt.

ב. A *mutuo auxilio* quod ſibi invicem præſtant in fluviorum tranationibus, dum clunes aliarum capitibus ex aquis elevandis per vices ſupponunt; ita quoque conjunctio Chriſtianorum, fraterna præcipuè, quando per aquas perſecutionum eccleſiæ tranandum eſt, requirit ut unus alterius onera geſtet, juxta monitum Pauli *Gal.* VI. 2.

ג. A *ſtudio docendi Hinnulos*; diligenter enim inculcant methodum capeſcendi fugam, & hoſtes evadendi; ſic quoque Chriſtianorum eſt infirmos erudire, & domeſticos ſuos vias Dei docere, omnemque artem evadendi laqueos, libenter manifeſtare.

CAPUT X.

DE MONOCEROTE.

§. 1. OCcurrit in ſcripturis adhuc mentio feri animalis, ſtaturæ majoris, & cornigeri ſub nomine ראם de cujus vocis vero ſignificatu inter Philologos lis eſt: *Hieronymus*, cujus judicio multum deferunt Critici quia fere ſolus inter Patres calluit linguam Hebraicam, de *Rhinocerote* cogitavit, animali Indico, ornamentum aliquod cornu inſtar in naribus geſtante, idque robuſtiſſimum, quo audaciter pugnare ſolet. Clariſſimus *Boetius*, *urum* indigitari ſuſpicatus eſt, quia ſæpe in ſacris cum bovibus conjungitur hoc animal; Eſt autem *urus* taurus ſylveſtris, multi roboris & inſignis magnitudinis. Verum antiqui interpretes ſatis conſentiunt in *Monocerote*, cui ſententiæ proculdubio nemo contradiceret, ſi modo conſtaret iſtiusmodi generis animal in rerum natura inveniri, qua de re dubitant multi phyſici, præcipuè poſtquam innotuit procera iſta cornua quæ alibi in Europa oſtentantur, nunquam fuiſſe animalium, ſed piſcium excrementa in Groenlandia reperta.

§. 2. Negari tamen non poteſt de Monocerote multa legi apud *Plinium*, *Ælianum*, *Solinum*, *Philoſtratum*, alioſque antiquos ſcriptores, ut & eruditiſſimus *Bochartus* multa alia Arabum teſtimonia coacervavit, addens nullam fere gentem eſſe, quæ non aliquo vocabulo *Monocerotem*

indi-

indigitent; Præ reliquis tamen innotuit vox Καρκάζωνον apud Ælianum, Χάρχιν☉ apud Coptos, & *Carkaot* apud Perſas, Arabes, Tartaros & Indos; imo & apud Paraphraſtem in *Deuter.* XXXIII. 17. Scripturæ ductum ſequentes: hoc animal 4. ſequentes habet proprietates.

1. Cornu præaltum *Deut.* XXX. 17. *Pſ.* XXII. 22.
2. Staturam proceram & grandiorem *Num.* XXIII. 22. XXIV. 28.
3. Inſignem pernicitatem & aptitudinem ad ſaltum, quæ adſcribitur ejus pullo *Pſ.* XXIX. 6.
4. Feritatem indomitam jugum non ſubeuntem *Job.* XXXIX. 9.

Animadvertet porro clariſ. *Bochartus* veſtigia nominis adhuc ſupereſſe in lingua Arabum, ibique denotare caprearum & cervorum genus, huncque in ſpecie Oryges Indicas deſignare; in quem finem adducit aliquam picturam Orygum, ſibi à clariſ. *Huetio* communicatam, in qua aliquot numero Oryges unicornes repræſentantur, quam figuram exactius contemplans, exiſtimo omnes veteres idem animal denotaſſe, Arabes revocaſſe ad caprearum ſpeciem, propter ſimilitudinem capitis, alios ad equinum genus propter magnitudinem & formam, alios iterum ad aſinorum ſpeciem, quia magnitudo inter aſinum & equum videbatur aſſurgere, ut mirari lubeat virum eruditiſſimum illos authores inter ſeſe committere, ut diſſentientes cum ex hac conſideratione facile inter ſe concilientur.

§. 3. Apellationem derivandam exiſtimo à radice רום, *altum & elatum eſſe*, quia videri poterat cervorum & caprearum ſtaturam excedere, cum tamen capitis forma cervinum genus plane referret, nec obſtat א in medio

1. Quia illa litera non eſt radicalis nam *Pſ.* XXII. 22. ex voce רמים plane excidit, & *Job.* XXXIX. 9. legitur cum י loco א.
2. Quia ab eadem radice derivatur quoque vox ראמות quæ ſignificat lapidis alicujus pretioſi ſpeciem, quam artifices præ multis aliis extollunt.

§. 4. Quod ad animalis formam eam Plinius ſatis dextrè definivit, quando dixit *Monocerotem eſſe aſperrimam ferarum, excepto capite equo ſimilem, capite autem cervo, pedibus Elephanto, caudâ apro, mugitu gravi, uno cornu nigro, mediâ fronte duorum cubitorum* eminente; *Oneſicritus* apud *Strab.* lib. XV. propterea appellat, *equos unicornes cervinis capitibus.* Quibus ſub nomine hoc animal venit unicornis, Indici teſte *Bocharto*; dicunt, *quod equo magnitudine par ſit, albo corpore, capite purpureo, oculis cyaneis, carne amara & guſtui ingrata, in fronte habens cornu cubitale, vel ſeſquicubitale, in medio nigrum, infra album, ſupra puniceum, idque maximi uſus in medicina: robur & pernicitas illis ſumma,*

cornu,

cornu, *dentes*, *&* *calces*, *ex æquo terribiles*; diciturque tandem *in locis degere maxime desertis*, *ac propterea minus venire sub hominum conspectum.*

§. 5. Oryx celebrari solet à corporis & animi pugnacitate, quâ adversus omne genus hostium plurimum valet; habet enim

1. Corpus quod

א. Admodum *pinguescit*, unde *Oppianus* κυνηγετικῶν lib. II. de Oryge testatur, *quod admodum pinguedine distendatur*; versiculus græcus ita latinè reddi potest

Illi spina duplex multa est distenta sagina.

ב. *Validum* quoque est, & accedens ad staturam & conformationem Boum, ita *Herodotus* Oryges ad *magnitudinem boum accedere dicit* lib. IV.

2. Animum gerit

א. *Intrepidum*, unde nulli animali cedit, quod quoque versus *Oppiani* docent loco citato, quæ ita latine sonant

Mens Orygum intrepida est, *animusque ad prælia natus*,
Nam neque terret eos canis allatrantis hiatus,
Nec scopulos metuunt Apro frendente sonantes;
Sed neque cum Taurus grave mugit ore minaci,
Aut trucibus pardi sylvas ululatibus implent:
Nec fugiunt postquam accensâ Leo rugiit irâ,
Nec Homines, *tanta est animi fiducia*, *curant*;
Sæpe & genus acre Orygum telo impetere ausus
Robustus venator obit, *de rupe volutus.*

ב. *Ferum*, unde Martialis lib. XIII. epigrammat. 95.

Matutinarum non ultima præda ferarum
Sævus Oryx, *constat quod mihi morte canum.*

Huc pertinent verba *Jobi cap.* XXXIX. 9-12. *Num volet Monoceros servire tibi*, *num pernoctabit apud præsepe tuum? non vincies Monocerotem ad fulcrum funis tui &c.*

3. Cornu quoque habet ut instrumentum potentissimæ defensionis, idque propter tres qualitates, nempe

א. *Soli-*

א. *Soliditatis*, quod iterum *Oppianus* confirmat, quando de cornu Orygis loquens dicit, quod illi

> *Durities invicta, vigorque est qualis in ære*
> *Aut silice aut ferro, vano quod tunditur ictu.*

unde quando in hostes incurrunt, cornua eorum non facile diffringuntur.

ב. *Proceritatis*, monuimus enim antea eorum cornua nonnunquam esse sesquicubitalia, cujus proceritatis beneficio efficiunt, ut hostes attingere & vulnerare queant, dum adhuc longius sunt remoti, & antequam illis ab ictu excipiendo metus esse possit.

ג. *Aciei*, dum in punctum acutissimum exit, neque ullam aliam ob causam Oryges Romanis dicebantur *subulones*, quam quia extremitas cornuum subulam referebat, quæ & græcæ denominationis ratio est; *Oryx* enim græcis proprie dicitur instrumentum quo terra eruitur, ac lapides fodiuntur; huc & respiciunt versus *Oppiani* in hunc modum translati

> *In sublime super frontem consurgit acuta*
> *Cuspide mortiferum cornu.*

hinc quoque dicitur ὀξύκερως θὴρ *acuto cornu fera*; *Agatharchides* cap. 26. de strutophagis loquens asserit *Simos Æthyopes orygum cornubus pugnare*, ut alibi *gladiis*, *cum quia grandia sunt*, *tum etiam ad perfodiendum peracuta*, *nam hoc beneficio altum penetrant in viscera.*

§. 6. Ægyptii tamen hoc animal singulari odio prosequuntur, idque tres præcipuè ob causas.

1. Quia Oryx ad solem orientem conversus excrementa excernit, referente *Æliano* lib. X. 28. quia autem Serapidis sacerdotes solem colebant, illi hoc soli in ignominiam factum, interpretantur.
2. Quando Lunam conspicit orientem deplorabilem edit clamorem, terram pedibus suffodere solet, & pupillas abscondit, quasi cum indignatione luminis istius ortum videre nolens, quod idem notavit *Horus in hieroglyphicis* lib. I. cap. 46.
3. Quia dicitur cum pedibus tum labiis turbare aquam, ut est apud eundem *Horum*. Alii interim notarunt Orygem in exortu Caniculæ contra stare & contueri, ac veluti sternutamento adorationem testari juxta interpretationem vet. Ægyptiorum, apud *Plinium* lib. II. c. 40.

 Ælia-

Ælianum lib. VII. cap. 8. & *Plutarchum*, quod etiam indicium mali animi interpretantur, quia astri istius ortus conjunctus est cum multis morbis aliisque malis, unde videtur gaudium percipere.

§. 7. In Theologia *Emblematica* cornu Monocerotis, & nonnunquam ipse Monoceros habent rationem Hieroglyphicam:

1. Quoad *cornu* notandum est, quod in scripturis semper in bonum accipiatur, atque significet potentissimum auxilium hostibus opponendum, quo eorum vis facile avertatur. Huc spectant testimonia *Num.* XXIII. 22. ubi Bileam è longinquo videns populum Israëliticum, inquit, *Deus fortis eductor est ex Ægypto, & Monocerotis est indomitum robur ejus*; scilicet cum Deus Pharaonem à populo avertetet, illique non permitteret populum suum attingere, jure merito comparatur ejus robur Monoceroti, quia insignem potentiam possidet in cornu, adde *Deuter.* XXXIII. 17. ubi Moses ecclesiam tertiæ periodi describit sub nomine *Josephi*, illique attribuit *cornua Monocerotis, quibus populum pariter arietaret, imo terminos terræ*, ibi indigitat consilium Constantini Magni, aliorumque qui pro causa ecclesiæ patrocinium susceperunt, & infestissimos hostes deleverunt. Hanc phrasin imitatus est Psaltes *Ps.* XCII. 11. qui Psalmus in die Sabbathi decantandus egregie depingit ecclesiæ requiem ex hostium subversione oriundam; additque ad exaggerandam potentiæ causam quâ ecclesiæ hostibus superior fieret, hanc enunciationem *attollis tanquam Monocerotis cornu meum* indigitans Deum ecclesiæ suppeditaturum maximos patronos ac defensores, unde facile intelligitur frequens in scripturis phrasis de *cornu salutis exaltando*: vide 1. *Sam.* II. 10. & alibi, quatenus Deus parat instrumenta, quorum auxilio hostes avertuntur, & ecclesia ex præsenti periculo eripitur, unde illi salva res est, scilicet *quando reges erunt nutritii ejus, & fœminæ principes nutrices ejus Jes.* XLIX. 23. Ratio autem convenientiæ facile eruitur ex proprietatibus cornu Monocerotis scil.

א. *Soliditas* ejus ostendit auxilium ecclesiæ non fractum iri, sed perstiturum quoque ad impetrandam victoriam.

ב. *Proceritas* exhibet Heroum sufficientiam, quâ hostes satis ab ecclesia removere & arcere possunt, & efficere ne in ejus viscera erumpant.

ג. *Acies* designat speciem destructionis hostium, quæ quidem facile penetrat in intima belluarum viscera, ipsosque ursos & leones facile trajicit: ita quoque summæ & immanissimæ potestates aliquando venirent ab ecclesiæ patronis debellandæ, & plane subvertendæ.

2. Ipsum

2. Ipſum *animal* duobus in locis eſt emblema potentiſſimorum hoſtium eccleſiæ, ſignificatque poteſtatem principum adverſariorum, ita *Jeſ.* XXXIV. 7. ubi deſcribitur judicium ſpiritualis *Edomi*, id eſt politiæ Judaicæ Chriſto & eccleſiæ adverſantis, dicitur *Monocerotes deſcenſuros una cum animalibus ipſis occidendis.* Ubi per Monocerotes non alios poſſumus intelligere, quam penes quos eſt armorum poteſtas ad defenſionem gentis. *Pſ.* XXII. 22. Ubi deſcribitur Chriſtus patiens, eidem attribuitur hoc votum, ut Pater *ſibi reſpondeat ex cornubus Monocerotum*, ubi per Monocerotes intelliguntur principes imperii Romani, & qui eos repræſentabant; fieret nempe Pilati juſſu ut Chriſtus à cruce ablatus honeſtè ſepeliretur, ejuſque cadaver intemeratum relinqueretur, quod in ſpem reſurrectionis rogabat à Patre. Ex quibus conſtat hoc emblema ſumi in malam partem, ac proinde animal illud concipi ut metuendum ac deteſtandum; quod concipi poteſt

א. Reſpectu *Indolis*; *Horus Apollo* monuit *Oryges apud Ægyptios fuiſſe emblemata impuritatis*, vidimuſque Ægyptios hoc animal ob varias cauſas odiſſe; & revera in hoſtibus deſignatis animadvertimus

α. *Odium lucis* veritatis; ſicut enim Oryges nec ſolis nec lunæ lucem facile tolerant, ita quoque primores, tam Judæorum, quam Romanorum, non tolerarunt lucem Euangelii, quod Chriſtus monuit *Joh.* III. 19-21.

β. *Amorem inclementioris auræ* & peſtilentialis ardoris; prout enim Oryges amant Orientem Sirium; ita quoque deſignati hoſtes Chriſti, & eccleſiæ, demum vivunt in æſtu voluptatum, cupidinum, litigiorum & bellorum, mala anſam datura triumphis & debellationibus populorum.

γ. *Immanem crudelitatem*, quâ nequidem & Leonibus cedunt, & in homines ipſos incurrunt; homines enim tantum cenſendi ſunt, qui ex ratione vivunt, & veritatem amant: hi tamen implacabile Judæorum & Romanorum odium experti ſunt.

ב. Reſpectu *Potentiæ formidandæ*, prout enim Oryges habent

α. Corpus *pingue* & validum, ad pugnas bene compoſitum; ita præcipue Romanorum imperium opibus affluens, & legionibus ritè ad bellum inſtructis plane compoſitum erat ad eccleſiam ſubvertendam.

β. *Animum intrepidum*, maximas belluas expectantem: qualem & in Romanis, imperii Pomœria longe lateque propagantibus, omnis pagina hiſtoriarum annotavit.

 γ. *Cor-*

γ. *Cornu ſolidum*, procerum & acutum, quo quicquid fere volunt, valent; ita quoque potentia Romana in armis fuit ſolida & infracta, in latitudine imperii è longinquo porrigens, & hoſtes avertens, in rerum ſucceſſu acuta, & omnia ſubvertens.

Jam vero inſignis gratia erat Divinæ providentiæ rem ita dirigentis, ut Chriſtus inde beneficium referret, & clementiæ reſponſum; unde alias nil niſi horrenda expectanda erant.

CAPUT XI.

DE SIMIIS.

§. 1. Simia eſt animal inter Indos & Æthiopes frequens, cujus Sacra Scriptura meminit 1. *Reg.* X. 22. Et 2. *Chron.* IX. 21. ubi narratur quod Salomonis claſſis inter alia ex Ophir adduxerit *Simias.*

§. 2. Hebraici Simia vocatur קוף, quam vocem græci imitantur qui κῆπον appellant, ſub quo nomine viri docti volunt, *Ariſtotelem* lib. II. cap. 8. *Hiſtor. Animalium*, *Cercopithecum* deſcripſiſſe. *Plinius* lib. XIX. cap. 8. deſcribit *Trephos ex Æthiopia oriundos fuiſſe animalia, quorum pedes poſteriores pedibus humanis & cruribus, anteriores vero manibus ſimiles erant*; additque *hoc animal in ludis Pompeji Magni oſtentatum, poſtea Romæ non amplius viſum fuiſſe*; *Clariſ. Bochartus* nomen Hebraicum à verbo קוף deducit, vel etiam à verbo יקף, utrumque enim *ambire* & *circuire* ſignificat, rationemque denominationis ſtatuit derivandam ex ſimiarum geſticulationibus, utpote quæ frequentes circulationes exercent, & ſpectatores variis ambagibus detinent; verum quoniam exoticum eſt animal, ejuſque nominis veſtigia etiam inter Græcos remanſerunt, potius ſtatuendum eſt Æthiopicum eſſe vocabulum, quia inter gentiles ex Æthiopia primùm innotuit.

§. 3. *Simiæ* ad figuram hominis proxime accedunt, unde dictum

Simia quam ſimilis turpiſſima beſtia nobis.

homines imitari moribus quoque conantur, dum id omne actitant quod ab homine fieri viderint, verum ridendis geſticulationibus multa quoque calliditate pollent, unde *Ælianus* teſtatur quod viderit *aurigæ mu-*

nus

nus obeuntes, quæ didicerant habenas adducendi, remittendi, nec non flagello utendi artem; alii tibia ceciniſſe & ad modos ſaltaſſe hanc artem edoctas aſſerunt. Ut plurimum binos catulos pariunt, quos inæqualiter diligunt, cariorem oſtentant, curioſe fovent, & nonnunquam nimia contractatione, arctiſque complexibus enecant; veſcuntur non tantum nucibus & pomis, verum & pediculis, vermiculis & formicis: ut autem vermes aſſequerentur ſub lapidibus latentes, omnem lapidem movent, imo ſaxa majora quæ à ſe ſolis moveri nequeant, plures aggrediuntur & volvunt, ut autem formicas caperent, tumulo earum adverſas manus imponunt, & quotquot erepunt foris ſubito delambunt: cæterum animal eſt inquietum geſtu, ferox morſu, & valens odoratu.

§. 4. Simiarum non una ſpecies eſt, aliæ enim ſunt minores caudis deſtitutæ, aliæ caudatæ, quæ vulgo *Cercopitheci* vocantur, aliæ majores & villoſæ mammas habentes præeminentes quæ olim ſphynges & ſatyri dicebantur Belgice *Bavianen*, quæ omnes exitiales ſunt, agros & hortos, niſi cuſtodiveris penitus vaſtantes: verum notandum eſt quod *Jobus Ludolphi*, in hiſtoria ſua *Æthiopica* lib. X. cap. 10. aſſerit reperiri ſimiarum aliud genus innoxium, ſimulque lepidiſſimum; has natura quaſi in ſolatium tot noxiorum dedit: de quo Rythmus Æthiopum in hunc ſenſum redditus: *hominem non lædo, frumentum non edo, fruſtra me habent odio*, in Æthiopia dicuntur eſſe varii & fere cæſii coloris; India gignit albas & belliſſimas, quas Batavi *Sanguynen* vocant, quæ adeo teneræ ſunt ut non niſi amiculo pelliceo foveantur, aut ſinu geſtentur, ad nos vehi poſſint; has vir doctiſſimus eaſdem ſtatuit quas *Plinius* & *Solinus*, *Callitriches* appellant, à pilorum pulchritudine.

§. 5. Prioribus ſpeciebus plurima attribuuntur vitia, & quidem

1. *Nugacitas*, dum perpetuo occupatæ ſunt ineptis humanarum actionum imitationibus.
2. *Cacozelia*, quatenus æmulatio earum prava eſt, & fere tantum ſpectans ad ſcurrilia & noxia.
3. Φιλαυτία & ridicula ſuperbia, delectantur enim ſpeculis, ſibique impenſe placent.
4. *Libido* impurior, adeo ut & virgines invadant majores, quas ſtuprare conantur.
5. *Perverſus catulorum amor*, quos amando & complectendo perdunt.

Ex quibus vitiis emblematicæ doctrinæ doctores varia emblemata pingunt; verum cum ſcriptura ſimiarum alibi mentionem non faciat, ab analogis faciendis nos quoque abſtinemus, quamvis alias hypocritæ ſimiis comparari poſſent, ſceleſtiſſima vitia ſub religionis larvà, & ſuperſtitioſis geſticulationibus occultantes.

CAPUT XII.

DE LEPORE.

§. 1. INter minora animalcula quæ Judæis antiquis innotuerunt, ſunt quoque *Lepores*. Moſes enim *Lev*. XI. 6. Et *Deut*. XIV. 7. leporem recenſet inter immunda animalia; non enim dubitari poteſt, quin vocabulum ארנבת leporem ſignificet, quia non tantum omnes Judæi in eo conſentiunt, verum & ipſi Arabes hoc vocabulum retinuerunt, quibus ארנב *Arneb* eſt lepus ut conſtat ex fabulis *Locmanni*. Accedit etiam quod *Græci Patres* legem Moſaicam de leporibus interpretati fuerint, quorum teſtimonia adduxit Clariſ. *Bochartus*, nec obſtat quod LXX tranſtulerint voce δασύπȣς, cum idem doctiſſimus author ex adductis & probatis græcis authoribus affatim adſtruxerit voces λαγὼς & δασύπȣς promiſcuè ſumi, *Pliniumque* aberraſſe qui δασύποδες *cuniculos* eſſe voluit.

§. 2. Quod attinet etymologiam vocis ארנבת conjicit Bochartus vocabulum illud compoſitum eſſe ex ארה & ניב, ac proinde leporem ita vocari *à carpendo terræ proventu*, eſt enim huic animali iſta indoles, qua fruges promiſcuè carpit, atque inde agris noxam infert. Judæi anxiè quærunt cum hæc vox nunquam maſculinè efferatur, ſed ſolum terminatione fœminina veniat; in qua quæſtione ſolus *Kimchius* rem acu tetigiſſe videtur, qui reſpondet marem contineri ſub fœminæ nomine, eo quod ſexus differentiam in leporibus diſcernere difficillimum ſit: quod & Rondeletius aſſerit ex quotidiana experientia oſtendens veſiculas quaſdam ſanie tumentes pro teſticulis habitas, effeciſſe, ut nonnulli putaverint, ad ſexum maſculinum pertinere, qui erat fœminini generis, unde error natus fuerat ſingulis leporibus utramque vim tam maris quam fœminæ ineſſe, & omnes ſine mare æque gignere.

§. 3. Eſt autem lepus *notiſſimum animal, inſigni velocitate præditum unde & dicitur quaſi levipes, caput illi agile, breve, rotundum, longitudine idonea, aures ſublimes & late patentes, corpus non magnum, nunquam pingueſcens; aures regunt currentem non cauda, ut in aliis animalibus, pilos habet molliores inſtar ovium, gradientem nemo videt ſed ſemper ſaltantem, etiam in otio; montes facilius conſcendit, quam deſcendit, poſteriores pedes illi longiores, unde in deſcenſu montem obliquè circuit.*

§. 4. Dubitatur admodum cur Moſes lepores recenſeat inter animalia immunda

munda uno nomine, concedit enim illis *ruminationem*, denegat vero *unguium ſeparationem Deut.* XIV. 7. Externa enim facies leporis videtur poſtulare, ut leporibus quoque ungulas diviſas attribuamus; verum animadverterunt interpretes, legem Moſaicam non requirere tantum pluralitatem ungularum, ſed etiam continuam fiſſuram; unde animalia quædam *bifida & biſulca* appellantur, oportet enim ut altius diviſio penetret, & ungulæ cum parte carnoſa quaſi coaleſcant, an autem lepores ruminent, fruſtra à quibuſdam dubitatum eſt; obſervavit enim ipſe Philoſophus *Ariſtoteles* lib. III. cap. 32. *Hiſtoriæ animalium*, leporibus cum ruminantibus id commune eſſe quod habeant coagulum.

§. 5. Leporibus vitio vertuntur

1. *Meticuloſitas*, juxta proverbium

De generes animos timor arguit.

quæ tanta eſt ut etiam ſtrepitu frondium terreatur, unde loca ab hominibus & beſtiis frequentata fugit, ſolitudinem amat, ex metu ſeipſum in pericula magna conjicit, & imminentes inſidias ex longinquo præſentiſcit, in quem finem natura illi dedit ſublimes aures.

2. *Imprudentia*, quatenus inter venandum ſæpius reſpicit, ac propterea multum velocitati naturali derogat, curſu quoque ſuo venatori facit indicium niduli ſui, unde ſuo ſe prodit indicio.

3. *Proclivitas ad libidinem*, quod Philoſophum quoque animadvertit lib. IV. cap. 5. *de gener. animalium*, & *Oppianus* lib. III. Κυνηγετικῶν in fine, ſemper enim libidinem exercet, & ſi à venere prohibetur, pullos, quos nuper peperit, devorat.

§. 6. Quoniam hoc animalculum in lege cenſetur inter impura, unam ob cauſam, ſcilicet quod ungues non habeat *biſulcos*, etiam ſi ruminet, non obſcurum eſt cenſeri debere pro emblemate hominis fidem temporariam habentis, quam deſcribit Chriſtus *Matt.* XIII. 22. tanquam *qui radicem non habeat in ſeſe, ſed temporarius eſt, ortaque afflictione vel perſecutione propter ſermonem ſtatim offenditur*, taliſque homo

1. *Fidem habet*, id eſt veritati euangelii præbet aſſenſum, idque magis ex convictione quam amore veritatis, quo in ſtatu leporibus aſſimilandi ſunt, qui

א. *Gaudent cum ovibus iiſdem paſcuis*, & gramina carpunt, ac ovium & boum conſortium non fugientes; ita quoque credentes pro tempore, & fidem amore veritatis radicatam non habentes, aliquantiſper delectantur conſortio vere fidelium, eodem verbo & iiſ-

& iisdem sacramentis utentes, dum in pascuis divinæ œconomiæ, easdem veritates carpunt, & iisdem pignoribus fruuntur.

ב. *Ruminant* cibum assumptum, in os revocando & comminuendo, ita & hi credentes præconium verbi divini reminiscendo, recoquunt, expendunt, & vim veritatis cum convictione agnoscunt.

2. *Constantiam tamen non habet*, sed pro fugaci ingenio stationem deserit, quo in casu leporibus quoque similis est, qui

א. *Inquietudine perpetuâ vexantur*, adeo ut oculis non clausis dicantur dormire, unde in proverbium abiit *somnus leporinus*; neque aliter agitur cum temporariis, qui dum verbum fidei non amant medullitus, nequidem tranquillas agunt noctes ex conscientiæ inquietudine; dum solatia Euangelii sibi applicare non possunt.

ב. *Trepidant* ad minimum clangorem buccinæ, rugitu leonis, & latratum canis; quæ eadem quoque conditio est temporariorum, qui ad minimum clangorem judiciorum Dei, rugitum tyrannorum leonina ferocia ecclesiam prosequentium, & latratum impurorum hominum, convitia in doctrinam Christi effundentium, singulari metu corripiuntur, & pavore percelluntur, *metuentes potius eum qui corpus occidere, quam qui corpus & animam in gehennam deperdere potest.*

ג. Ad minima judicia appropinquantium venatorum *se conjiciunt in pedes*, & pascua deserunt, confugientes ad dumeta & vepreta ut lateant; qualis quoque est fuga temporariorum, incidentium ex metu in apostasiam, & se conjungentium cum deserticolis.

3. *Adjuncta quoque habet vitia*, inter quæ recensenda sunt

א. *Libido*, quatenus magis amant cupiditates carnales explere, quam veritatem, cum continentia & abnegatione voluptatum mundanarum, retinere; est enim amor mundi scortatio & impuritas carnalis *Jac.* IV. 4. quæ ubicunque prædominium obtinet, amorem veritatis & Dei excludit.

ב. *Tortuositas*, lepores enim tortuoso & obliquo gressu ex loco præcipiti descendunt, ita quoque qui veritatem non sincero animo complectuntur, per *vias recedunt tortuosas Ps.* CXXV. 5.

ג. *Imprudentia*, qua justo Dei judicio sæpe suis consiliis carnalibus implicantur, dum respiciendo, dubitando, & cunctando in hostium laqueos incidunt, ac præda fiunt canibus & leonibus.

4. Accedit *adjunctum aliquod indolis*; dicuntur enim lepores quotiescunque cœli temperies favet, esse *fœcundissima animalia*, quæ vix fœtum pepererunt, quin novos conceptus subeant, imo quod mirum est superfœtare

perfœtare dicuntur: eadem quoque ratio eſt temporariorum, qui cœlo ſereno, dum eccleſiæ conditio pacata eſt, habetque faventes ſibi magnates & principes, ſubito numero accreſcunt, adeo ut totis agminibus in paſcua eccleſiæ irrumpant, & pios fere excludant.

CAPUT XIII.

DE CUNICULO.
AUT
MURE MONTANO.

§. 1. SEquitur poſt leporem aliud animalculi genus ſub nomine שָׁפָן, cujus quater fit mentio in Sacra Scriptura, *Levit.* XI. 5. *Deut.* XIV. 7. *Pſ.* CIV. 18. *Prov.* XXX. 26. Dubitant Philologi num de *Cuniculis*, an vero de *Muribus Montanis* illa teſtimonia accipienda ſint.

1. Qui pro *Cuniculis* ſtant, hiſce argumentis cauſam ſuam defendunt
   - א. Quod bis in lege conjungatur hæc vox cum lepore, unde inferunt animal lepori congener indigitari.
   - ב. Quod græca editio *Pſ.* CIV. 18. habeat πέτρα καταφυγὴ τοῖς λαγωοῖς, id eſt, *Petra refugium lepuſculis.* Ubi ergo acceperunt pro ſpecie leporum, prout & *Strabo* lib. III. λαγίδεις ſumit pro cuniculis.
   - ג. Quod Judæi omnes in hanc ſignificationem conſentiant.
   - ד. Quod etiam *vulgatus* interpres tranſtulit per *lepuſculum*, quo vocabulo cuniculum deſignat *Prov.* XXX. 26.
   - ה. Quia lexicon Arabicum *Gigglii* vocabulum שפן ut Arabicum adducit & reddit per *Cuniculum.*
   - ו. Quia linguâ Phœnicum Hiſpania nomen accepit à שפן, ubi *cuniculorum eſt domicilium*; unde *Plinius* lib. VIII. cap. 55. *Leporum generis ſunt, & quos* Hiſpania *cuniculos appellat.*
2. Dubitat tamen clariſ. *Bochartus*
   - א. Quia cuniculi non ruminant, cum tamen Sacra Scriptura de שפן aliter teſtetur.
   - ב. Quia in petris non habitat cuniculus, ſed in terreno ſolo, quod facile

facile perfodiatur, cum tamen *pfaltes* & *Regius paroemiastes* huic *petram* attribuant in domicilium.

3. Quia cuniculi non inveniuntur in Oriente, fed in Hifpania, unde videtur confici poffe quod lex fruftra moneat abftinendum effe ab ignoto Judæis animalculo.

Verum non omnibus fatisfaciunt adductæ rationes.

1. Non faltem prima, quoniam *Jonfthonus* de cuniculis afferit contrarium, dicit enim *cuniculos ruminare compertum effe.*
2. Neque altera ratio multum valet, cum experientia docuerit cuniculos degere in præruptis montibus, cumque etiam altiffimæ petræ fuas habeant fiffuras, glebo molliori repletas, non alienum eft à cuniculorum indole ibi quoque cuniculos agere, & aditus fibi fuffodere.
3. Majus dubitationis momentum eft in tertia ratione, attamen non ftatuendum eft cuniculos tantum innotuiffe in Hifpania, cum etiam inveniantur aliis in regionibus, fic *Strabo* lib. III. teftatur, *cuniculos quondam fubvertiffe Balearium domos & arbores*, ac proinde reperti funt in infulis Balearibus: an vero in Oriente nullibi inveniantur, non conftat.

§. 2. Non tamen plane fpernenda eft Hieronymi fententia, qui in epiftola ad *Juniam* & *Phretelam* de hoc argumento ita fcripfit: *fciendum eft*, inquit, *animal effe non majus hericio, habens fimilitudinem muris & urfi, unde & in Palæftina ἀρκτομῦς dicitur, & magna eft in iftis regionibus hujus generis abundantia, femperque in cavernis petrarum & terræ foveis habitare confueverunt*; hæc *Hieronymus*, qui dudum Palæftinam incoluit, atque frequentiam iftius muris montani ibi oculis obfervavit; unde non levis fufpicio, de hoc animali, textus facros effe intelligendos; nihil enim videtur prohibere, quia omnes notæ quoque huic animali, æque ac cuniculo conveniunt, utrumque enim ruminat, neutrum eft bifulcum, unde utrumque quoque immundum, quamvis edule, utrumque gregarium, utrumque infirmum, utrumque degit in petris; & hoc quoque muribus montanis eft peculiare quod majori copia in Palæftina degant, fi modo cuniculi ibi noti fint. Accedit etiam, quod ob utriufque animalis viciniam & fimilitudinem, haberi poffint à Judæis pro ejufdem fere fpeciei animalculis, eadem aqpellatione denominandis, quod ut magis pateat, notanda eft defcriptio Lufitanorum: *funt ifti mures*, inquiunt illi, *vulgarium maximis mole pares, coloris Leucophæi, Muris habent auriculas, pedes anteriores & caudam; oculi & caput funt cuniculi, & crura pofteriora capreæ; faltando plerumque currunt, & cuniculos agunt cuniculorum inftar; Arabes in cibis ufurpant, & opti-*

& optimi saporis esse asserunt ; Lusitanorum testimonio adjiciamus *Olearii*, qui *Itinerarii Persici* lib. VI. ita loquitur : *Vidimus prope Terrin urbem in Cyrcassia muris agrestis genus, Arabicè Jerbua dicti : huic sciuri magnitudo est, neque forma dissimilis, pilus tamen est fuscior, & caput muris, aures longæ, crura anterius brevia, posterius longiora ; proinde non nisi in ascensu currunt, in planis fere repitant, aut saltu supra terram ad 5. vel 6. pedes efferuntur. Cauda longa, dorso incumbens, in caule glabra, in vertice hirta & albicans. Multos videre eodem impetu sursum prosilientes jucundum erat spectaculum : Babyloniam & Arabiam his scatere ajunt, & incolis esse pro cibo ; sunt qui ex agris in domos se conferunt, & pecuniam suffurantur.* Ex quibus omnibus videtur colligendum quod שפן significet illam cuniculorum potius speciem, atque adeo ἀρκτομῦς nobis erit, Cuniculus Arabicus, figura tantum in aliquibus à cuniculis hispanis distinctus.

§. 3. Vocis originatio dubia est ; disceptant enim Philologi num revocari debeat ad radicem ספן quæ *tegere* significat, num vero ad radicem צפן, quatenus *abscondere* significat ; non enim dubitant primam radicalem mutatam esse, & mutuatam ex literis aliis ejusdem organi, neque dubitari potest utramque significationem bene quadrare in utriusque speciei cuniculum : est enim huic animali proprium *terram excavare*, ut sibi in ea effugium præparet, quotiescunque instantibus canibus aliter mortem evitare nequit ; accedit etiam quod in illis excavatis latibulis fœtus suos ab insidiis canum & vulpium præservet : huc pertinet versiculus *Martialis*

Gaudet in effossis habitare cuniculus antris
Monstravit tacitas hostibus ille vias.

§. 4. Cum ex dictis cuniculorum cum ingenium, tum proprietates affatim pateant, non est, ut nos pluribus hisce immisceamus, nisi tantummodo dicendo, *Plinium* cuniculos inter leporum genera recensuisse, eosque ab aliis propterea *lepuscula* vocatos fuisse, quia externa forma plane similis est, nisi quod cuniculi sint minores & os habeant magis acuminatum : dicuntur quoque cuniculi admodum *fœcundi*, & intra parvum temporis spatium, nisi caperentur, terram implerent ; unde multitudine sua nonnullis gentibus fuere graves, teste *Strabone*. Tanta horum fuit olim frequentia in insulis Balearibus, ut depopulatis messibus famem causarent. Primarium damnum, quod inferunt, est telluris, quod incolunt, excavatio ; solent enim plurimos sibi meatus subterraneos struere

per quos ad unicum cubile datur ingreſſus & egreſſus. Stupendum eſt quod *Plinius* aliique memorant, civitatibus à cuniculis ſuffoſſis, nonnunquam cives migrare coactos fuiſſe. hoc damnum ut averteretur, duplex eſt remedium.

1. Ut canibus in illos immiſſis pabuli tempore, id eſt veſpertino aut matutino capiantur.
2. Alterum eſt, ut viverris, noſtri vocant *Fretten*, oſtio meatus inſertis ex pellantur; eſt enim hoc animalium genus cuniculis admodum infeſtum.

§. 5. Quoniam cuniculi ſecundum characteres in ſcriptura deſignatos (nam nunc parum refert, num vulgares, an vero Arabicos intelligamus) ſunt animalia impura, lege prohibita, æquum eſt ut etiam conſiderentur tanquam emblemata hominum vitioſorum, quorum arcta conjunctio & ſocietas evitanda eſt, nam lex prohibens quorundam animalium carnem comedere, quaſi tacite inſinuat non omnem carnem ſuppeditare alimoniam, naturæ requiſitæ ſatis convenientem: ac proinde indigitat quorumdam hominum indolem non eſſe ſatis aptam Chriſtianæ conſuetudini: ſcopus enim ſocietatis eſſe debet profectus aliquis, quem ex alterius conſuetudine contrahas, unde quaſi alimoniam percipit mens, & cognitionis aut virtutis incrementum; nunc vero conſtat, malorum conſuetudinem corrumpere bonos mores, ac proinde eſſe inſtar cibi inſalubris, malum ſuccum & ſanguinem ingenerantis. Quibus præmiſſis reſtat ut videamus quales homines vitioſi hoc emblemate aptè repræſententur. Omnibus expenſis & circumſpectis cuniculos habemus pro emblematibus *Hominum in fide aberrantium, & tamen Chriſtianam fidem ore profitentium*, quia habent unum characterem hominum purorum, alterum impurorum, ac proinde conſidero

1. *Convenientiam cum fidelibus externam*

א. Reſpectu *principii* fidei: cuniculi enim non aliter ac oves & lepores gramine veſcuntur, eadem paſcua quærunt: ita hi quoque cum fidelibus habent idem verbum Dei pro vera credendi vivendique norma.

ב. Reſpectu *diligentiæ* & ſtudii erga ſcripturam; dicuntur enim hi cuniculi in ſcriptura *ruminare*, id eſt decerptum pabulum ex rumine in os revocare, ut acuratius diſcindant, & in alimoniam præparent: ita quoque hi omni ſtudio ſcripturam quoque excolunt, dum, quæ in ſcripturis legunt & vident, omni quoque eruditionis ſtudio expendunt, linguas Orientales in conſilium adhibent, vim phraſium ex antiquiſſimis ritibus eliciunt, analyſes conficiunt, &

nihil

nihil eorum intermittunt, quæ ad eruditam pertractationem scripturarum requiruntur.

ב. Respectu *professionis nominis Christi:* cuniculorum enim habitaculum dicitur esse in rupibus *Ps.* CIV. 18. *Prov.* XXX. 26. imo dicuntur rupes *statuere confugium suum:* ita quoque hi non aliter ac omnes veri Christiani Christum vocant Rupem, & confugium suum, hoc nomine se ornant, & utuntur inter Christianos eo cum effectu, ut ab iis accipiant aliquam defensionem adversus canum & viverrarum insultum.

2. Verum *differentia* est

א. In *vitæ praxi*, dum non eodem modo incedunt: habent enim cuniculi pro charactere impuritatis, quod careant unguibus bisulcis, sed habeant pedes digitatos, cum pura animalia non habeant nisi bisulcos; accedit etiam, quod crura posteriora fere sunt immobilia, ut recto talo non incedant; eadem est inter vere Christianos & à fide aberrantes differentia, quorsum respicit Paulus quando Petro vacillanti objicit, illum non *recto pede incedere ut veritati congruebat Gal.* II. 14.

ב. In *candore professionis fidei*; sicuti enim cuniculi latibula quærunt, & per varios meandros & hiatus ingrediuntur, & egrediuntur; ita quoque aberrantes à fide quærunt ut plurimum obvolucra & latibula, non apertè eloquentes quod in corde sentiunt.

ג. In *veritatis & religionis propagatione:* prout enim cuniculi agros suffodiendo germina suffocant, imo ædium fundamenta dicuntur subvertisse, ita quoque malesuadi hæretici veritatis propagationi, quam fideles piè sectantur, resistunt, & quasi cuniculos agendo suffodiunt, ne quidem fundamento Euangelii parcentes contra monitum Paulinum 1 *Cor.* III. 11, 12. atque ita manifestant se Christum ut rupem non elegisse nisi ad prophasin, sed revera quantum in se est suffodiendo rupem subvertere.

Restant etiam *adjuncta quædam* quæ speciem hæreticorum quasi determinant: sunt enim cuniculi gens

1. *Fœcunda*, atque inde numerosa, ita hæreses quædam quoque proserpunt *gangrenæ instar* 2. *Tim.* II. 17.
2. *Viribus non valens*; quod fieri solet quotiescunque hæreses nonnullæ, publico & politico patrocinio sunt destitutæ.
3. *Meticulosa*, unde facile campum deserunt, ita nonnullæ hæreses sub persecutionibus deficiunt, nomenque Christianum hæretici abnegant.

CAPUT XIV.

DE HERICIO.

§. 1. INter minora animalcula S. Scriptura recenset *Hericios* Hebr. קפוד, quorum fit mentio *Jes.* XIV. 23. ubi agitur de judicio Babyloniorum *Jes.* XXXIV. 11. *Zeph.* II. 14.

§. 2. Non dubitandum est quin Hericius sit qui Græce ἐχῖνος designatur, idque

1. Propter authoritatem *Græcorum & Hieronymi*, qui vocem קפוד constanter per Hericium vel ἐχῖνον vertunt, à quibus nisi gravissimas ob causas non recedendum.

2. Propter authoritatem magistrorum. Hebræi enim constanter inter bestias quadrupedes terrestres recensent, & *Rabbi Salomon Jarchi* ita describit in annotationibus suis Talmudicis כלים cap. 8. fol. 32. est קפוד & קופד reptile *cujus pili acus in modum acuti sunt*, *vulgo vocatur Herisson*, *hujus pellis vaccæ mammis alligatur*, *ne reptilia eas exsugant.*

3. Propter convenientiam & assensum linguæ Arabicæ ubi *Kunphne* in plurali *Kanaphido* ericium & ericios significat, ut ex *Avicenna* probatur à clar. *Bocharto*, & ex aliis scriptoribus Arabicis, quam vocem etiam Arabica versio in adductis locis retinet; opponit quidem se huic sententiæ doct. *Fullerus*, & valde dissentiunt interpretes, dum alii *aquaticum* animal esse pronunciant, alii inter *aves* recensent, sed minus solidis innixi rationibus.

א. Fatemur quidem *Jes.* XIV. 23. conjungi *stagna aquarum*, eaque non aliter ac ipsam urbem huic animali attribui in possessionem; verum recte *Bochartus* monet mentem comminationis esse, urbem non tantum desolatum iri, verum & fore ut vicina stagna exarescant, ut non tantum *Echino terrestri* sedes in urbe, sed & in stagnis jam aridis, concedatur; inter judicia enim est fluviorum in alias oras derivatio & stagnorum exsiccatio.

ב. Nominatur quidem *Jes.* XXXIV. 11. cum *avibus*, verum adjunguntur *dracones* & *struthiones*, ac proinde mixtura quorumcunque animalium ibi exhibetur.

§. 3. Revocant quidam etymologiam vocis ad radicem קפד qui volunt *incedendi vim* denotare; verum claris. *Bochartus* potius vocem conflatam esse

cx

ex duabus exiſtimat, nempe ex קנח quod eſt *ſpiculum* & אפר quod eſt *amicire*, atque ita ratio denominationis valde evidens eſſet, quia hoc animal *ſpinis quibuſdam amictum & circumvallatum eſt*; neque aliena eſt iſta etymologia à ratione grammatica, quia dages in ſecunda litera eſt compenſativum literæ נ, quod vocabulum Arabicum retinet, & literæ gutturales ח & א intermediæ facile abſorbentur.

§. 4. Eſt autem Echinus, ſive ericius, *notiſſimum animal ſpinis acutiſſimis obſitum, unde impune tractari non poteſt; caput refert formam porci, unde etiam nomen obtinuit;* Suidas enim vocat ἀκανθόχοιρον eſſe *porcum ſpinoſum, nidum dicitur habere prope ſepes dumoſas, hyeme in cavis arboribus latitare, arbores conſcendere, poma decutere*, & volitando inter ea cornis ſuis infixis domum ſuam deportare; mirum eſt quod Phyſici huic animali *duplicem anum ad ſtercus egerendum adſcribant:* ad prudentiam referunt, *quod latibulum duobus foraminibus inſtruat, unum ad auſtrum, alterum ad ſeptentrionem, & pro varietate tempeſtatis alternatim hoc obſtruat, illud aperiat.* huc quoque ſpectat *ſtudium eludendi hoſtem, quem, cum adeſſe ſentit, contractis in unum membris & erectis ſpiculis in ſpinam hirſutam ſe convolvit, ne quâ parte comprehendi poſſit, & quaſi intra arma ſua collectus ſpinoſo ſuo tegmine ſui defenſionem non negligeret: ſignum deſperationis eſt, quando urinam ex ſe emittit ſupra dorſum, unde pellis corrumpitur.*

§. 5. Pluſquam una eſt echini *ſpecies:* occurrit enim

1. *Hyſtrix*, ericio vulgari major & ferocior, & quia illi facultas attribuitur aculeos, ſagittarum in morem, emittendi, nec non certo deſtinatoque ictu, in canes, venatores & alios hoſtes vibrandi, vulgari ſpecie longe terribilior, quod pluribus probavit erudit. *Bochartus* in eruditiſſimo ſuo opere lib. III. cap. 26. notandum ſolummodo quod hyſtrix olim frequens fuerit, & etiamnum ſit in Syria, & ex *Damirio* ſcriptore Arabe conſtat *hyſtrices in terra Syriæ & Irac, id eſt Meſopotamiæ & Babyloniæ aſſurgere ad magnitudinem canis Melitenſis:* Paulus venetus etiam frequentes obſervavit *in Tartaria*, cujus hæc ſunt verba: *ſunt in regione illa multi ſues ſpinoſi, qui cum capiuntur aculeis ſuis ſæpe homines caneſque vehementer lædunt; nam canes à venatoribus in porcos iſtos provocati feras iſtas adeo irritant & commovent, ut ſimul contrahentes terga ſua, quibus ſpinæ innituntur, vehementer commoveant, atque ſtimulos ſuos vehementia quadam excutiant, & in viciniores homines & canes vibrent.* Addit eruditiſſimus *Geſnerus*, illos *certo deſtinatoque ictu ferire quem volunt, idque vulnere interdum incurabili* prope modum, *utpote anguſto & profundo, planeque periculoſo ſi nervus pungatur.*

2. Eſt

2. Eſt & minorum ericiorum duplex quoque ſpecies, altera *terreſtris & vulgaris* ſoricis magnitudine, altera *aquatilis ſeu fluviatilis* ut non tantum ex Arabum ſcriptis aſſerit clariſſ. *Bochartus*, verum & idem quoque prodidiſſe *Paulum Æginetam*, adjicit, imo ex *Strabone* colligit juxta *Nearchi* teſtimonium ad inſulas Euphratis ori objectas echinos inſignis magnitudinis reperiri, quamvis incertum ſit, an id de fluviatilibus accipiendum ſit.

§. 6. Facile conſtat Ericium eſſe ſymbolum *hominis intractabilis*, & inimicitias cum aliis perpetuas colentis, nec non inſuavibus moribus præditi, & quia ſolitudinem amant adſtituuntur in ſignum deſolationis locorum & regionum ſingulari Dei judicio inflictæ, hinc *Zephan.* II. 14. ubi deſcribitur deſolatio urbis Ninives, prædicitur *ericios ibi pernoctaturos:* verum ſub emblematica ſignificatione duobus in locis occurrunt præcipue & quidem.

1. *Jeſ.* XXXIV. 11. ubi ſententia lata in Idumæam & *Boſram*, id eſt in Judæam & Hieroſolymam ſub typicis illis denominationibus adumbratas, denunciat futuram vaſtitatem ſub hac deſcriptione: *Hæreditabunt eam* ſcilicet *urbem*, *Platea & Ericius.* Cujus dicti implementum reſpectu Ericii quærendum putamus, in vaga Arabum gente, quæ à deſtructione Paleſtinæ conſueverat terram illam quotidie pervadere, gens ſolitudinem amans, natura meticuloſa, intractabilis, omnem ſocietatem cum aliis reſpuens, callida tamen & nihil quærens, niſi ut prædam in ſolitudines ſuas revehat terramque depaſcat.

2. Alter locus extat *Jeſ.* XIV. 24. ubi ſimilis ſententia fertur in Babylonem ſpiritualem, ita enim verba textus ſonant: *ponam eam in hæreditatem Ericiorum, & in ſtagna aquarum*; ubi manifeſta fit alluſio ad deſolationem literalis Babylonis; terra enim illa deſerta partim mutata fuit in ſtagna aquarum, quatenus aggeribus neglectis, illuvies aquarum loca humiliora occupavit, reliquæ autem regiones altiores ab impuris animalibus fuerunt poſſeſſæ & depaſtæ: ita quoque territorium Anti-chriſti concipitur & dividendum inter ericios, id eſt homines impuros & intractabiles, ut inter aquas quæ ſubmergerent nonnullas regiones, & ad ſimilitudinem Sodomæ & Gomorrhæ everterent; quinam autem ſint futuri illi *Ericii*, dies docebit, cum ante prophetiarum implementum nihil temerario definiendum ſit.

CA-

CAPUT XV.

DE MUSTELA.

§. 1. Inter minora animalcula quæ propter pedum parvitatem repere magis videntur quam currere, recenset Moses *Levit.* II. 29. חולד Dubitat clarissimus *Bochartus mustelane* an *talpa* sit intelligenda, concluditque potius pro ultima sententia.

§. 2. *Talpam* intelligendam esse tuetur sex rationibus.

1. Quia חלדא *Proverb.* XXIV. 31. Syriacè talpam significat.
2. Quia in lingua Arabica idem obtinet.
3. Quia in Talmude Hierosolymitano etiam חולדא legitur pro talpa, ut eruit ex glossa ad Moed Katon.
4. Quia Moses hoc animalculum recenset inter reptilia, cumque talparum crura sint breviora mustelarum cruribus, majori jure hanc vocem ad talpas referendam concludit.
5. Quia conjungitur hoc animalculum cum muribus, probaturque antiquos statuisse talpam esse muris speciem, mustelam autem hostem.
6. Quia etymon magis convenit talpis, derivat enim vocem à חלד quod in lingua Syriaca *penetrare* & *suffodere* significat; jam vero talparum indoles est terram fodere & cumulos agere.

Quæ rationes speciem quidem rationis habent, sed tamen non satis superque demonstrant, nam ut ordine retrogrado rationes excutiamus, notandum est

1. Etymologiam incertam esse, quæ ex aliis linguis desumitur: חלד enim in lingua Hebræa significat *ævum* & *vitæ pulchritudinem*; ita fieri potuit ut mustela à pulchritudine pellis, & conformationis corporis, & vitæ agilitate, id nomen acceperit, si autem à *penetrando* dictum velis, quidni mustelis id nomen conveniat? quæ in columbaria penetrant, & intima ædium penetralia, ut ova exsugant, pullos avehant, verum præcipuè respici conjicimus subtilitatem corporum mustelarum, quâ penetrant in antra, & murium rimas, ut id genus insectarum ibi caperent & devorarent.
2. Ratio conjunctionis mustelarum & murium in lege Mosaica non desumenda est à similitudine animalium, aut identitatis specierum, cum id Moses nullibi observaverit, verum potius descendit à majoribus ad

minora, nonnunquam autem conjungit prout occurrunt, ſicuti ſimilia conjuncta eſſe in eo loco, inſpicienti patebit.

3. Nec quarta authoris ratio procedit, quia magis aut minus non variant ſpeciem, cùm propter exiguitatem pedum inter reptilia plura animalia recenſentur, quorum alia magis alia minus repere videntur.

4. Quantum attinet ad authoritates: teſtimonio ex Talmude deſumpto, opponimus infinita alia talmudica quæ ab ipſo authore producuntur *pag.* 10. 27. & 28. unde cogitur fateri Hebræos omnes tam antiquos quam hodiernos uno ore muſtelam interpretari.

5. Quantum ad linguas Arabicas & Syriacas attinet, conſenſus illarum apud nos multum valeret, niſi graviores rationes obſtarent: habent enim vim argumenti valde probabilis, non tamen demonſtrativi, quia convenientia ſoni aliquando eſt accidentalis, quotieſcunque deducitur vocabulum à radice hujus linguæ, quæ in alia non extat, aut alium ſignificatum obtinet.

§. 3. Rationes quæ nos in contrarium movent, ſunt deſumptæ ab authoritate

1. *Græcæ* interpretationis τῶν LXX, qui חולד verterunt γαλῆν, de qua vocis ſignificatione non dubitare nos ſinunt *Ælianus* & *Ariſtoteles*, qui illud animalculum omnibus ſuis coloribus depinxerunt; jam vero dubium non eſt, quin eo ſæculo quo vigebat adhuc lingua Hebræa, vera vocabulorum ſignificatio ſatis fuerit nota.

2. Paraphraſtis *Chaldæi*: ipſe enim *Jonathan*, qui ante exterminium Reipubicæ Judaicæ vixit reddidit כרכושתא de cujus vocis ſignificatione, nos quoque dubitare non ſinunt Talmudiſtæ & Lexicographi omnes.

3. Omnium Hebræorum & Chriſtianorum interpretum; ita *Baal Aruch*, *Rabbi Salomo*, *Kimchius*, *Pomarius*, *Aquinas*, & poſt *Hieronymum* quotquot ſcripturam tranſtulerunt in linguam *Latinam*, *Gallicam*, *Italicam*, *Anglicam*, *Germanicam*, *Belgicamque*; ut proinde univerſalis interpretum, etiam eorum qui degebant ante linguam deperditam, conſenſus non videatur elevari poſſe ex collatione linguarum Orientalium, ſi quando vox ſimilis ſoni aliud quidpiam ibi forſan ſignificet.

§. 4. Eſt autem Muſtela, *animalculum oblongum corpore exiguo, ſed animo magno, atque aſtutia & agilitate alia majora animalia ſuperat.* Plinius duo ponit muſtelarum genera, unum *Sylveſtre*, quod in agris & dumetis victitat, alterum *domeſticum*, quod etiam in ædibus oberrat. *Ambo catulos ſuos tenerrimè alunt, & eos ſæpe de loco in locum transferunt,*

runt, ne eorum nidus agnoſcatur & ipſi ſurripiantur; hinc ortam fabulam putat *Ariſtoteles, quod cum quidam vidiſſet muſtelam parvulos ſuos ore ſuſceptos transferentem, opinatus fuerit illas per os parere.* Cæterum hoc animal valde oderunt ruſtici, *quia gallinis inſidiatur, illaſque enecat, quarum ſanguinem exſugit, nec non ova frangit & ſorbet, ſi columbarium, quod ſæpe conantur, intraverit, miram edit ſtragem niſi evolent columbæ, ſaltem pipiones interimit & ova corrumpit.* Teſtantur quoque Phyſici hoc animal non tantum *adverſari ſerpentibus*, verum *etiam muribus, gliribus, & talpis, quibus magis metuenda eſt muſtela quam felis, eo quod ob gracilitatem corporis aptitudinem habet ſubintrandi eorum cavos, atque ita plures enecat.*

§. 5. Pluſquam una muſtelarum *ſpecies* commemoratur, ut alia ſit *Sylveſtris*, alia *domeſtica*, alia quoque gallinas jugulare dicatur, hæc autem illis parcere: ad muſtelarum claſſes revocant quoque *Viverras*, *Martes*, & *Zobelos*, quorum ultimum genus pulcherrimum omnium eſt, & propter pellium elegantiam capitur ac diſtrahitur. Dicuntur alicubi muſtelæ cicurari, & in uſum humani generis adhiberi, ſcil. ad avium pullos ex arboribus deferendos, columbarum pipiones ex caveis exturbandos, nec non cuniculos ex cavernis expellendos; ad ultimum effectum adhibentur hodie etiam inter nos *Viverræ*.

§. 6. Mirum eſt quod de Thebanis Ægyptiorum gente referunt *Ælianus* animalium lib. IV. cap. 5. & *Clemens Alexandrinus* in *Protreptico*, eos olim γαληλατρεῖαν exercuiſſe, id eſt, *muſtelas divino honore coluiſſe*, quod quidam putant factum, quia *Galanthis* in muſtelam converſa fuerat, poſtquam *Alcmenæ* parturienti opem tulerat, de qua fabula *Ovidius Metamorphoſis* lib IX. fab. 6. quicquid de hac ſententia ſit, hoc ſaltem conſtat nullam feram adeo putidam fuiſſe, quam Ægyptii non coluerunt.

§. 7. Semel tantum hujus animalis mentio fit in ſacris, nempe *Lev.* XI. 29. ubi jubentur Judæi à *muſtela* ſe abſtinere, tanquam ab animalculo reptili impuro. *Procopius Gazæus* celeberrimus quondam interpres, in eum locum ſcribens commentarium aliquem myſticum, hanc interdicti cauſam dedit; *quod Deus voluerit hominem eopſe deterreri à rapinis & inſidiis, quibus muſtela vivit, animal ſcilicet maleficum, quod ne quidem à cadaveribus humanis abſtinet, inprimis vero ut gallinorum ova ſolet, ita & defunctorum oculos exſorbet.*

Verum ut accuratius myſterium legis expendamus, ſcopus interdicti tenendus eſt in anteceſſum; qui fuit, Judæos monere, ne aliquod commercium habeant cum hominibus ejuſmodi vitiis imbutis, quorum ſimulacra cernuntur in deſignatis animalibus, jam vero muſtela mihi videtur

ſimulacrum hominis odium exercentis non tantum cum hominibus ſpiritualibus, verum & cum carnalibus, quotcunque reperiuntur à ſe diſſentire, idque ſub ſpecie *pietatis*; ac proinde in analogia animadvertimus

1. *Hoſtes*, cum quibus perpetuo bella gerit, qui ſunt

א. *Aves*; quod lupus eſt inter greges, hoc muſtela eſt inter aves quas capit, dilaniat, atque diſcerpit & quidem præcipuè columbas & gallinas: jam vero cum aves puræ ſint fere ſemper emblemata hominum ſpiritualium, ad regnum cœlorum pertinentium, & ſupercœleſtia quærentium, rectè monuimus hoſtem fidelium delineari.

ב. *Mures*, *glires*, & *talpas* cum quoque eodem odio invadat muſtela, quæ ſunt ſymbola animalium impurorum ſtudio à muſtela diſſentientium, rectè quoque monuimus muſtelam referre maleficum hominum genus quoſcunque diſſentientes invadens, ut ſolum omnia obtineat & ad ſe rapiat.

2. *Fucum*, dum muſtela ſpeciem antipathiæ repræſentat cum ſerpentibus: dicuntur etiam cum iis bellum exercere, quod refero ad ſpeciem pietatis, dum volunt iſtiuſmodi homines videri hoſtes regni Diaboli, atque defenſores cauſæ Dei.

3. *Animum*, quo bella ſua promovet; in muſtela enim notanda

א. *Vulpina calliditas*, qua ſe omnibus anguſtiis inſinuare norunt, ut clam capiant hoſtes, qui genius eſt quoque adverſariorum quorundam fidei, & religionis, clanculum irrepere in ædes viduarum, ut illas fallant, capiant, & illarum opibus diteſcant, qualia denotantur in *Phariſæis*, *Pſeudo-Apoſtolis*, & reviviſcunt in *Jeſuitis*.

ב. *Lupina voracitas*, dum animus adeo crudelis illi ineſt, ut nulli parcat, quale ingenium quoque obſervatur ſanguinolentum in quibuſdam Pſeudo-Judæis & Chriſtianis, qui à perſecutionibus fidelium imo & infidelium ne ungues quidem abſtinuerunt.

ג. *Singularis velocitas*, qua bellis abſolvendis aptum natum eſt animal; ſubito omnia loca perluſtrans & pervadens, ubi rapinam aliquam adipiſci poſſe ſuſpicatur; quod idem quoque obtinet in ſignatis fidei hoſtibus, quia ſubito terras & maria circumeunt, ut animulam aliquam deprædari poſſint, quod ipſum Chriſtus apud Matthæum notavit in *Phariſæis*, & experientia comprobat in *Jeſuitis*, in quibus verus Phariſaiſmus reviviſcit; quique omnium hominum genus præter ſuum arrodunt promiſcuè.

CAPUT XVI.

DE TALPA.

§. 1. TAlparum quoque fit mentio in S. Scripturâ; ut constat ex loco *Jes.* II. 20. ubi occurrunt sub nomine חפר פרת, quod omnes interpretes unanimi consensu de talpis accipiunt.

§. 2. Hoc nomen rectè Lexicographi deducunt à Rad. חפר, quod *fodere* significat, cujus radicales geminatæ ad intentiorem significationem exprimendam: egregiè enim hoc verbum hujus animalculi ingenium exprimit, quod totam ætatem in *fodiendo* degit: versatur enim perpetuo sub terrâ, quam ejectis & excitatis quasi folliculis excavare solet, ut sub illis sibi cubilia struat, unde & *Virgilius*

Aut oculis capti fodêre cubilia Talpæ.

§. 3. Est autem Talpa minutum animal, magnitudine & forma muribus ferè simile, cui cutis Holoserico mollior, color niger aut cinericeus, brevissima habens crura, imò cui vix præter pedes apparet quicquam, qui tamen acutissimis & fortissimis armati sunt unguibus; oris extremitas subtilior, adeò ut omnia membra ad terram penetrandam & perfodiendam sint disposita; oculis carere dicitur, non quod nullos habeat, sed quia admodum parvi sunt, extra cutem veluti puncta nigra præeminentes, ad magnitudinem seminis milvi vel papaveris, & ferè nullius usus. Auditu tamen præ reliquis valet, quia acrior est, sub terra quam supra terram, nisi potius statuendum sit, quod ei delicatior sit sensus tactûs, quo lumbricorum motus per terram facile observat, ut & minimam concussionem gradientium super terram. Lucem adeò ægrè fert, ut si cogatur in publicum prodire, brevissimo temporis spatio exanimetur: vitam sustentat ex variis rebus obviis; vescitur autem lumbricis, qui cum sibi imminere talpas sentiunt ad soli superficiem fugiunt; frumentum in areis plurimum depopulatur, & si fames cogat, radices sub terrâ comedit, imò etiam bufones & serpentes, quod rostro suo porcino facile præstat.

§. 4. Notandum est, quod in loco citato *Jes.* II. 20. conjungatur cum *vespertilionibus*,

1. Quia utrumque animal vile & immundum est.
2. Ad genus murium aliquando refertur, docente *Bocharto.*
3. Quia ut talpa ferè cœca est; ita parum videt Vespertilio, unde utrumque animal obscuris in locis degit, lucemque fugit.

§. 5. Inter immunda animalcula censeri debet propter utrumque defectum, quia talpa nec bisulca est, neque etiam ruminat: secuti plurima illi vitio vertuntur, & quidem

1. Cœcitas jam denotata;
2. Odium lucis, quatenus est animalculum lucifugum, diem non ferens.
3. Fallacia, quatenus per cuniculos agit, & longos meatus sub terrâ fodiendo, hostibus suis quaquaversum insidiatur.
4. Noxa frumento illata, dum terram subvertit.
5. Studium rerum impurarum, dum plurimum sectatur Lumbricos, bufones &c.

§. 6. *In Theologiâ Symbolicâ* Talpas significare impurum hominum genus & obscurum, nemini absurdum videbitur, qui expendit locum *Jes.* II. 20. ubi *Idola* dicuntur *projicienda ad Talpas & vespertiliones*; qui locus quidem proverbialiter posset accipi, ut phrasis significet, idola è sublimi in tenebras aliquando detrudenda esse, ne suo fulgore superstitiosis illudant hominibus; atque ita alluderetur ad factum Jacobi *Gen.* XXXV. 4. Qui idola sub Terebyntho sepeliens occultaverat, & quasi ad Talpas detruserat. Verum emblematicè accepta significatio magis emphatica est, atque indicabit idola non mansura in honore, nisi apud gentes barbaras, stupidissimas, & lucifugas, tenebris immersas, quales assimilantur Talpis & vespertilionibus. Convenit ferè inter omnes scriptores Hieroglyphicos, talpam esse emblema hominis cœci, qui veritatem non tantum non videat, verum & fugiat, quod analogia eleganter illustrat; si consideremus talium hominum

ℵ. *Indolem*: in eâ prædominium obtinet

- α. *Ignorantia veritatis Euangelii*, à Diaboli singulari excœcatione derivanda, teste *Paulo* 2 *Cor.* IV. 4. Conf. *Joh.* IX. 39 41. unde irregeniti oculis dicuntur destituti &c.
- β. *Fuga & odium Lucis*, quam ferre non possunt *Joh.* III. 19, 20.

ℶ. *Studia ex ignorantia & cœcitate profluentia*, qualia sunt

- α. Noxam inferre segeti Ecclesiæ barbara vastatione, telluris & orbis subversione.
- β. Terrestria curare; sicut enim Talparum vita non est, nisi in antris & sub terrâ: ita homo luce gratiæ non illustratus, nil nisi terrestria curat *Phil.* III. 19.
- γ. Impura sectari quibus vescantur; ita illi quoque pro grato cibo non admittunt nisi impurorum spirituum dogmata, superstitiones, & horrendas idololatrias, dum communionem habent cum venenatis, id est veneno turgentibus Diaboli ministris.

CAPUT XVII.
DE MURIBUS.

§. 1. MUrium in Palæstina aliquando maxima fuit copia, unde incolas nonnunquam ita afflixerunt, ut sementem facere non potuerint; ex *Magino* annotavit Clar. *Bochartus*, nonnullis in locis Palæstinæ agros illum invenisse ita pœnè desertos, ob murium & Erycium multitudinem, ut incolæ illos ferè neglexerint, quos nisi quædam aves devorarent, nullam sementem facere possent.

§. 2. Ap-

§. 2 Appellatur autem mus Hebraicè עכבר, quam vocem idem vir eruditiſſimus compoſitam exiſtimat ex verbo Chaldaico נכל *conſumere*, & בר, *agrum*, quaſi dicas *agriconſumtor*, quia fruges decerpit & prædatur quod *Rutilius Rufus*, quoque cecinit

Dicuntur cives quondam migrare coäcti
Muribus infeſtos deſeruiſſe Lares.

Varias hiſtoriolas huc ſpectantes ex *Bocharto* colligere licet. Ex Etymo videri poſſet, murem agreſtem ſpecificè indigitari, niſi aliunde conſtaret Hebræos quoque hoc vocabulo uti, quando agunt de muribus domeſticis, ut in Hiſtoriâ Templi ſecundi Hebraica Judæi dicuntur עכברים, id eſt, mures in obſidione Hieroſolymæ comediſſe, quod non niſi de muribus domeſticis intelligi poteſt.

§. 3. Recenſetur autem mus inter parvula animalia, vivitque de pane, omnique ciborum reliquiis: verum quando penuriâ cibi laborat, quodlibet etiam inſipidum arrodit, ut libros & veſtimenta; unde à ſono, quem rodendo excitat, ſorex vocari putatur: in officinis aurariis etiam ipſa auri ramenta rapiunt, unde teſte *Livio* Lib. XXX. Lavinii Clypeos argenteos, Arci coronam auream arroſerunt; aliquando ne quidem à ferro & chalybe abſtinent, hoſtiumque arma corruperunt; qua de re *Herodotus* Lib. II. De Setone Ægypti Rege agens, jucundam enarrat hiſtoriam. Acutos quoque poſſidet ſenſus, multum valens odoratu & guſtu: ſi enim plures in uno penuario invenerint panes aut caſeos, optimos diſcernere norunt & conſumunt. Admodum quoque fœcundi ſunt, undè ſubitò multiplicantur, adeò ut, teſte *Plinio*, una CXX. progenuerit. Valde delectantur ſale, ex cujus linctu laſcivire dicuntur: hinc *Plutarcho* & *Plinio* teſtibus, naves maritimæ, ſale onuſtæ, frequentiſſimos habent mures.

§. 4. Ingenium iſtius animalculi eſt

1. *Rapax*, unde eleganter aliquis mures *fures* dixit, dum plurima quoque ad nidos ſuos avehunt.
2. *Meticuloſus* tamen eſt, quæritque in anguſtiis latebras, quia ſe hoſtibus ſuis opponere non poteſt, ut omnis illi ſalus ſit in fugâ & antris.
3. *Sagax* tamen dicitur, & calliditate ac judicio pollere, non tantum quod cibum delicatiſſimum ab omni alio diſcernere novit: verum etiam quia plura ſibi ſtruit latibula & aditus, ut inſidiantium ſpem illudat. Accedit & aliud ſagacitatis ſpecimen; quod ſpicas & pabulum ſibi coacervet, quaſi in theſaurum clancularium, ut tempore neceſſitatis inde victum quærat. *Ælianus* huic animalculo præſagiendi facultatem attribuit, quod putrida jam denuò, & paulò poſt caſura, primum periculum prævideat, & ſedibus, quas incolit, relictis, quanta poteſt celeritate aufugiat.

§ 5. Inter *hoſtes* ejus numerantur cum quadrupedia, tum volucria nonnulla, ac præcipuè feles & muſtelæ, quarum inſidiis perpetuo capiuntur, illiſque cedunt in cibum.

§. 6. Quamvis *Plinius* negaverit murem cicurari poſſe, nihilominus *Julius Scaliger* contrarium aſſeruit exemplis, ſuo in *Ariſtot. de Anim.* commentario, referens ſe murem ſolutum vidiſſe, qui ab hero revocatus rediret, nec non in ejus manicis ſomnum, in menſa & ex ore permanſum cibum caperet. Idem confirmat *Albertus*, ſe murem vidiſſe aſſerens, qui ad præceptum Magiſtri candelam tenendo miniſtrabat:

niſtrabat comedentibus. Jeſuita *Drexelius Aurifodinæ Part.* II. cap. 6. Inter Helvetios, inquit, Parochus quotidianos quatuor convictores habuit, murem, felem, canem, & aviculam, quos adeò familiares miti diſciplinâ & aſſuetudine reddidit, ut quoties vellet ex eadem jentarent, pranderent, & cænarent ſcutellâ, addens, narravit is, qui ſuiſmet oculis ſpectavit.

§. 7. Quamvis murium carnes tempore neceſſitatis cibum præſtiterint non planè inſalubrem, præcipuè in obſidionibus diuturnis, urgente dirâ neceſſitate famis, nihilominus Lex Moſaica murium comeſtionem prohibuit *Levit.* XI. 29. huc reſpicit locus Prophetiæ *Jeſ.* LXVI. 17. *Carnem porci comedunt, & rei abominabilis & muris.* Quod ſi vera ſit *Seldeni* animadverſio *de Dîs Syris* Cap. VI. non tantum porcos, ſed & mures apud Aſianos primos inter februa & luſtrationes locum habuiſſe, non erit mirum, ſcripturam comeſtionem murium ut rem abominabilem declaraſſe.

§. 8. *In Theologiâ Hieroglyphicâ* mures ſunt emblemata eorum hominum, qui S. Scripturam arrodunt, corrumpunt, & quandoquidem caritatem annonæ ſpiritualis introducunt, quorſum reſpicit allegatus locus *Jeſ.* LXVI. 17. ut Spiritus Sanctus per comeſtionem porci & murium condemnet communionem cum hominibus impiis ſub emblemate porcorum, & ſcripturam corrumpentibus ſub emblemate murium: Ratioque analogiæ eſt, quod conveniant

א. *Ingenio*; nam ſicuti

α. Mures ſunt animalcula noxia, quæ arrodunt, corrumpentia & inquinantia; unde Ægyptii apud *Horum* Lib. I. cap. 7. murem pingentes deſtructionem ſignificabant, omnia conſumentem & inquinantem, ita quoque hi impuri homines perpetuum habent ſtudium Sacram Scripturam arrodendi, & optimum fidelium cibum conſpurcandi.

β. Mures ſunt callidi, unde Ægyptii quoque murem pingentes, teſte eodem *Horo*, judicium ſignificabant: ita quoqne qui inſidiantur ſcripturis, earumque puritati, maxima cum calliditate noxam inferre conantur optimo fidelium nutrimento id eſt articulis fidei, à quibus maxima conſolatio dependet, conanturque illas veritates furtim eripere, & clanculum recumbere per varias vias, ne quis facilè animadvertat.

ב. Adjuncta hic quoque notanda ſunt, & quidem

α. Quod mures multiplicati conſtituant invalidum quidem, ſed tamen noxium exercitum, undè typi eorum, qui dicunt, *Nos numerus ſumus, & fruges conſumere nati.*

β. Annonæ caritatem inducant: ita hi nonnunquam famem ſpiritualem inferunt, dum ſincerum verbi præconium deficit; de quali fame & annonæ caritate *Apoc.* VI. ſub ſigillo tertio.

γ. Sicuti mures aliquando per accidens hoſtium arma leguntur exediſſe & conſnmſiſſe; ita quoque homines illi ſcripturæ ſinceritati inſidiantes, dum ſcripturis utuntur, aliquando leguntur hoſtium argumenta enervaſſe, & idololatris ac infidelibus talia damna intuliſſe, ut fidei Chriſtianæ debellationem & ſuppreſſionem amplius promovere non potuerint; prout *Arriani*, *Muhammedani*, ipſique *Pontificii* in pluribus mundi oris Gentiliſmum, Eccleſiam oppugnantem, ſubverterunt.

FINIS.

HERMANNI VAN DE WALL,

In Amstelaedamensi Ecclesia

V. D. M.

DISSERTATIO DE PILEIS SIVE TIARIS SACERDOTUM ET SUMMI PONTIFICIS HEBRAEORUM.

L. B. S.

M*Iraberis forsan me, nomen in Rep. literaria hactenus ignotum, post eruditissimos Celeberrimi Braunii* de Vestitu Sacerdotum Hebraeorum *labores ausum prodire in publicum, cum hac mea de Pileis Sacerdotum & Pontificum Hebraeorum Dissertatione. Non dubito enim quin tibi videar post Homerum Iliada velle scribere. Fateor sane divitem satis messem a viro illo de Hebraeorum Re Vestiaria optime merito nobis datam esse, sed simul spero, ubi hanc meam Dissertationem perlegere dignatus fueris, te non negaturum, mihi aliquod Spicilegium relictum fuisse.*

Occasio hunc subeundi laborem nata mihi est eo tempore, quo Viri Clarissimi Salomonis van Til Disputationes de Tabernaculo Mosis in lucem edidi. Tunc enim vidi magnum hunc Virum, quo Praeceptore in studiis sacris usus sum, haesitare circa sententiam Magistrorum, quam secutus est Braunius, de Situ Laminae sive Coronae aureae in Tiara sive Pileo Summi Hebraeorum Pontificis, ut quae sit Josepho & Philoni, Judaicarum rerum Scriptoribus, plane contraria. Ubi rem totam examinare coepi, Josephum ante omnes diligenter evolvi. Principio commentari tan-

tum aliquid de situ hujus laminae ferebat animus: sed docebat me repetita Josephi lectio nihil posse definiri, antequam forma Pilei tam Pontificis quam Sacerdotum esset cognita. Hinc rem ab ovo orsus sum, & quidquid sacrae literae, Josephus & alii, de his Pileis memoriae prodiderunt, diligenti cura perpendi. Quae apud Braunium inveniuntur leviter perstrinxi, omissurus plura, nisi ad sententiam meam percipiendam necessaria putassem.

Ubi hic illic a Viro doctissimo recedo, non facio id vel contradicendi vel obtrectandi libidine. Sed in justo habens pretio eximias ejus dotes, & in Remp. literariam merita, id unice studui, ut, si fieri posset, nonnihil ad nobilissima haec capitis ornamenta illustranda conferrem. Non ea sum confidentia, ut credam me rem acu in omnibus quae adfero tetigisse. Conjecturas tantum meas exhibeo, quae si tibi non omnino displiceant, operam meam bene collocatam existimabo. Adhaec studiosos Antiquitatis demereri conatus sum producendo nummum Parthicum rarissimum & elegantissimum, quem mihi in hunc usum concessit ex instructissimo suo Gazophylacio Vilenbroekius meus. Eum cum aliis figuris, quo mea aliorumque sententia rectius intelligeretur, a perito Artifice Goereo aeri incidi & exprimi curavi. Quoties Braunii verba mihi citautur, scito ea desumta esse ex libro ejus de Vestitu Sacerdotum Hebraeorum, *cujus altera editione usus sum. Vale.*

DISSERTATIO DE PILEIS SIVE TIARIS SACERDOTUM ET SUMMI PONTIFICIS HEBRAEORUM.

CAPUT I.

DE NOMINIBUS PILEORUM TAM SACERDOTUM QUAM PONTIFICIS.

§. 1. IN ſacris literis Sacerdotum Pilei vocantur מגבעות. LXX. Interpretes vertunt κίδαριν. Vulgatus *Exod.* XXVIII. ſemel *Tiaram*, in aliis locis *Mitram*. Noſtri **Mutzen** / de quibus, nec non verſionibus Chaldaeis, Arabicis &c. videndus Cl. *Braunius*. Nomen Hebraeum מגבעות ſine dubio eſt à radice גבן, quod *Gibboſum* notat. Inde גבע, vel גבעה, *collis*, unde tandem מגבעות deducitur, quod *colliculos* ſignificat: quia Pilei aliquo modo colliculum referebant, ut etiam caput.

§. 2. Pontificis Pileus in ſacris vocatur מצנפת. LXX. *κίδαριν*, vel *μίτραν*, Vulgatus *Cidarïm*, *Mitram*, *Tiaram* vertunt. Eſtque à radice צנף, quod evidenter patet ex *Lev.* XVI. 4. ubi textus ſic habet ובמצנפת בר יצנף, LXX. *κίδαριν λίνην περιθήσεται*. Noſtri **met den linnen Hoedt bedeksken** / Vulgatus *Cidarim lineam imponet capiti* ; *Junius* & *Tremellius*, *Cidari linea tegitor*, ſed quid verbum צנף ſignificet valde in obſcuro eſt. Semel inſuper occurrit *Jeſ.* XXII. 18. ubi de rotatione vel volutatione pilae aut globi uſurpatur. Ita textus, צנוף יצנפך צנפה אל־ארץ רחבת, *Egregie volutabit Te volutatione*, *ut pilam in regionem amplam.* Hinc circumdandi vel circumvolvendi ſignificationem *Lev.* XVI. quaeſiverunt. Ita LXX. & Magiſtri, quod non alienum videtur, & *Tiaram Pontificis* מצנפת dictam volunt à circumvolvendo, quia circa caput circumvolvebatur.

§. 3. Obſervandum etiam ſacras literas Sacerdotum Pileos ſemper מגבעות, & Pontificis ſemper מצנפת nominare, neque umquam haec nomina in ſacris inter ſe confundi. Aſt *Joſephus* Sacerdotibus etiam מצנפת tribuere videtur, cum eorum Pileum *μασναέμφθην* vocet, ut editiones legunt, quod Hebraeorum מצנפת eſt. Id faciunt etiam Judaei, ut ex Codice *Joma*, *cap.* VII. aliiſque Rabbinorum ſcriptis fuſè probat Celeb. *Braunius*, *pag.* 418. hinc videtur, haec nomina ultimis Reip. Judaicae temporibus promiſcuo in uſu fuiſſe, & inter ſe confuſa ; cujus haec poteſt eſſe ratio, quod ambo Pilei eodem modo ex faſcia circa caput volverentur, & in quibuſdam ſimiles fuerint.

C A-

CAPUT II.

DE MATERIA PILEORUM.

§. 1. SAcra Scriptura MATERIAM, ex qua Pilei conficiebantur, duabus vocibus exprimit, nempe voce שש & בד. Prior vox occurrit *Exod.* XXVIII. 38. & XXXIX. *verſ.* 28; Poſterior *Lev.* XVI. 4. Ex collatione horum locorum patet שש & בד unum idemque ſignificare. Aliquam tamen inter illas voces differentiam eſſe, non tantum inde patet, quod Legiſlator non ſine ratione duabus vocibus utatur, ſed etiam ex eo, quod de feminalibus dicatur *Exod.* XXXIX. 28. ואת מכנסי הבד שש משזר, quae verba Noſtri ita tranſtulerunt, **En de linnen onderbroeken van fijn getwernt linnen.**

§. 2. שש & בד linum & quidem pretioſum, *Byſſum*, ſignificare, doctiſſime & uberrime probavit Celeb. *Braunius*, *lib.* I. *cap.* VI. & VII. ubi ejus rationes videri poſſunt. Verum quaenam ſit differentia inter duas has voces, & quid proprie שש & בד, non adeo facile eſt probatu.

§. 3. Noſtrates cum aliis videntur differentiam in eo poſuiſſe, quod שש ſit *linum tenue, ſubtile, Byſſum* Latini vocant; nam ubique reddiderunt **fijn linnen**/ & בד *linum* ſimpliciter, **linnen.** Verum obſtat collatio loci *Lev.* XVI. 4. Nam ibi eadem materia, quae *Exodi* citatis in locis שש dicitur, בד vocatur. Rabbini quidam differentiam in numero filorum quaeſiverunt, ſtatuentes בד fuiſſe linum quod ex uno filo, & שש quod ex filis ſex ſimul tortis, texebatur, quia שש *ſex* ſignificat. Sed animadvertit Clariſſ. *Gouſſetus*, ex hoc contradictionem oriri in loco *Exod.* XXXIX. *verſ.* 28. Nam ibi una eademque textura diceretur modo

do בר , id eſt , *ſimplici filo* , & שש , id eſt , *ſextuplici filo.*

Hinc conjicit materiam forſan ſpectare vocem בר , & שש praeparationem , aut texendi modum , nec abhorret à ſententia quorumdam Rabbinorum etiam à Clar. *Braunio*, *lib.* I. *cap.* VI. *pag.* 101. citatorum. Qui dicunt בר *eſſe linum quod uno culmo ex terra ſurgit, non duobus culmis, ex uno trunco.*

Meam ſi quis requirat ſententiam , putem בר eſſe nomen genericum , & materiam , *Linum* nempe ſimpliciter , non habita ratione filorum , exprimere , ſed שש nomen eſſe ſpecificum , & ſignificare pannum lineum & quidem ſextuplici filo ſimul textum : nam שש proprie *ſex* ſignificat. Cum ergo Moſes *Lev.* XVI. dicit *Pileum* fuiſſe ex בר , indicat in genere materiam , nempe ex lino fuiſſe factum : & *Exod.* XXVIII. & XXXIX. ex שש , ſpeciem magis exprimit , fuiſſe ex lineo panno ſextuplici filo texto. Sic ratio etiam reddi poteſt alius loci ubi de feminalibus agit , ſic vertendo , *Facies feminalia linea* , ex panno lineo ſextuplici filo *retorto.* Obſervandum porro משזר *retortum* nunquam cum בר , ſed ſemper cum שש jungi , quod mihi argumentum eſt , שש fila & בר materiam reſpicere.

§. 4. Ex iis quae diximus facile patet Pileos Pontificis & Sacerdotum ex lino fuiſſe. Probat & hoc collatio loci *Ezech.* XLIV. 17. ubi Capitis tegumentum Sacerdotum novi Templi dicitur fuiſſe ex פשתה , quod omnium interpretum conſenſu *linum* ſignificat. Jam diu obſervatum eſt , plurima , quae ad Templum Ezechielis pertinent , deſumta eſſe ex iis quae in Templo Hieroſolymitano erant , proinde veſtitus Sacerdotum utriuſque Templi ſine dubio ut ſimilis conſiderandus erit. Cumque Pileus Sacerdotum Templi Ezechielis dicatur fuiſſe *ex lino* , ſequitur Pileum Sacerdotum Tabernaculi aut Templi Hieroſolymitani *ex lino* fuiſſe. Conveniunt

etiam

etiam *Josephus*, ut suo loco videbimus, & fere omnes Interpretes, tam veteres quam recentiores.

CAPUT III.

DE FORMA PILEORUM IN GENERE.

§. 1. SAcra Scriptura nec FORMAM nec *Fabricam* Pileorum, tam Sacerdotum quam Pontificis, describit. Indicat quidem, quod Pilei, ut ceterae vestes, fuerint *ad ornatum & Gloriam*, *Exod.* XXVIII. & Sacerdotum Pileis *ornatum* adscribit, *Exod.* XXXIX. 28.

§. 2. Ex nominibus tamen Judaeorum Magistri aliquid exsculpere voluerunt, ajuntque Pontificis Pileum מצנפת dictum a *circumvolvendo*, ut diximus, quia ex eorum sententia, factus erat *ex una fascia Linea* XVI *ulnas longa, qua aliquoties caput circumvolvunt.*

Ejusdem formae volunt fuisse Pileum Sacerdotum, quem ideo etiam מצנפת vocant, ut jam *Cap.* 1. observatum est. Ita ut fuerint instar Pileorum Orientalium, Turcarum & Persarum, quos illi *Dolband* nominant.

Differentiam quaerunt in voce מגבעות, nam, quia haec vox *Colliculos* proprie significat, volunt Pileos Sacerdotum, qui hoc nomine in sacra Scriptura vocantur, nomen hoc inde accepisse, quod magis erant acuminati vel fastigiati quam Pileus Pontificis.

Differentiam hanc ex mente Magistrorum figuris expressit Cel. *Braunius*, qui Magistris adstipulatur *pag.* 429. & 430.

§. 3. Licet nomina Hebraeorum utpote saepius naturam rei exprimentia, non sint negligenda, tamen ex iis solis, quibus sacra Scriptura hic utitur, nihil certi de Pileorum forma & fabrica elici poterit. Neque etiam ex eo quod sacra

Scriptura dicat, *Alligabis ipsis Pileos*, *Exod.* XXIX. 9, 10. *Lev.* VIII. 9. Indicatur quidem hisce verbis, Sacerdotum Pileos alligandos fuisse; sed quo modo hoc faciendum sit, non additur.

§. 4. Nemini tamen mirum videri debet sacras Literas nihil de Pileorum Forma memoriae prodere. Sciendum enim, Deum omnia quae tam ad struendum Tabernaculum, quam ad Vestes sacras pertinebant, Mosi cum in Monte erat, in schemate ostendisse, secundum exemplar aut schema illud accurate facienda. Hinc repetitum saepius monitum, *Inspice & Fac secundum exemplar quod Tibi in monte monstratum fuit*, *Exod.* XXV. 9, 40. XXVII. 8. Non opus propterea erat omnia verbis accuratius describere & inculcare, quum ex Idea, quam ex viso schemate hauserat, artificibus monstrare potuerit, quae erant facienda & quo modo; quod non tantum in Pileis, sed etiam in aliis ad Tabernaculum pertinentibus rebus, locum habuit.

CAPUT IV.

DE FORMA

מגבעות

Sive

PILEORUM SACERDOTUM.

§. 1. QUae sacra Scriptura, & ex ea Judaeorum Magistri, de forma Pileorum Sacerdotum & Pontificis, memoriae prodiderunt, *Cap.* praecedente enarravimus. Ad *Josephum* ergo accedamus. Hic nobis satis diffusam descriptionem Pileorum Sacerdotum & Pontificis dedit. De Pileo Sacerdotum scribit *Antiquit. Jud. lib.* III. *cap.* VIII.

pag.

pag. 84. editionis Genevenſis anni 1611. vel *cap.* VII. editionis Clar. *Bernhardi* Oxonienſis, *pag.* 174.

Verſio Epiphanii.

Super caput autem geſtat pileum, in modum parvuli Calamauci aut Caſſidis, *quod extenditur ſupra ſummitatem capitis*, & *modice verticis medietatem excedit: vocaturque Maſnaemphthis: & tale eſt, ut videatur ex lini textura confectum, habens vittas, quae involutae ſaepius connectuntur, ne facile dilabatur. Deinde aliud unum velamen deſuper circumdatur, deſcendens uſque ad inferiora barbae, celans pilei illius ligaturas, & totam capitis ſuperficiem: adaptaturque perfecte ne laborante Sacerdote circa ſacrificia corruat.*

Joſephi textus.

Ὑπὲρ δὲ τῆς κεφαλῆς φορεῖ πῖλον ἀκώνον, οὐ διϊκνούμενον εἰς πᾶσαν αὐτὴν, ἀλλ' ἐπολίγον ὑπερβεβηκότα μέσης. καλεῖται μὲν Μασναεμφθής. τῇ δὲ κατασκευῇ τοιοῦτός ἐστιν ὡς στεφάνη δοκεῖν ἐξ ὑφάσματος λινέου (λιναίου) ταινία πεποιημένη παχεῖα. καὶ γὰρ ἐπιπτυσσόμενον ῥάπτεται πολλάκις. Ἔπειτα σινδὼν ἄνωθεν αὐτὸν ἐκπεριέρχεται διήκουσα μέχρι μετώπου, τήν τε ῥαφὴν τῆς ταινίας καὶ τὸ ἀπ' αὐτῆς ἀπρεπὲς καλύπτουσα, καὶ ὅλῳ δὲ τῷ κρανίῳ γιγνομένη ἐπίπεδον. ἥρμοσται δὲ ἀκριβῶς ὡς ἂν μὴ περιρρυῇ πονοῦντος περὶ τὴν ἱερουργίαν.

Verſio Gelenii.

Super caput autem geſtat Pileum non faſtigiatum neque totum caput comprehendentem, ſed paulo plus quam medium. Hic vocatur Maſnaemphthes. Eſt autem tali paratu, ut videatur vitta linea ſaepe in orbem replicata, & conſuta, quam ſuperne alia tela integit, uſque ad frontem deſcendens & per ſuperficiem verticis ſuturarum deformitatem occultans. Hic adaptatur perfecte, ne inter ſacrificandum delabatur.

Ver-

Verſionem *unam Epiphanii* voco, quia ſub hoc nomine in editione Oxonienſi exſtat, ſed an revera Epiphanii Scholaſtici ſit, non affirmo. Vetus verſio eſt, ſed quibus rationibus Epiphanio Scholaſtico tribuatur, *Bernhardus* non addidit. Celeb. *Fabricio* videtur, hoc nomen ex conjectura appoſitum fuiſſe, & fundamentum conjecturae ex *Caſſiodoro* aperit. Conſuli is poterit in *Bibliotheca Graeca*, *lib.* IV. *pag.* 245.

§. 2. *Joſephum* non fideliter ab his Interpretibus fuiſſe expreſſum, videbit qui verſiones cum textu Graeco conferre voluerit.

Epiphanius Scholaſticus, aut quiſquis ille ſit, videtur potius Paraphraſtem quam Interpretem agere. In ejus verſione apparent, quae Graece non inveniuntur in editis Joſephi libris, ex. gr. haec verba, *Inſtar parvuli Calamauci aut Caſſidis.* Nec monet *Bernhardus*, qui MSS. libros conſuluit, uſquam haec verba Graece exſtare. Integros paragraphos plane omiſit, pluraque verba de ſuo intruſit.

Gelenius Joſephum melius expreſſit, ſed non in omnibus. Verba ὡς ϛεφάνη δοκεῖν, non vertit, ac ſi in textu non eſſent. Niſi velis Typographi vitio vocem *Corona* excidiſſe, *ut videatur Corona vitta linea*, &c. aberrat etiam in aliis.

Nova hinc verſio nobis adornanda fuit, in qua Graecum textum ad verbum reddere conati ſumus.

Super caput autem geſtat Pileum non faſtigiatum, (coni formam non habentem) *nec pervadentem* (deſcendentem) *in illud* (caput nempe) *totum*, *verum paulum tranſcendentem medium*; *vocatur vero Maſnaemphthis*.

Tali autem erat ſtructura, *ut Corona videretur ex Textura linea taenia facta craſſa* (denſa), *etenim complicata conſuitur ſaepius.*

Deinde ſindon ipſum (nempe Pileum) *ſuperne undiquaque*

que circumdat, descendens usque ad frontem, suturam taeniae, & quicquid ab ea indecorum, occultans.

Totique cranio aequalis facta (totumque cranium ubique cingens & obtegens).

Adaptatur autem perfecte, ne corruat operante circa sacra (nempe Sacerdote).

§. 3. In hisce Josephi verbis plurima sunt observanda, & ratio nostrae Versionis, ubi necesse est, reddenda venit. Josephus in sua descriptione quaedam generaliora cum nomine Pilei praemittit, deinde Fabricam accuratius describit.

Super caput autem gestat Pileum] Pileos portare Sacerdotes, quando sacris operantur, cum sacra Scriptura asserit.

Non fastigiatum (coni formam non *habentem*) nec *pervadentem* (descendentem) *in illud* (nempe caput) *totum, verum paulo transcendentem medium*] Quid sibi velit hisce verbis, propius inspiciendum erit. Verba quidem non sunt adeo obscura.

Cum ἄκωνον Pileum dicat, docere vult Pileum hunc non habuisse formam Coni, nec proinde fuisse lente fastigiatum aut acuminatum: non habuisse *formam Metalem*, ut *Festi* phrasi utar, qui de *Tutulis*, capitis tegumentis apud Romanos, scribens, ait, *eos habuisse formam metalem*, id est, Coni, quia metae in Circis coni formam exprimebant.

Ex his patet, Josephum non in eadem fuisse sententia cum Magistris, quos sequitur Clar. *Braunius*, qui Pileos Sacerdotum acuminatos & in Coni formam exeuntes volunt, quia מגבעות vocantur. Ast Josepho in hisce fidem habendam esse, facile unusquisque sibi persuadebit, si attendat, *Quod Josephus fuerit ex regia stirpe, ipse Sacerdos, & istarum rerum oculatus testis: his Sacerdotum vestibus saepius indutus, neque adeo fungus esset, ut aperte falsa Orbi obtrudere co-*

 natus

natus fuerit. Ut alibi Clar. *Braunius* loquitur *lib.* I. *cap.* v. *pag.* 84.

Sed quare Pileum ἄκωνον vocet, & addat non *pervadentem in id totum*, &c. majoris eſt indaginis.

Caput totum hoc pileo non undiquaque fuiſſe tectum, ſed mediam fere ejus partem tantum, ultima verba ſatis indicant; ſed quomodo hoc intelligendum & quorſum reſpexerit Joſephus, diligentius inquirendum.

Mihi ſane perſuaſum eſt, Joſephum in animo habuiſſe, hiſce verbis Pileos Sacerdotum Hebraeorum, diſtinguere ab aliarum Gentium earumque Sacerdotum Pileis, & praecipue illis, qui coni formam habebant, & fere totum caput contegebant.

Qui ritus Veterum diligentius perſcrutati ſunt, obſervarunt, quaſdam Gentes nudo capite ſacra feciſſe, imo ipſos aliquando Romanos. Plurimae tamen tectis capitibus ſacra fecerunt, & earum Sacerdotes inter ſacrificandum Tiaras geſtarunt. Imo ſi Tiarae non erant ad manus, toga aut aliis veſtibus caput obvelarunt. Fuit hoc ex ſuperſtitione, ne mala omina ipſos turbarent, ut ex *Virgilio*, *Plutarcho*, *Servio*, & ſolemni formula HOC AGE, eruditiſſime probavit *Braunius pag.* 430.--- 434.

Inter Tiaras Veterum quaedam habebant Coni formam, & fere totum caput obtegebant.

Ita Tiarae rectae, capitis ornamenta Regum Armeniorum & Perſarum, aut ſi mavis Parthorum, Coni formam habebant, & fere totum caput obtegebant, deſcendebant fere ad oculos, totam cervicem cum auribus & malarum parte, velabant. Nummi hoc clariſſime docent.

Egregiam Tiaram rectam Parthicam diademate cinctam, ſtellis aliiſque figuris ornatam, lenteque fere in Coni formam faſtigiatam, videbis in nummo *Auguſti*, cui haec epigraphe,

DE

DE PARTHIS, in *Tabulis Arſchotanis Tab.* XIII. *num.* 20.

Similem Tiaram ſed Armeniacam, exhibet Illuſtriſſimus *Ezechiel Spanhemius* in libro de *Praeſtantia & uſu Numiſmatum* diſſ. v. ubi, ut ſolet, plurima eruditiſſima, tam de Tiaris, quam de titulis Regum Perſarum, aut ſi mavis Parthorum, Armeniorum, aliorumque congeſſit, & rariſſimis nummis illuſtravit. Nummus, quem indico, occurrit *pag.* 428. *edit. Amſt. in* 4. cui epigraphe IMP. TER. Verum perperam videtur *Auguſto* hic nummus adſcribi, qui ſecundum *Tabulas Arſchotanas tab.* VII. *num.* 2. manifeſto eſt *Antonii*, prout & eadem haec Tiara cernitur in altero *Antonii* nummo *ibid. num.* 5.

Aliam Tiaram ſed abſque ornamentis & magis acuminatam, & in Coni formam exeuntem, exhibet nummus *Auguſti*, cui epigraphe ARMENIA CAPTA. in *Tabulis Arſchotanis tab.* x. *num.* 3. apud *Spanhemium* libro citato *pag.* 457. & Celeberrimum & Venerandum meum Praeceptorem, *Job. Georg. Graevium*, *ad Florum*, *pag.* 198.

Tiarae illae fere totum caput velabant, quod Tiaris ſolenne, juxta *Naſonem*,

Tempora purpureis tentant velare Tiaris.

Aliquando vittis aut infulis dependentibus, ut optime patet ex nummo *Tigranis*, apud Illuſtriſſ. *Spanhemium pag.* 455. ut & ex nummo elegantiſſimo *Parthico*, quem ex *Medicea Gaza* produxit idem *Spanhemius pag.* 426. *num.* 11.

Non poſſum non, hac occaſione cum orbe Erudito communicare, elegantiſſimum & rariſſimum Parthicum nummum, hactenus, quod ſciam, a nemine obſervatum. Hujus mihi copiam fecit Vir optimus & mihi amiciſſimus GOSVINUS UILENBROEKIUS, ex ditiſſimo, & omnis generis numiſma-

miſmatibus, Syris, Samaritanis, AEgyptiacis, Graecis, & praecipue elegantiſſima & locupletiſſima Romanorum Imperatorum ſerie, refertiſſimo Gazophylacio.

Eſt nummus argenteus, integer, cujus modulum circulo, cui inſcriptum ARG. expreſſimus.

Ab una parte caput virile, Mitra tectum cum dependentibus vittis aut infulis, barba promiſſa inſtructum, cernitur. Similis fere haec imago ei quae in nummo Mediceo, ab Illuſtr. *Spanhemio* producto, occurrit. Niſi quod circa Mitram nummi noſtri, ornamenta quaedam ſe conſpicienda praebeant, quae in nummo Spanhemiano non obſervantur. Ex quo tamen evinci non poteſt haec ornamenta in nummo Spanhemiano non eſſe: cum Illuſtr. *Spanhemius* diſerte doceat, nummi Iconem ex plumbeo ectypo fuiſſe expreſſam, & veniam petat, ſi in nummo delineando defecerit ars ſculptoris.

Patinus videtur, in ſimili Arſacidarum nummo, ornamenta illa, aut ſimilia, quae extant in noſtro, obſervaſſe, ſed ea rudi modo delineata dedit in *Theſauro Numiſmatum.* Nec aliter *Angelus Caninius.*

Poſt-

Poſtquam ea, quae praecedunt, typis erant deſcripta, comparavi mihi ultimam editionem libri Illuſtr. *Spanhemii* de *Uſu & praeſtantia Numiſmatum*, in quo obſervavi Virum Celeb. nummum illum, quem *Auguſto* ante videbatur adſcribere, de quo nos ſupra pag. 15. in hac editione *Antonio*, cujus revera eſt, adjudicare. Vide eum pag. 453. Profert etiam plurium Arſacidarum numiſmatum ectypa, quae Arſacidarum capita repraeſentant Mitris ſive Tiaris inſtructa, iiſdemque ornamentis diſtincta, quae in Uilenbrochiano conſpiciuntur. De Tiaris hiſce Parthicis ornatu vario diſtinctis, & veſtitu Regum Parthorum fuſe agit, pag. edit. ult. 450. & ſeq.

Nummum *Uilenbrochianum* eximium, ſumma cura & fide a perito ſculptore aeri incidi curavi.

Caput, quod in nummo quem edimus conſpicitur, ſine dubio *Arſacis* eſt, quod patet ex epigraphe in averſa parte. Vittae ſive infulae, aures & malarum partes tegentes, ſatis clare cernuntur.

In averſa parte occurrit hominis figura ſedentis in ſella, & manu tenentis inſtrumentum, quod nobis arcus Parthicus videtur, arcu enim Parthi valebant. Hinc non tantum arcus in aliis nummis Parthicis, a *Spanhemio* editis, ſed etiam in nummo *Auguſti* cum jaculo, & epigraphe DE PARTHIS exprimitur. Sic Rex Perſa ſive Parthus adorans ſolem & ignem arcum tenet, in *monumentis Perſepolitanis*, apud *Chardinum* in *Itinerario Perſico*, *edit. Amſtel. in quarto*, *fig.* LXVIII. Figura ipſa, quae in parvulo nummo minutiſſima, ſi oculus non fallat, juvenilis & imberbis eſt, & ſimilis illi, quae in duobus nummis a *Spanhemio* editis repraeſentatur. Eandem figuram ipſe obſervavi inter nummos Viri humaniſſimi & mihi amiciſſimi *Jacobi de Wilde*, qui plures Arſacidarum nummos poſſidet, inter quos nonnulli exſtant rariſſimi, neque hactenus a Viris

curiosissimis, *Tristano*, *Patino*, *Spanhemio* & *Morellio* observati.

Epigraphe in nostro nummo observatu dignissima est, titulos enim in nummis Arsacidarum hactenus non observatos refert.

Illa, quantum & ego, & spectatissimus ejus Possessor, & Sculptor, oculis etiam microscopio munitis, potuimus assequi, satis integra est, nisi quod ultimum Σ in voce ΒΑΣΙΛΕΩΣ quodammodo detritum sit. Sic autem se habet, ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΜΕΓΑΛΟΥ. ΑΡΣΑΚΟΥ. ΘΕΟΠΑΤΟΡΟΣ. ΝΙΚΑΤΟΡΟΣ.

Literas si spectes, globulis distinctae repraesentantur: quod genus numismatum rei nummariae periti in Gallia vocant, *Medailles perlées*. Observantur tales literae in nummis Antiochorum, Arsacidarum, aliorumque Orientis Regum &c. teste *Montfauconio*, in *Palaeogr. Gr. pag.* 143.

Porro litera O minoris est magnitudinis quam reliquae literae, imo fere unico puncto exprimitur, quod saepe in numismatibus & inscriptionibus observari, probat dictus modo *Montfaucon*, libr. cit. pag. 142. & ipsi observavimus in nummis Ptolemaeorum & Seleucidarum in Gazophylaciis D. D. *Wildii* & *Vilenbrochii*, qui elegantissimos Horum Regum nummos possident.

Eodem modo epigraphe circa figuram scripta est, in quadrato nempe, ut in aliis Arsacidarum nummis, a *Spanhemio* & aliis productis.

ΑΡΣΑΚΟΥ] Nomen Regis *Arsaces* est, quo nomine vocabantur omnes Parthorum Reges ab *Arsace* primo oriundi, ut constat ex *Strabone lib.* XV. & *Justino lib.* XLI. *cap.* 5. quamquam privati *Orodes*, *Phrahates* &c. dicti sunt.

ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΜΕΓΑΛΟΥ] *Regis Magni* titulo Antiqui Persarum Reges superbiebant, ut eruditissime probat *Span-*

Spanhemius, id quod ille *Arſaces*, qui in noſtro nummo repraeſentatur, imitatus eſt. In aliis autem Arſacidarum nummis hactenus editis, hic titulus non occurrit.

ΘΕΟΠΑΤΟΡΟΣ] Rariſſimus eſt titulus, neque in ullis, quod ſciam, Arſacidarum nummis, qui & pauciſſimi, & rariſſimi, obſervatus. Inter Reges Syriae *Alexander I.* qui *Bala* dictus, *Demetrio* devicto occiſoque, regnum Syriae occupavit, ΘΕΟΠΑΤΩΡ nominatur, id eſt, a Deo genitus, cui pater Deus, ex Deo oriundus, *ut incertam & obſcuram originem celaret*, ut Celeb. *Vaillantio* placet, qui nummos hoc titulo inſcriptos, & in ejus honorem cuſos, in *Regum Syriae Hiſtoria* vulgavit, vid. pag. 245. --- 263.

Hoc titulo *Arſaces* in noſtro nummo ſe jactans, originem divinam ſibi arrogavit, & ſe ex Deo genitum gloriatus eſt. Erat veſana illa libido, ſibi Dei nomen, aut divinam originem arrogandi, pluribus Regibus propria. Quis enim ignorat *Alexandri Magni* ſuperbiam, genus ſuum a *Jove Hammone* deducentem? Ipſe *Antiochus*, ſub cujus regno Parthi Duce *Arſace* a Syris vel Macedonibus defecêre, ſe ΘΕΟΝ vocabat. Plura qui velit adeat *Spanhemium* Diſſert. citata.

ΝΙΚΑΤΟΡΟΣ] Denique ΝΙΚΑΤΩΡ dicitur, quod *Victorioſum* ſignificare nemo ignorat. *Seleucus I.* eo nomine inſignitus, in nummis occurrit, poſt victorias ab aemulis reportatas, & regnum Syriae occupatum & conſtitutum: poſtea etiam *Demetrius II.* & *Seleucus VI.* vid. *Vaillant.* Victorioſus ergo in hoc nummo nobis proponitur *Arſaces.* Nec hic titulus in editis Arſacidarum nummis conſpicitur.

Quiſnam autem hic *Arſaces* ſit qui in nummo noſtro exprimitur, de eo certi nihil affirmare poſſum. Si conjecturae locus, *Arſaci primo*, Gentis Arſacidarum Conditori, hunc nummum adſcriberem: *Is erat incertae originis ſed virtutis expertae*, ut *Juſtinus lib.* XLI. *c.* 5. ait. Hinc ΘΕΟΠΑΤΟΡΟΣ

 no-

nomen assumsit, ut obscuram & incertam originem, divina quasi origine tegeret, ut postea *Alexander Bala* Syriae Rex.

Hic *Arsaces* etiam revera ΝΙΚΑΤΩΡ dici poterat. *Seleucum* enim praelio vicit, Parthis libertatem ab jugo Macedonum dedit, & regnum Parthorum sibi, & posteris, vindicavit.

De figura in sella sedenti etiam nihil definire audeo, videant perspicaciores. Forsan *Arsacis* genius est, aut simile quid.

Sed e diverticulo in viam. Clariss. *Braunius* Josephum *Tiaras rectas* forte ob oculos habuisse, conjicit, cum Pileum Sacerdotum Hebraeorum ἄκωνον dicat, quod verisimilius evadit, si observemus ex his quae de Tiaris diximus, eas fere totum caput suis vittis aut Infulis contexisse. Ita enim ad illas mentem intendere potuit, dicens Pileum Sacerdotum non tantum fuisse ἄκωνον, sed etiam *in totum caput non descendentem*, &c. ut hunc a Tiaris rectis in omnibus distingueret.

Verum huic conjecturae subscribere non possum, quia *Josephus* hic de Sacerdotibus, non Regibus agit, & ipse Clar. *Braunius* erudite probavit, Tiaras rectas insignia tantum Regum fuisse, ita, ut si inter Persas alius Tiaram rectam gestasset, is capite plecteretur, *pag.* 416. 417.

Potius conjiciendum est, *Josephum* oculos intentos habuisse in Sacerdotum Gentilium Tiaras, aut capitis tegumenta alia, ut Hebraeorum Sacerdotum Pileos ab illis distingueret.

Dispiciendum ergo, an sint Gentilium Sacerdotes, quorum capita, Tiaris vel Pileis in Coni formam exeuntibus, & fere totum caput velantibus, tecta fuerint?

Plurimos Gentilium Sacerdotes tectis capitibus sacra fecisse, supra indicavimus. Tiaram gestasse Summum Deae Syriae Sacerdotem, testatur *Lucianus* p. m. 907. tom. II. edit.

Bene-

Benedicti: Vestis, inquit, *Sacerdotibus candida, pileumque in capite gestant, Summus autem Sacerdos quotannis alius surrogatur, qui solus purpuream vestem gerit*, καὶ τιάρη χρυσέη ἀναδέεται, *& aurea Tiara redimitur*, sed an haec in Coni formam fastigiata fuerit & maximam capitis partem obtexerit, non liquet. Nisi velimus, ut quibusdam placet apud *Lucianum*, Deam Syriae fuisse Rheam, quae Cybele, Magna Mater, Dea Phrygia est, cujus Sacerdotes probabimus tales Tiaras gestasse. Certum est *Phrygiam Tiaram* in Coni formam fastigiatam fuisse, licet apex quodammodo incurvatus dependebat, & totum fere caput contexisse. Primum patet ex nummo Phrygio apud *Spanhemium* libr. citat. pag. 430. edit. in 4. ubi Phryx supplex cum Tiara in Coni formam exeunte cernitur, cum hac inscriptione, RESTITVTORI PHRYGIAE: alterum ex *Juvenale*, qui *Sat.* VI. *vers.* 516.

- - *& Phrygia vestitur Bucca Tiara.*

Ubi Vetus Interpres: *Tiara est Galea Sacerdotis, quae per malas veniens mento subligatur.* Loquîtur enim Poeta de Sacris Phrygiis Magnae Matris Deûm.

Nec Phrygum Sacerdotes tantum, sed & *Magi* Persarum Sacerdotes, gestabant Tiaras, quae quodammodo Coni formam referebant, & maximam capitis partem obtegebant.

Coni formam habuisse inde elicio. *Strabo lib.* XV. *p.* 1067. edit. Amst. *Almelovenii* testatur: *Tiaras Principum Persarum fuisse similes infulis* (sive Tiaris) *Magorum.* Ita Strabo: Τιάραι παραπλήσιαι ταῖς τῶν Μάγων. Ex nummis vero patet Principes Persarum Tiaras gestasse in Coni formam exeuntes. Videatur nummus *Augusti* in Tab. *Arschotanis*, tab. XIII. num. II. cui haec inscriptio: L. CANINIVS GALLVS IIIVIR. & alius cum hac epigraphe, CAE-

SAR AVGVSTVS, SIGNIS RECEPTIS, apud *Spanhemium* pag. 430. In utroque nummo Vir Persa sive Parthus conspicitur, qui signa olim Romanis ademta, supplex refert; vir sane non infimae conditionis, sed ut ex habitu patet, Princeps. Hic caput tectum habet Tiara, quae Coni formam exprimit, licet apex in uno nummo incurvatus dependeat: constat autem Parthos, tam in Vestibus, quam aliis rebus, veteres Persas imitatos fuisse; hinc quia Vir Princeps Parthicus, Tiaram gestavit in Coni formam fastigiatam. Et cum secundum *Strabonem*, Tiara Principum similis fuerit Tiarae Magorum; sequitur Magorum Tiaram coni formam habuisse. Sic Sacerdotis imago in *Mithrae* sacris, (quae sacra ex Persia oriunda) occurrit, gestans Tiaram in Coni formam exeuntem, similem Tiaris quae in nummis citatis repraesentantur, quod videri potest in tabulis *Mithriacis*, apud *Leonardum Augustinum* in Gemmis, & praecipue in Viri Celeb. *Jacobi Gronovii* praefatione ad has Gemmas, & apud *a Turre* in *Monumentis Veteris Antii.* Adde quod in monumentis, ut vocant, Persepolitanis, (quae quidam rudera Veteris Persepolis ab *Alexandro* destructae, alii recentius Parthorum opus esse censent) inter figuras in pariete exsculptas, solenni pompa procedentes viros exprimentes, tres occurrunt, quorum capita Tiaris in Coni formam exeuntibus, tecta sunt, quique manibus pateras portant, sine dubio ad sacrificia peragenda, ac proinde Sacerdotes & forsan Magos repraesentant, cum ceterus populus, imo ipse Rex adorans Solem & ignem, pileis depressioribus utantur, vid. *Chardinum* libr. citat. tom. III. fig. LVIII. LXVII. & LXVIII.

Notandum etiam fere tota Magorum capita, cum sacra facerent, his tiaris tecta fuisse, ita ut praeter oculos & nasum, nihil de facie apparuerit, diserte hoc testante *Strabone* *lib.*

lib. XV. *pag.m.* 1066. edit. memoratae. Τίαρας περικείμενοι πιλωτὰς, καθηκύιας ἑκατέρωθεν. μέχει τοῦ καλύπτειν τὰ χεῖλη, καὶ τὰς παραγνάθιδας. *Pileis infulis velati ex utraque parte dependentibus, adeo ut vittae labia contegant & malas.*

Hyde, in libro de *Veterum Magorum religione* monet, *Gevros*, (ſunt *Gevri* reliquiae Veterum Perſarum Ignicolarum) cum maxime inter ſacrificandum caput non tantum tegere, verum etiam buccam veſtire taenia lata, ita ut praeter naſum & oculos nihil de facie conſpiciatur. Vide modum buccam veſtiendi figuris expreſſum, in libro citato pag. 369. Sententiam *Strabonis* etiam nos figura exprimi curavimus.

Tandem obſervandum, etiam Romanos Sacerdotes pileis caput contexiſſe, & quidem Pileis in Coni formam exeuntibus, & totum fere caput contegentibus. Quis Antiquitatis ſtudioſus ignorat, APICEM celeberrimum illud capitis tegumentum? quo utebantur inter Romanos, Flamines, Salii, & alii Sacerdotes.

Optime Celeberr. *Braunius*, & ante ipſum Eruditiſſimus *Philippus Rubenius* in *Electis ſuis* probarunt, *Apicem* ut plurimum habuiſſe Coni formam. In ſummo apex apparebat, modo longior, modo brevior, qui Apex pileo nomen dedit. Non libet evagari in deſcribendo Romanorum Apice, cum *Rubenius* in *Electis* pag. m. 71. & *Braunius* pag. m. 431. -- 435. id jam occuparint. Quae ad rem meam faciunt paucis tantum explicabo.

Coni formam ut plurimum habuiſſe, *Dionyſius Halicarnaſſaeus*, lib. II. tradit. de Saliis enim verba faciens, inquit, Καὶ τοὺς καλουμένους ἄπικας ἐπικείμενοι ταῖς κεφαλαῖς, πίλους ὑψηλοὺς εἰς σχῆμα συναγομένους κωνοειδές. *Et Apices uti vocantur capitibus imponebant, pileos ſcilicet altos in modum Coni.*

Adſtipulantur *Feſtus* & *Varro*. *Feſtus* quidem p. m. 300. edit.

edit. *Scaligeri*, ſcribens de *Tutulis* capitis tegumentis, ait, *Quidam volunt Pileum lanatum forma metali figuratum, quo Flamines ac Pontifices utuntur, eodem nomine vocari.* Quibus verbis *Apicem* ob oculos habuit, nam eo utebantur Flamines & Pontifices. Hinc cum Apicem ſive Pileum lanatum Flaminum, dicat *metali forma* fuiſſe *figuratum*, indicat eum formam Coni habuiſſe, nam *forma metalis*, eſt forma metae Circenſis, quae metae Coni formam habebant. *Varro* autem de *L. L. pag.* 75. edit. Dordrac. *Tutulati dicti hi, qui in ſacris, in capitibus habere ſolent* (tutulum nempe ſive pileum) *ut metam.*

Nummi etiam Apices, metalem formam habentes, exhibent. Vid. nummum *Caeſaris*, tab. *Arſchot.* II. num. 7. & tab. III. num. 20. & Triumvirorum *Auguſti* & *Lepidi*, tab. VI. II. alioſque paſſim obvios.

Marmora fateor Apicem repraeſentant in Coni formam non exeuntem, ſed orbiculatam figuram exprimentem. Teſtatur hoc *Rubenius*, qui & figuras Apicum ex marmoribus duas orbiculatas adfert, *pag.* 73. Eandem figuram orbiculatam exhibet ſtatua Salii in *Admirandis*, a Bellorio editis.

Ex Cono tamen & orbe mixtus eſt apex in marmore Clivi Capitolini, quem non immerito *Rubenius* conjicit fuiſſe *Flaminis Dialis*; cum quia in eo fulmen & ramus oleaginis apparent, tum quia in Clivo Capitolino fuerat Jovis Tonantis templum, cujus fruſtum hoc marmor videtur. Aeri incidi & hunc curavimus.

Deliberandum reſtat, num Apices totum fere caput contexerint. Si marmora inſpicias, apices tantum ſummitatem capitis contexerunt: ſi nummos, habuerunt redimicula, vel infulas aut vittas, quibus per aures & malas venientibus, mento ſubligabatur apex; praeterquam quod figura quae in nummis eſt, apta magis erat ad in caput deſcendendum, quam quae in mar-

marmoribus. Aſt Apicem Flaminis Dialis fere totum caput contexiſſe ex adjecta figura conſpici poterit: nam ſecundum hanc figuram capiti imponendus erat ut Galea ſive Caſſis, cervicem, malas, mentum, & ſic fere totum caput obtegens.

Hos Sacerdotum, ſive Phrygum, ſive Syrorum, ſive Magorum aut denique Romanorum pileos, *Joſephum* ob oculos habuiſſe, veriſimile videtur, cum Pileos Sacerdotum Hebraeorum dicat fuiſſe ἀκώνυς & *in totum caput non deſcendentes*, &c. Ita enim monere voluit ſingulare quid conſpiciendum fuiſſe in Sacerdotum Hebraeorum Pileis, quod in aliis non obſervabatur, eos nempe uſos fuiſſe pileis depreſſioribus, totum vultum & maximam capitis partem apertam relinquentibus, nec impedientibus quo minus decus faciei appareret. Quod tamen non ita cum *Hieronymo* & *Magiſtris*, quos & hic ſequitur *Braunius*, accipiendum eſt, ac ſi Pileus Sacerdotis tantum ſummo vertici fuerit impoſitus; hoc enim fieri vix poterat, imprimis ſi *Magiſtrorum* ſententia ſtet, Pileum *ex faſcia* XVI *ulnas longa capiti circumvoluta*, fabricatum fuiſſe. Tanta enim moles ſummo tantum vertici impoſita, inter ſacrificandum capiti non adhaeſiſſet, multo minus vento, cui Sacerdotes in Atriis ſub dio expoſiti erant, reſtitiſſet. Rem ergo ita concipio, faſciam circa tempora & occipitium circumvolutam fuiſſe, & comam frontis contexiſſe, ita, ut ſi ſuperiorem partem auriculae non texerit, ſaltem illi impoſita fuerit Tiara, prout Turcarum *Dolbantes* auriculae innituntur.

Joſephus porro nomen Pilei Sacerdotum exprimit: *Vocatur autem Maſnaemphthes*. In Graecis eſt Μασναέμφθης, ut jam ſupra obſervavimus. Certe hac voce Hebraeorum מצנפת *Mitznephet* exprimere voluit. Aſt cum Graeca vox nimium ab Hebraea recedat, inquirendum eſt an editiones quae ita

legunt, nobis genuinam lectionem exhibeant. Quod ad me attinet, vix adducor ut credam *Josephum* ita scripsisse.

Terminatio nullam quidem difficultatem habet. Hebraeam enim vocem Graece exprimere cupiens, addidit terminationem Graecis auribus magis assuetam. Difficultas praecipua est in litera M ante literas φθ, deinde in primis syllabis Μασνα.

Literam μ a Librario esse intrusam mihi persuadeo, nec miror: vetus enim Librariorum, sive error, sive mos fuit, ante literas duplices, literam μ intrudere, & imprimis ante φθ. Observatur hoc in optimo Bibliorum Graecorum Codice MS. Alexandrino qui Londini asservatur, monente doctissimo *Grabio* in suis, ad Octoteuchi hujus Codicis editionem, Prolegomenis, nam ibi fere semper pro ληφθεὶς scribitur λημφθεὶς, &c.

Ita haec menda, quae in Bibliorum Codicibus reperitur, facile etiam aliorum Scriptorum libris irrepere potuit.

Hinc *Josephum* μασναέφθης scripsisse putem, cui lectioni adstipulantur Codices *Sambuci* & *Bigotii*, indicante Clariss. *Bernhardo* in suis ad hunc locum notis, *in edit. Oxoniensi.* Hoc etiam propius accedit ad vocem Hebraeam, si eam spectemus secundum dialectum Chaldaicam, Syriacam & Rabbinicam. *Onkelos* & *Jonathan*, in suis paraphrasibus Hebraeorum מצנפת, exprimunt per מצנפתא, *Matzneptha.* Ita & Syri & Rabbini in suis versionibus. Jam tempore Josephi dialectus Chaldaica & Syriaca obtinuit inter Judaeos, qui pro *Mitznephet* pronuntiarunt *Matzneptha*, quod Josephus, si ultima spectes, commodius efferre non potuit Graeca pronuntiatione, quam per *Masnaephthes*, Μασναέφθης. Adhaec *Hieronymus*, & post eum *Petr. Comestor*, legerunt *Masnephet.* Hodierni Judaei Hebraeum *Mitznephet* exprimunt *Mesnephet.* *Bosius* tamen maluit legere μασαναφάτης. Vid. *Bernhardum.*

Bosii

Boſii lectioni in primis vocis ſyllabis ſcribendis, favet Reverendus *Franciſcus Burmannus F.* Symmyſta cognatione & amicitia mihi conjunctiſſimus, qui *Joſephum* ſumma diligentia & improbo labore perlegit, & multa notatu digniſſima in eo obſervavit. Is, cum ei ſchedas meas examinandas tradidiſſem, notavit; *Joſepho* in more poſitum eſſe, in mutandis vocibus Hebraicis in Graecas, loco ſchevatis quieſcentis ſubſtituere vocalem A, hoc enim patere in voce אבנט, quod Hebraei pronuntiant *Abhnet*, ſed *Joſephum* hac ipſa in pagina ſcribere Ἀβανηθ, quomodo מכנסים *micneſim*, reddit per *manachaſen*, μαναχάσην; hinc Vir Rev. pro μασναέφθης legendum eſſe μασανέφθης, cenſet; cum in voce מצנפת ſcheva quieſcens ſit ſub litera צ, cui viri Docti obſervationi & nos ſubſcribimus, & pro Μασναέμφθης legimus Μασανέφθης.

Hiſce praemiſſis accedit *Joſephus* ad deſcriptionem *Formae* & *Fabricae* Pilei ſive Tiarae Sacerdotalis. *Tali*, inquit, *erat ſtructura*] *Tali erat paratu* vertit *Gelenius*; *tali erat fabrica*, etiam verti poſſet. Incipit ergo ſtructuram ſive fabricam ipſam deſcribere, & quidem, primo loco partis inferioris, deſcripturus poſtea partem ſuperiorem; nam *Sindonis* mentionem facit, qua reliqua pars ante deſcripta, contegebatur.

Inferioris Pilei partis fabricam deſcripturus, ita pergit *Joſephus*: *Ut Corona videretur, ex textura linea, taenia facta eſt craſſa; Etenim complicata conſuitur ſaepius*] Haec verba habent difficultatem. Inſpiciamus ergo ipſum Joſephi textum, ὡς στεφάνη δοκεῖν ἐξ ὑφάσματος λινέου ταινία πεποιημένη παχεῖα. καὶ γὰρ ἐπιπτυσσόμενον ῥάπτεται πολλάκις.

Verba ὡς στεφάνη δοκεῖν, nec edita vetus Verſio, nec *Gelenius*, ut monui, integre reddiderunt. Vox στεφάνη prorſus in ambabus Verſionibus omiſſa eſt. Typographi vitio forſan in *Gelenii* verſione vocem *Coronam* excidiſſe ſupra conjecimus,

 quia

quia ſine illa ſenſus non conſtat. Eadem de cauſa, Librariorum vitio, eandem vel ſimilem vocem in veteri Verſione omiſſam eſſe, mihi perſuadeo. Saltem Cod. *Voſſii*, indicante *Bernhardo*, vocem *coronamentum* agnoſcit, *ut Coronamentum videatur.*

Coronae formam, Sacerdotis Tiaram quodammodo expreſſiſſe, *Joſephus* hiſce verbis ὡς στεφάνη δοκεῖν innuere videtur. Utitur phraſi ὡς δοκεῖν etiam ubi de balteo Sacerdotum agit. Ut enim indicaret balteum habuiſſe formam exuviarum ſerpentis, ita ſcribit, contextum balteum ὥς τε λεβηρίδα δοκεῖν ὄφεως, *ut videretur pellis viperea*, ut formam exuviarum ſerpentis repraeſentet. Itaque de Pileo ſcribens ὡς στεφάνη δοκεῖν, indicat pileum ita fabricandum fuiſſe ut coronam referret. Sane vox στεφάνη idem ac στέφανος, Coronam caput cingentem ſignificat. Variae fuerunt coronae & ex varia materia. Conficiebantur enim ex arborum frondibus, & floribus inter ſe nexis, quae proprie Latinis *corollae* dicuntur, etiam ex auro, argento & alio metallo, gemmis & aliis ornamentis ornatae. Tandem ex lino, faſcia nempe linea ſive byſſina, candida vel purpurea, ſemel vel pluribus voluminibus circum caput voluta & nexa; hae coronae vulgo diademata vocabantur. Regum & virorum Principum inſignia, nudum relinquebant verticem, & circa tempora & ſummitatem frontis volvebantur. Forma ex nummis praeſertim Seleucidarum & Ptolemaeorum hauriri poteſt. Tale Diadema, Coronae genus, exprimebat Pileus Sacerdotum, ut ex ſequentibus patebit. Ut id fieret *Joſephus* indicat tam materiam, quam conficiendi modum.

Materiam primo loco deſcribit, dicens ex ὑφάσματος λινέου (Genev. editio legit λινοῦ, quod unum idemque) ταινία πεποιημένη παχεῖα. Ex *Lino* inferiorem Pilei partem fuiſſe, diſerte hic affirmat *Joſephus*, imo etiam ſuperiorem partem, doce-

docebit in ſequentibus, quod confirmat ea quae *Cap. II. de Materia Pileorum* diximus ex ſacra Scriptura. Imitati hoc ſunt ipſi Gentiles. Sic *Silius Italicus* de Sacerdotibus Herculis canit,

- - - velantur corpora lino
Et Peluſiaco praefulget ſtamine Vertex.

Sic praefulgebat vertex Sacerdotum Hebraeorum ſtamine Peluſiaco, nam ἐξ ὑφάσματος λινέου ταινία πεποιημένη παχεῖα, ex *ſtamine*, *textura*, *tela linea*, conficiebatur ταινία, Latine *taenia*, *vitta*, *faſcia*; Belgis **een lint / een windzel /** omne id ſcilicet quod tenue & oblonge textum eſt. *Taenia* vel *faſcia linea* ex lino texta & oblonga, inferiorem pilei partem conſtituebat. Convenit hoc cum Magiſtrorum placitis, qui pileum ex faſcia linea confectum volunt. Longitudinem & latitudinem taeniae non definiunt, nec ſacrae Literae, nec *Joſephus*, ſed longitudinem indicat *Maimonides*, nempe *Faſciam longam fuiſſe* XVI *ulnas*, quibus teſtibus, non addit, aſt latitudinem tacet. Diademata ex faſcia linea fuiſſe confecta, jam enarravimus. Conſtat etiam Orientales jam olim capita faſciis lineis involviſſe. Obſervandum tandem eſt, ταινίαν hanc dici παχεῖαν, Latine *craſſam*, *denſam*. Sed quid *Joſephus* in animo habuerit, cum ταινίαν παχεῖαν dicat, paulum obſcurius eſt. Forſan monere voluit hanc taeniam non fuiſſe textam filis tenuioribus, vel ſimplicioribus, ſed craſſioribus vel retortis. Si conjectura mea, quam *Cap. II.* de voce שש propoſui, admittatur, nempe שש ſignificare texturam lineam ſextuplici filo ſimul textam, *Joſepho* cum ſacris Literis conveniet, nam hae dicunt, Pileum fuiſſe confectum ex שש, *ex tela linea ſextuplici filo ſimul texta*, **ſes-draat /** quae tela ſane meretur dici παχεῖα, *craſſa*. De veſtibus haec vox invenitur apud *Pollucem*, edit. Amſtel. pag. 1303. craſſio-

reſque veſtes ibi opponuntur tenuioribus. Hinc evincitur, taeniam ex qua conficiebatur pileus, ſecundum *Joſephum* & Sacras Literas, non fuiſſe ex tenuiſſimis filis textam, ſed ex craſſioribus, ne facile dilaceraretur, quod facillime eveniſſet, ſi ex tenuiſſimis & ſimplicibus filis conſtitiſſet. Forte taenia haec eodem modo texebatur ac *Bracae*, & *tunica teſſellata*, vel *ocellata* Sacerdotum, quae ex filis retortis, **getwernde draden** / ſingulari arte texebantur, noſtrates dicerent **gekeepert / pellen of pel-werk / ſervet-doek.** Taenia enim tali modo texta non tantum craſſior, ſed & fortior fuiſſet.

Modum Pileum conficiendi, & quidem ut Coronam referret, explicat *Joſephus* his verbis, καὶ γὰρ ἐπιπτυσσόμενον ῥάπτεται πολλάκις. Verbum ἐπιπτυσσόμενον, ad ὕφασμα referendum eſt, ſignificat ἐπιπτύσσω proprie *complico*; complicanda erga fuit textura haec linea quae craſſam taeniam conficiebat, ut Coronam referret, ſine dubio circa caput, nam alioqui Coronam ſive Diadematis formam non exprimeret. Oculum proinde intendit in artificioſam illam complicaturam Orientalium, qua taeniam plurimas ulnas longam, circa caput pluribus ſpiris & voluminibus complicant, quod *Tacito* eſt *orbes ſinuare*. Utitur enim hac phraſi ubi Parthicum diadema deſcribit, *Annal. lib.* VI. Eandem ergo ſententiam tuetur *Joſephus* cum Judaeorum Magiſtris. Ita loquitur *Maimonides : Tiara, ſive Summi Pontificis, ſive ceterorum Sacerdotum, longa erat ſedecim ulnas. Convolvunt* (caput) *aliquoties, ligantque involucrum ſupra involucrum.* Deinde: *Mitra eſt qua involvitur caput, inſtar membri fracti.* Sic & vocem Hebraeam מצנפת exprimit ex etymo ſuo. Taenia haec, ut diadema, ipſum caput cingebat, verticemque nudum & apertum conſpiciendum praebebat, poſtea ſindone contegendum. Majorem difficultatem habent ſequentia verba

verba ῥάπτεται πολλάκις. Quomodo haec verba ſint reddenda, & in ſignificatione verbi ῥάπτειν vel ῥάπτεσθαι, controverſia eſt inter *Joſephi* Interpretes. Cl. *Braunius* hanc fovet ſententiam, omnia Sacerdotum & Pontificis Hebraeorum veſtimenta ſacra, imo ipſa rotunda & clauſa, cum manicis & fimbriis ſuis, abſque acus ope, ſola textura abſoluta fuiſſe, & ut ſententiam ſuam omnibus probet, ſacras Literas & Judaeorum Magiſtros teſtes adducit. Veterumque artem veſtes rotundas & clauſas cum manicis & fimbriis ſuis texendi, ex oblivionis puteo, ubi ſepulta latebat, in dias luminis auras producit. Hinc nullam ſuturam, nullum acus veſtigium, nec in Pileo nec in ceteris veſtibus, niſi in opere Phrygio, admittendum cenſet. Fatendum ſane ſacras Literas diſerte teſtari, & *Tunicam*, & *Pallium* Pontificis cum *fimbria ſua*, fuiſſe, *non opus acus*, מעשה מחט, ſed *opus textoris*, מעשה אורג, *Exod.* XXVIII. 32. & XXXIX. 22, 23, 27. adſtipulatur de *Tunica*, de *Bracis* & *Pileo* Rabbi *Maimonides* : *Et veſtes illae Sacerdotis omnes non fiunt opere acus, ſed opere textoris, ut dicitur* OPUS TEXTORIS. Verum *Joſephus*, ubi de Bracis, de fimbria Pallii Pontificis, & hic de Pileo Sacerdotis agit, utitur verbo ῥάπτειν vel ῥάπτεσθαι. Sic enim de Bracis aut conſtrictorio ait, fuiſſe illud περὶ τὰ αἰδοῖα ῥαπτὸν; ſic etiam verba Moſis, de fimbria Pallii Pontificis, qua vult fimbriam illam *adtexendam eſſe*, *Exod.* XXVIII. 32. reddit πέζα δὲ περιέρραπται. Si in hiſce caſibus verbum ῥάπτειν in propria & genuina ſignificatione, qua notat *ſuere*, *conſuere acus ope*, accipiamus, utique *Joſephus* cum ſacris Literis pugnabit. Statuendum ergo cum *Braunio*, aut *Joſephum* errare, aut haec contra legem facta, aut *Joſephum* verbo ῥάπτεσθαι non uti in propria & genuina ſua ſignificatione. Quid mihi hic ſentiendum, dubius haereo. *Joſephum* erroris arguere, in rebus quae ipſi prae oculis olim erant, prae-

praecipue cum in describendis ceteris vestibus & vestium conficiendorum modis, satis apte Mosis sententiam exprimat, non tam facile in animum inducere audeo. Nec mihi persuadere possum, Judaeos veterum rituum tenacissimos, in vestibus quid, contra ipsa Legis verba, immutasse. Hinc tertium amplector, nempe *Josephum* verbo ῥάπτεσθαι non uti in propria sua significatione, sed generaliori pro *committi*, *connecti*, quod textura aeque ac acu absolvi potest. Sane ῥαφὴ non tantum notat stricte *suturam* quae ope acus fit, sed omnis generis commissuram, id quod Medicorum filiis satis notum est, qui solent commissuras cranii ῥαφὰς, Latine *suturas* vocare. Sic ῥάφιδες non tantum *acus*, sed & *fibulae* sunt, quibus vestes committuntur. Si ergo substantiva, a verbis derivata, generaliorem significationem admittunt, quare verbum ipsum hanc non admitteret? Si ita rem concipiamus, conveniret *Josepho* cum sacris Literis & Judaeorum Magistris, & verba nostra ῥάπτεται πολλάκις reddere possemus *saepius committitur* aut *connectitur*. Sic vetus interpres: *Habens vittas quae involutae saepius connectuntur.* Hinc *Josephus* nobis ob oculos poneret, commissuras illas sive spiras, quas taenia suis voluminibus circa caput efficit, connectendas sive committendas fuisse *saepius*, & quidem artificiose, ne taenia de capite deflueret. Nam probe hic attendendum, fasciam sive taeniam, non circa pileolum aliquod fuisse complicatam, ut Turcarum & Persarum Tiarae, quae ipsis *Dolbant*, nostris **Tulbant**/ vocantur, sed circa nudum caput, ut magis ex his quae sequuntur patebit. Hinc aut vittis aut complicatura artificiosa fascia haec, eo modo constringenda, & *saepius* connectenda fuit, ne deflueret aut delaberetur, quod eo magis necessarium erat, si statuamus non singulis diebus hanc fasciam circum caput fuisse complicatam, hoc enim nimium temporis trivisset: sed ita fuisse con-

fectam

fectam ut complicata capiti imponi, & de eo deponi facile posset.

Pergit ad descriptionem partis *superioris* Pilei. Incipit hisce verbis.

Deinde Sindon ipsum superne undique circumcingit] Pertinet & hoc ad descriptionem modi pileum conficiendi. Pileo, ut Coronam referret ex taenia linea complicata & connexa, ex parte confecto, addebatur *Sindon*.

Sindon, licet pannum lineum & quidem pretiosissimum, Pelusiacam Byssum significet, attamen ex *Polluce* & Euangelio patet, esse vestimenti genus quo aliquid circumvolvitur: sic *Pollux*, Σινδὼν ἐστὶν Αἰγυπτία μὲν, περιβολαίον δ' ἂν εἴη τὸ νῦν δικρύσσον καλούμενον. *Sindon est AEgyptiaca, estque amiculum, quod jam utrinque fimbriatum vocatur.* Sic pro veste usurpatur in Euangelio *Marci* XIV. 51. nam juvenis ille, qui noctu aufugiebat, Sindone vestitus erat. Dicit enim *Marcus*, eum περιβεβλημένον Σινδόνα, fuisse *amictum Sindone*, pro quo *circumjectam habuisse Sindonem* malim, quod putem Sindonem fuisse vestimenti genus non clausum, aut rotundum, sed apertum, quod corpori *circumjiciebatur*, ut vestes multorum Orientalium, ita ut si quis laciniam teneret, facile illud de corpore detraheret, uti accidit juveni in Euangelio, qui aufugiebat relicta Sindone. Sic & apud Talmudicos & profanos Auctores de veste usurpatur. Vide *Bynaeum*, qui plurima de Sindone congessit, in libr. *de Christo crucifixo*, p. 285. edit. Belgicae. Proinde hoc loco Sindon integumenti genus erit, nam *Josephus* testatur Sindonem hanc, *ipsum* (pileum nempe) *superne undique circumcinxisse.* Pilei pars ex taenia complicata ut coronam referret, jam erat absoluta, restabat alia pars qua prima tegebatur & involvebatur, quod fiebat *Sindone*, nam Sindon *undique* pileum, jam in Coronae formam complicatum & connexum, *circumcingebat*, nam haec est vis verbi ἐκπεριέρχεται.

Et quidem circumcingebat ἄνωθὲν, *ſuperne*, *deſuper*. Ita ut Sindon deſuper capiti injecta, partem capitis nudam, verticem nempe, taeniamque & ex ea confectum pileum, undique texerit, quod in ſequentibus explicabitur. Quaeritur jam quid hic per Sindonem intelligat *Joſephus*, an Sindon haec diverſa a taenia, an ad eam pertinuerit, ita ut pars vel lacinia taeniae fuerit? Quidam hanc Sindonem ad taeniam non pertinere, ſed linteolum aliud & diverſum fuiſſe, ſtatuunt. Ita *Hieronymus*, *Vetus Interpres* & *Gelenius*; Hieronymus, *Pileum fuiſſe byſſinum ſic fabre linteolo opertum, ut nulla acus veſtigia extrinſecus apparerent.* Vetus Interpres ſic *Joſephum* reddit, *Deinde aliud unum velamen deſuper circumdatur.* Gelenius, *quam ſuperne alia tela integit.* Celeberr. *Braunius* in diverſa abit, conjicit enim Sindonem ad taeniam pertinere, ne cogatur ſtatuere Pileum Sacerdotis ex duabus partibus conſtitiſſe, quod ipſi videtur eſſe contra perfectionem ſacrarum veſtium. Ita conjecturam ſuam proponit. *Si itaque mihi conjecturare liceat: Ego dicerem, extremam ſive ultimam partem faſciae, ex qua Tiara componebatur, expandi ſolere ut inſtar galeae omnes plicaturas, ſpiras & commiſſuras involucrorum ſimul tegeret, atque operiret, & fortaſſis eodem modo facta erant redimicula, ut in bracis, quae extremam partem toti compagi ſpirarum & orbium impoſitam, contraherent & ſtringerent.* Quod in adjecta tabula clarius exprimitur. Sed difficultatibus haec conjectura, licet ingenioſa, non caret. *Primo*, modus expanſionis taeniae, ita ut omnes ſpiras & involucra contegat extrema pars, prout illam figura expreſſit, concipi non poteſt, niſi ſtatuatur faſciam fuiſſe concavam, ita ut caput ei inſeri poſſet, quod tamen taeniae non convenit. Deinde taeniam latam fuiſſe oportebat minimum ultra dimidiam ulnam & plus, ſed ſi ſtatuatur taeniam fuiſſe longam XVI ulnas, ut Clar. *Braunius* cum

cum Judaeorum Magistris censet, & ut diximus, crassioribus filis contextam, παχεῖαν, an talis latitudo tam longae fasciae caput non nimium agravasset, & Tiaram in indecoram molem expansam dedisset? sane mihi videtur. Hinc licet in Graeco textu vox *aliud* aut *alia* non occurrat, putem tamen *Josephum* per Sindonem, lineum pannum, aut, ut cum *Hieronymo* loquar, *linteolum* a taenia distinctum, intelligere. Nec perfectio sacrarum vestium poscit quod *Braunius* vult. *Ephod* enim ex duabus plagulis, praeter vittas, quibus connectebatur, compositus erat. *Sindon* proinde *Josephi* mihi est velamen byssinum, non crassiori filo textum ut taenia, sed Pelusiacum, subtilioribus filis textum, fimbriatum, candidum, aspectu gratum, quo totum caput superne, & taenia crassior complicata ut Coronam referret, tegebatur ad frontem usque. Addit enim *Josephus:*

Descendens usque ad frontem, suturam taeniae & quidquid ab ea indecorum, occultans.] Taenia linea maximam frontis partem apertam relinquebat, sed ad frontem tamen descendebat, ut probavimus, hinc Sindonem, ut *superne* non tantum caput tegeret, sed & taeniam in coronae formam complicatam, ad frontem usque descendere oportebat. Ratio erat, ut *suturam taeniae & quidquid ab ea indecorum, occultaret.* Secundum ea quae supra disputavimus de significatione vocis ῥάπτεσθαι apud *Josephum*, per ῥαφὴν hic intelligenda non est sutura quae acus ope fit, sed commissura orta ex spiris & orbibus complicatae taeniae, vittis aut alio modo connexae, unde vetus Interpres, *pilei illius ligaturas celans.* Commissurae suis nexibus *indecorum*, deforme quid, oculis ostendisse videntur, hinc Sindone tegebatur, ita ut omnia plana intuenti apparerent, & quicquid deformitatis & indecori relictum esset, aut ex complicatura taeniae, aut in capite ipso, quod a

 taenia

taenia non undique obtegebatur, ita occultaretur. Pergit enim

Totique cranio aequalis facta] Ita ad verbum Graeca, καὶ ὅλῳ δέ τῷ κρανίῳ γιγνομένη ἐπιπεδὸν, reddimus. Vetus & *Gelenius* reddiderunt, *celans aut obtegens totius capitis superficiem.* Κράνιον capitis superficiem ad tempora & aures significat, & ἐπιπεδὸν γιγνομένη *aequalis facta.* Mens *Josephi* est indicare, Sindonem affabre totam capitis superficiem, aut nudam, aut taenia tantum tectam, contexisse.

Adaptaturque perfecte, ne corruat operante circa sacra] Si haec de Sindone sola intelligamus, de qua proxime *Josephus* egerat, indicatur, Sindonem hanc adstrictam capiti fuisse, ita ut taeniam undique premeret, & ita totum pileum firmiter capiti adstringeret, ne inter sacrificandum de capite Sacerdotis decideret, hoc enim turpe Sacerdotibus Hebraeorum fore, *Philo* testatur. Gentiles redimiculis pileos alligabant, qualibus Phrygiae tiarae sub mento subligabantur, & conspiciendae sunt in Apicibus Romanorum. Sacra Scriptura jubet quidem, *Pileos alligabis* Sacerdotibus, sed quo modo hoc faciendum, non indicat, nec *Josephus* satis distincte rem exponit, nam modum, quo Sindon expandebatur & nectebatur, non enarrat. *Hieronymus* vult *vitta in occipitio pileum strictum* fuisse. Modus, in tabula a *Braunio* edita, pag. 429. optime spectari poterit. Concipit enim vittam extremam Sindonis partem hinc inde permeantem, quae in occipitio constricta pileum capiti adaptabat & adstringebat. Hoc enim modo Sindone capiti adaptata, non facile corrueret pileus, licet Sacerdotes operarentur sacris.

§. 4. Si ergo *Josephi* mentem rite assecuti simus, constabit, ut vela contraham, Sacerdotis pileum non fuisse acuminatum, sed depressum, compositum ex duabus partibus, cujus inferior pars erat fascia linea in longum texta, quae cir-

cum

Explicatio Figurarum ad Sacerdotes ſpectantium.

A. *Caput Sacerdotis Hebraeorum, cum Taenia linea, inſtar Coronae ſive Diadematis complicata, inferiorem Pilei partem conficiente*, pag. 30.

B. *Sindon caput & faſciam undique obtegens ſuperiorem Pilei partem conficiens*, pag. 37.

C. *Nummus Auguſti, Tiaram rectam exhibens*, pag. 14.

D. *Nummus Auguſti, exhibens Mitram Parthicam*, pag. 15. lin. 14.

E. *Nummus ex* Oudanio, *Armeniam repraeſentans cum Tiara in Coni formam exeunte.*

F. *Nummus in quo Apex conſpicitur*, pag. 24.

G. *Apex Flaminis Dialis in marmore Capitolino*, pag. 24.

H. *Caput Magi bucca velata*, pag. 23.

cum caput ita complicabatur & ſaepius connectebatur, ut Coronam aut Diadema referret. Cooperta deinde Sindone, quae ſpiras & plexus taeniae, verticemque nudum undique cingebat & obtegebat, ita, ut nihil indecori conſpiciendum ſe praeberet intuenti, adaptatus adeo fuit pileus, ut licet Sacerdotes ſacris operam darent, non corrueret nec de capite decideret. Figura ſententiam Joſephi exprimi curavi, quae in adjecta tabula conſpici poteſt. Haec Joſephi de Pileo ſententia, ſacris Literis non eſt contraria, ſed in pleriſque amice cum illis conſpirat, modumque quo capiti adaptabatur, quem illae tacuerant, breviter explicat. Nec etiam longe ab Hebraeorum Magiſtris recedit. Hinc fidem *Joſepho*, in his, quae oculis ſingulis fere diebus cum Hieroſolymis degeret, uſurpaverat, denegare piaculum duxi.

§. 5. De colore Pilei Sacerdotum quaedam breviter ſubnectenda ſunt. Fateor expreſſis verbis non conſtare, cujus coloris Pilei fuerint, ſed cum dicantur ex lino fuiſſe, nulla mentione de colore facta, patet albos fuiſſe, ſiquidem omne linum ſua natura *album* eſt. Hinc cum *Joſephus* colores veſtimentorum ſacrorum recenſeat, *Lib.* VI. *de Bello Judaico*, *cap.* VI. *Auri*, *purpurae*, *cocci*, *Byſſi* & *Hyacinthi* mentionem facit, ubi per Byſſum ſane colorem album indigitavit, dictam ob rationem. Adſtipulantur Magiſtri. Vide de his *Braunium*, *lib.* I. *cap.* XI. ubi probat, apud *Joſephum* & in ſacris Literis, *Aurum* & *Byſſum*, & Materiam, & Colorem ſignificare, & *Purpuram*, *Coccum* & *Hyacinthum*, non tantum colores, ſed lanam hiſce coloribus tinctam & infectam.

CAPUT V.

DE FORMA

מ צ נ פ ת

Sive

PILEI SUMMI PONTIFICIS.

§. 1. Hactenus Formam Pileorum totius Sacerdotum turbae, qui in sacris מגבעות vocantur, descripsimus. Tempus erit in FORMAM מצנפת *Mitznephet*, sive Pilei Summi Pontificis, inquirendi. Monuimus jam sacras Literas nihil de forma & fabrica ejus disserere. Similem tamen in quibusdam Pileo Sacerdotum fuisse, inde collegimus, quod ultimis Reip. Judaicae temporibus, Sacerdotum pileus aeque ac Pontificis, dictus fuerit מצנפת, ut *Josephus*, qui Sacerdotum pileum μασανέφθην vocat, & Judaeorum *Mischna*, & Magistri affirmant. Accedit, quod *Josephus* hoc totidem fere verbis doceat, *Antiq.* lib. & cap. supra citat. sectione VII. ita enim ait, Πῖλος δ᾽ ἦν μὲν ὁ καὶ πρότερον αὐτῷ παραπλησίως εἰργασμένος τοῖς πᾶσιν ἱερεῦσιν. Vetus Interpres ita reddit: *Pileum autem priori similiter operatum habet Pontifex sicut reliqui Sacerdotes.* Ex quibus verbis satis patet, Pontificis pileum quem primo loco capiti imponit, similem fuisse pileo Sacerdotum.

§. 2. Attamen aliquam fuisse differentiam inde evincitur, quod alio nomine in sacris nominetur, quod frustra esse non potest, licet sacra Scriptura differentiam non indicet. *Goussetus* differentiam quidem ex nomine exsculpere vult, qui con-

consuli poterit in *Comm. ling. Hebraicae* in rad. צנף. Aliquam etiam videtur *Josephus* indicare, cum addat eodem in loco: ὑπὲρ αὐτὸν δὲ συνεῤῥαμμένος ἕτερος ἐξ ὑακίνθου πεποικιλμένος. Quae verba ita vertenda sunt: *Super illum*, (nempe pileum illum quem cum Sacerdotum turbae pileis communem habebat) *autem consutus* (adnexus) *erat alius*, *ex Hyacintho variatus*. Aliud tegumenti genus, praeter priorem pileum caput Pontificis tegebat. Hujus etiam tegumenti, sive ornamenti, mentionem facit, in libro *de Bello Judaico*, *lib.* VI. *cap.* VI. *pag.* 918. Edit. Genev. memoratae: Τὴν δὲ κεφαλὴν βυσσίνη μὲν ἔσκεπε τίαρα, κατέστεπτο δ' ὑακίνθῳ. *Caput vero Tiara byssina tegebat*, *coronatur autem hyacintho*. Byssinam ergo meminit Tiaram, sed Hyacintho coronatam, hinc patet quod praeter byssinam tiaram candidam, de qua egimus, aliud tegumentum aut ornamentum hyacinthinum caput Summi Sacerdotis texerit. Sed an haec Corona hyacinthina, ad מצנפת proprie pertineat, ita ut differentiam inter *Migbaath* & *Mitznephet* constituerit, postea indagabitur.

§. 3. Verum distinctius *Josephus* nobis expendendus venit: Ὑπὲρ αὐτὸν δὲ ἕτερος συνεῤῥαμμένος ἐξ ὑακίνθου πεποικιλμένος. Alius ergo pileus, id est, genus tegumenti, cum priori jungebatur, eique assuebatur, aut si mavis, adnectebatur, vel connexum erat, & quidem ὑπὲρ, *super*, ut minimum pars quaedam prioris pilei contegeretur. Rem ipsam, & quomodo hoc factum, ipse indicat, in altero loco qui in libro *de Bell. Jud* exstat: κατέστεπτο δ' ὑακίνθῳ. Verbum καταστέφειν proprie significat *coronare*, ut *Ruffinus* hoc loco, aut *corona cingere*; κατέστεπτο δ' ὑακίνθῳ ergo esset *coronabatur*, *autem hyacintho, corona hyacinthina cingebatur*. Proinde erat & aliud tegumentum quod priorem Pileum ut Corona cingebat, & ambiebat, cumque haec Corona *hyacinthina* aut *ex hyacintho* dicatur, aut *alius pileus super priorem consutus*

aut

aut connexus ex hyacintho variatus, evincitur fasciam aliquam, colore hyacinthino infectam, diadematis aut coronae instar, pileum primum, & ita caput cinxisse, & capiti circumvolutam, & eo modo complicatam fuisse, ut primi pilei inferior pars. Quae fascia ita complicata, speciem alterius pilei habebat. Mentem nostram tabula adjecta explicabit.

§. 4. Color hujus fasciae, a *Josepho* indicatur, nam dicit fasciam fuisse ex *Hyacintho*, vel ex *Hyacintho variatam*. Color Hyacinthinus in sacris Literis vocatur תכלת *Techelet*, eum esse caeruleum & quidem subnigricantem, nostrates dicerent **Hemels-blaew** / *Braunius* abunde probavit, *lib.* I. *cap.* XIII. Colore ergo caeruleo infecta fuit fascia, quae byssinam Tiaram tegebat, qui color in aliis etiam sacris vestibus conspiciebatur. Pallium Pontificis enim totum Hyacinthinum fuit. Sed *Josephus* non tantum loquitur de Hyacinthino, sed Pileum alterum ex *Hyacintho variatum* fuisse testatur. Vestes variatae variis non tantum coloribus, sed etiam figuris distinguebantur. In sacris Literis *variatio* vestium vocatur חשב *choseb*, nostri, **allerkonstelykste werk** / distinguitur a רקם *rokem*, **geborduurt / gestikt werk.** *Rokem* opus Phrygium est, acu pictum. Sed *Choseb*, textura absolvebatur. Cum ergo Josephus *hyacinthinam* fuisse fasciam, & ex *hyacintho variatam* dicat, ostendit totam fasciam quidem hyacinthini coloris fuisse, sed figuris quibusdam variatam, ad ornatum. Vertex de primo Pileo apparebat albus, sed reliqua pars cingebatur Corona vel Diademate caeruleo, aut ut *Josephi* verbis utar, *hyacinthino variato*, quod sane maxime ad ornatum faciebat.

§. 5. Materia hujus fasciae expressis verbis a *Josepho* non indicatur, ast ὑακίνθῳ, βύσσῳ oppositus, videtur significare *lanam Hyacinthi colore infectam*, ut βύσσος significat *linum candidum*, de quibus videatur *Braunius*, *lib.* I. *c.* V. VI. XIII.

Fascia

Faſcia ergo haec videtur lanea fuiſſe. Sed hic obſtare videntur ſacrae Literae, quae Pontificum מצנפת ex lino fuiſſe docent. Cum ſacrae literae Pontificis Pileum byſſinum pronuntiant, reſpiciunt primum Pileum, quem communem habebat cum tota Sacerdotum turba; & ex ſequentibus patebit, coronam hanc hyacinthinam pertinere propius ad Laminam auream, quam ad מצנפת *Mitznephet*, vel potius intermediam fuiſſe inter *Mitznephet* & Coronam ſive Laminam auream.

§. 6. Sed antequam pergamus, audiendus nobis eſt Clar. *Braunius*, qui contra hanc *Joſephi* ſententiam *de altero Pileo ex hyacintho variato*, acriter inſurgit. Ita enim ille, pag. m. 626. *Pontificem alium praeterea habuiſſe Pileum* conſutilem *& quidem* Hyacintho variatum, *nemo quod ſciam, praeter* Joſephum *unquam dixit. Sane reliqui Judaeorum Doctores non conſentiunt. Nec ego induci poſſum ut id credam, cum Moſes ne* γρὺ *quidem de ejuſmodi conſutuli & hyacintho variato Pileo habeat. Deinde hoc modo novem habuiſſet veſtimenta, quod contra legem factum fuiſſet, non minus ac ſi aliqua veſte caruiſſet, quod pluribus probavimus* lib. I. cap. II. III. *Vehementer igitur erravit magnus* Joſephus, *aut dicendum erit, verba ejus admodum eſſe corrupta, aut non eſſe illius verba. Fortaſſis* Joſephus, *aut quiſquis ille ſit qui verba illa addidit, mentionem fecit de* Hyacintho, *quia Lamina aurea vitta hyacinthina capiti alligata erat, ut docet Moſes, Exod.* XXVIII. & XXXIX. &c.

Pace manium Viri Celeberrimi dicam, me non poſſe induci ut credam, *magnum Joſephum vehementer erraſſe*, aut verba ejus eſſe corrupta vel ab aliena manu ei infarcta. Difficultatem quandam haec *Joſephi* verba nude ſpectata habere, non inficior. Sed non auſim ſtatim pronuntiare, *Joſephum*

f propter-

propterea erraſſe, multo minus verba ejus eſſe corrupta; cum nullum corruptelae indicium ſe prodat. Codices quos inſpexit *Bernhardus*, & editi libri, nullam aliam variantem lectionem indicant, quam in voce ὑπὲρ, pro quo quidam Codd. legunt ὑπὸ, ſed confirmatur Joſephi lectio hic expreſſa, altero, ex libris de *bello Judaico*, loco, a *Braunio* ipſo citato & a nobis producto. Praeterea ſenſus verborum conſtat. Hoc modo, in locis difficilioribus verba *corrupta aut infarcta eſſe* pronuntiare, mihi eſt, nodum ſecare, non explicare. Cum ergo nulla corruptelae ſuſpicio hic locum habere poſſit, inquirendum reſtat num Joſephus erraverit. Sane rationes Viri Celeberrimi non omnes aeque validae ſunt, & forſan Joſephus ex illis ipſis fontibus, quos V. Clar. indicavit, conciliari cum ipſo poſſet.

Prima *Braunii* ratio eſt, *Judaeorum Magiſtros non conſentire*. Non multum moror Magiſtros, ſi quando contra Joſephum in acie ſtant, in iis rebus, quas Joſephus ipſe oculis ſuis uſurpaverat, valetque apud me proverbii veritas, *Plus unus oculatus teſtis, quam auriti decem*. Sane Joſephus fuit teſtis oculatus, ipſe Sacerdos, qui vixit ſtante adhuc Templo, qui proinde plus ſemel Pontificem ſacris veſtibus indutum, & quidem non e longinquo, ſed propius conſpexit. Sed Judaeorum Magiſtri auriti tantum ſunt teſtes, qui plurium annorum intervallo poſt Joſephum & deſtructum Templum vixerunt.

Secundum *Braunii* argumentum eſt *Moſen ne γρῦ quidem de conſutuli & ex Hyacintho variato pileo habere*. Sed hoc inquirendum. Fateor, *Moſes* non meminit Pilei *conſutulis*, verum etiam ejus non meminit *Joſephus*. Verſio *Gelenii* ita quidem *Joſephum* exprimit, ſed textus ipſe habet, ὑπὲρ αὐτὸν δ' ἕτερος συνερραμμένος. Quae verba verti non poſſunt, *ſuper ipſum alius eſt conſutulis*, ſed proprie vertenda ſunt,

ſuper

super eum, nempe primum pileum, *consutus* (*adsutus*) *est alius*, vel ex *Braunii* sententia de verbo ῥάπτεσθαι apud *Josephum*, *connexus*, *adnexus erat alius*; quod quomodo factum, ex loco libri *de Bello Judaico* explicuimus, §. 3. hujus Cap. *Josephi* ergo sententiam de annexa Corona ex fascia Hyacinthina rite perpendentibus, videtur nobis ea Mosi esse consentanea. Fontem conciliationis nobis ipse Vir Clar. aperit, scribendo, *Fortassis Josephus aut quisquis ille sit*, *mentionem fecit de Hyacintho*, *quia Lamina aurea vitta hyacinthina capiti alligata erat*, *ut docet Moses*, Exod. XXVIII. vers. 36. *Cum autem Lamina ista triplici vitta alligata fuerit fronti*, *ita quidem ut totum caput*, *aut si mavis*, *totam Tiaram*, & *circa tempora*, & *in occipite* & *in vertice cingeret*, *ut vult* Jarchius, *non adeo mirum esset*, *si aliquis diceret* Mitram *Hyacintho tectam fuisse.* Mosem ergo ipsum inspiciamus. Ita ille, *Exod.* XXVIII. 37. ושמת אתו על־פתיל תכלת והיה על המצנפת, loquitur de Corona aurea, & ita ejus verba, ad verbum verto: *Et pones eam super vittam Hyacinthinam*, & *erit super Tiaram illam.* Deinde *Exod.* XXXIX. *vers.* 31. ויתנו עליו פתיל תכלת לתת על המצנפת: & *dabant* (Artifices nempe) *super* (ad) *eam* (nempe Coronam) *vittam Hyacinthinam ad dandam* (alligandam) *eam super Tiaram.* Inquirendum ergo quid sit פתיל תכלת. Nomen פתיל varie vertitur, per *filum*, *vittam*, *funiculum*, si loca ubi haec vox occurrit recte expendamus, ex illis facile patebit, פתיל esse filamenti genus aptum ad aliquid ligandum & constringendum. conf. *Exod.* XXVIII. 28. *Jud.* XVI. 12. Non rotundum tamen sed planum, hoc eruitur ex loco *Exod.* XXXIX. 3. ubi de auro in bracteam diducto dicitur, illud *secandum esse* in פתילים, *in filamenta.* Jam filamenta ex auro in bracteam diducto, non sunt rotunda sed plana, & latitudinem habentia. פתיל ergo est filamenti genus planum & quodammodo la-

 tum.

tum. Sed ſimplex filum non eſſe ex Hiſtoria *Judae & Thamaris*, a Moſe, *Gen.* XXXVIII. 18. deſcripta, liquet. Refert enim Moſes Judam Thamari in pignus dediſſe, praeter annulum ſignatorium & ſcipionem, פתילך, *pethil ſuum*, quod ſane ſimplex filum fuiſſe nemo facile in animum inducet, ut credat. Hinc plurimi Interpretes *ſudariolum*, aut *zonam* hoc nomine indigitari, cenſent. Adde quod cum צמיד jungatur, quod *operculum* ſignificat, ſic enim *Num.* XIX. 15. ubi impurum pronuntiatur, *omne vas quod non eſt tectum* צמיד פתיל, ubi videtur *panniculum* aptum ad tegendum notare. Taeniam textam, latitudinem nunc majorem, nunc minorem habentem, nomine פתיל exprimi, cum Clariſſ. *Gouſſeto* omnino mihi perſuadeo. Si פתיל *taeniam*, & תכלת *hyacinthinum colorem*, ut ſupra oſtendimus, ſignificat, utique Moſes mentionem facit faſciae aut ligamenti Hyacinthini, quorſum ſane Joſephus reſpexit. Verum Moſen ulterius cum Joſepho conferamus. Moſes deſcripturus modum quo Corona aurea taenia hyacinthina pileo *Mitznephet* alligabatur aut adnectebatur, ita rem exprimit, *Pones Coronam auream*, על פתיל תכלת, *ſuper vittam hyacinthinam*, *& erit ſuper Tiaram illam* על המצנפת. Hiſce verbis Moſes quidem indicat taeniam hyacinthinam, non ad מצנפת Tiaram ipſam pertinuiſſe, ſed ad Coronam, ſeu Laminam auream, quae ope hujus taeniae, Tiarae alligabatur. Attamen ſatis diſtincte docet, taeniam hyacinthinam quodammodo mediam fuiſſe, inter Pileum *Mitznephet* & Coronam auream. Qui linguam Hebraeam extremis tantum labiis deguſtarunt, norunt, על plures ſignificationes admittere, prima & propria eſt, ut denotet *ſuper* & *ſupra*, deinde *ad*, *in*, & *cum*. A prima & propria, ſi ſenſus conſtet, & nulla manifeſta contradictio oriatur, non eſſe recedendum, apud omnes in confeſſo eſt. Hinc verba Moſis ita verti poſſe, imo ita vertenda

tenda esse, ut nos transtulimus, si propriam & primam vocis על significationem spectemus, nemo credo inficiabitur, sensum enim planum fundunt. Sic enim translata, indicant Laminam sive Coronam auream imponendam esse taeniae hyacinthinae, ita ut illa respectu capitis, sive Tiarae *Mitznephet*, fuerit *super* taeniam hyacinthinam, eamque exterius cinxerit. Deinde Coronam taeniae hyacinthinae impositam, imponendam fuisse Tiarae, eique connectendam per taeniam. Ex hisce patet, taeniam hyacinthinam, cui Lamina erat aut imponenda, aut imposita, ut Lamina *super* eam esset, proxime attigisse Tiaram byssinam, eique connexam fuisse, proinde ut intermedia fuerit taenia inter *Mitznephet* seu Tiaram byssinam caput proxime tegentem, & *Laminam*, sive Coronam auream exterius apparentem: imo Coronam auream per taeniam Tiarae annecti non posse, nisi haec primam Tiaram quodammodo involveret, ut ipse Vir Clariss. agnoscit. Videtur quidem obstare locus alter *Exod.* XXXIX. *vers.* 31. ubi textus, si vocem על in propria significatione teneamus, ita habet: *Et dabant* עליו *super eam* (Coronam auream) *vittam hyacinthinam*, *ad dandam illam* (seu alligandam) *super Tiaram.* Sed si bene locum examinemus, non obstabit. Moses enarrat opera Artificum, qui omnia ad Tabernaculum & vestes sacras spectantia, secundum *exemplar* Mosi in monte *monstratum*, absolverant; illi, Lamina sive Corona aurea perfecta, ei taeniam hyacinthinam annexerunt, & ita cum connexa taenia hyacinthina Mosi tradiderunt, ut per illam, Laminam Tiarae Sacerdotum alligaret. Hinc על pro *ad* vel *in*, vel *cum* venit, uti has significationes admittit; vel etiam in propria sua significatione retineri poterit, si concipiamus taeniam per ansulas transmissam fuisse ab interiori Coronae parte, quae ansulae erant *super* Laminam licet ab interiori parte, & cum ea etiam taenia, nam hic nullus respectus

ad Tiaram locum habet, ut in altero loco. Et dabant *ad*, *in*, vel *cum ea*, aut *ſuper eam, vittam hyacinthinam.* Licet ergo vitta hyacinthina proxime ad Coronam ſpectaverit & cum ea, ei annexa, ab Artificibus Moſi tradita fuerit, neceſſe erat, ut ſi Tiarae alliganda eſſet, circum caput volveretur. De modo Coronam auream Tiarae alligandi, nondum diſputo, de eo in ſequentibus diſſerendi erit locus. Hic tantum Joſephum cum Moſe confero: & re bene perpenſa, videtur Joſepho cum Moſe convenire, Joſephumque ſententiam Moſis magis explicuiſſe, ordinemque in ornando capite Summi Pontificis adhibitum, indicaſſe.

Nam prout Moſes diſerte docet, Pontificis caput Tiara ornandum & huic Tiarae, Coronam auream per taeniam hyacinthinam annectendam fuiſſe, & quidem ita, ut Corona aurea, ſuper vittam hyacinthinam, & haec vitta, inter Tiaram & Coronam auream media fuerit, Tiaram proxime attingens; ita etiam Joſephus. Hic enim rem totam hoc modo exponit.

Primo, caput Pontificis tectum fuiſſe Tiara byſſina, eodem modo fabricata, quo Pilei ceterorum Sacerdotum. *Secundo*, annexum fuiſſe *Pileum alterum*, faſciam nempe ſive taeniam hyacinthinam, aut hyacintho variatam, qua taenia Tiara byſſina proxime attingebatur & coronabatur. Quibus verbis rem a Moſe non definitam, magis tantum explicat. Moſes ſimpliciter dixerat per taeniam hyacinthinam Coronam auream Tiarae alligandam fuiſſe, ſed Joſephus docet taeniam latam fuiſſe, & caput ita cinxiſſe, ut inde *alter Pileus* ſive *Corona* dici meruerit. *Tertio*, taeniae hyacinthinae impoſitam & annexam fuiſſe Coronam auream, taeniam hanc cingentem, ita enim *Joſephus* in *lib. de Antiq. Jud.* περιέρχεται δὲ στέφανος χρύσεος, *cingebat vero* (alterum Pileum ex hyacintho variatum) *Corona aurea.* Et in libr. *de Bello*

Bello Jud. poſtquam dixiſſet, *Caput Tiara byſſina tegebat*, pergit, κατέςεπτο δ' ὑακίνθῳ N B. περὶ ἣν χρυσοῦς ἄλλος ἦν ςέφανος, &c. *coronabatur autem hyacintho* N B. *circa illam* (tiaram nempe hyacintho coronatam) *alia erat Corona aurea.* Sed hoc praecipue Clar. *Braunio* in *Joſepho* diſplicet, eum vittam hanc Hyacinthinam vocare, *alterum Pileum*, quod tamen *Joſepho* facile condonabitur, ſi conſideremus, taeniam hyacinthinam Coronae inſtar primum Pileum cinxiſſe, eumque quodammodo involviſſe, ut Corona aurea eo magis capiti adſtringeretur. Hinc enim taenia hyacinthina, tanquam alter Pileus apparebat, licet ope ejus aurea tantum Corona Tiarae annecteretur. Ad Coronam auream igitur taenia hyacinthina proxime ſpectabat, quae ſine illa Tiarae adhaerere non potuerat. Solvitur hac animadverſione tertium Clariſſ. *Braunii* argumentum, nam ex ea conſtat, *Joſephum* veſtes Pontificis non multiplicare. Medium enim tantum, quo Corona aurea Tiarae alligabatur, indicat. Si ergo erravit forte *Joſephus*, ſane non ita *vehementer* erravit, ſed in eo tantum quod vittam ſeu taeniam hyacinthinam, alterum Pileum vocaverit, quia ita apparebat.

§. 7. Planum ergo eſt ex iis quae dicta ſunt, *Joſephum* nullam agnoſcere differentiam inter formam Pileorum Sacerdotum quae מגבעות vocabantur, & formam Pilei Summi Pontificis qui מצנפת dicitur, cum ea quae habet de taenia hyacinthina, referenda ſint ad Coronam auream potius, quam ad Pileum *Mitznephet* ipſum. Manet igitur haec differentia in obſcuro.

CAPUT VI.

DE LAMINA SIVE CORONA AUREA.

§. 1. ACcedimus nunc ad nobilissimam partem capitis ornamenti, qua Pontifex Maximus, ut Deo gratus & Princeps inter reliquos Sacerdotes, maxime fulgebat, LAMINAM nempe, sive CORONAM AUREAM. Deus enim Pontifici hanc Coronam concessit, *ad ornatum & gloriam, ut portet Aharon iniquitatem rerum sacrarum, quas consecraverint filii Israëlis, omnium donorum ab illis consecratorum, sic erit super frontem ejus jugiter, ut Deo pro iis litaretur & eos gratos redderet coram facie Dei*, ita enim Moses *Exod.* XXVIII. 39.

§. 2. Nominibus in sacris Literis duobus haec Corona exprimitur, vocatur enim ציץ & נזר.

Nomen ציץ occurrit, *Exod.* XXVIII. 36. XXXIX. 31. *Lev.* VIII. 9. Varias versiones vide apud *Braunium*. *Laminam* vertit *Vulgatus*, ut LXX. & *Philo Judæus* πέταλον, quos secuti *Belgae* & *Lutherus*, verterunt **een Plate.** Nomen ציץ est sine dubio a radice ציץ *floruit*. Clariss. *Gousseto* verbum ציץ affine est verbis צמח & פרח. De plantis haec verba usurpantur, progressumque plantarum hisce verbis indigitari *Goussetus* vult: censet enim, צמח primam germinationem ex terra, פרח ulteriorem progressum ad florem usque, sed ציץ productionem vel foliorum vel florum, significare. Duo ultima verba cum nominibus derivatis conjunguntur *Num.* XVII. 23. de virga enim Aharonis dicitur ויצא פרח ויצץ ציץ, quae secundum *Goussetum* ita transferenda sunt, *Protrudebat gemmas, & florescebat flores.* Inverso tamen ordine occurrunt haec verba *Jes.* XXVII. 6. ibi enim ציץ prae-

praecedit verbum פרח, ubi hoc ultimum verbum generaliorem ſignificationem admittit. Sane verbum ציץ ſemper de plantis uſurpatur in ſacris Literis, ſemel tamen metaphorice, de נזר, *Pſal.* CXXXII. 18. Sic etiam nomen, praeterquam noſtris in locis, & ſemel de *pennis* alarum ad volandum aptis, *Jer.* XLVIII. 9. Hinc ſequitur nomen ציץ proprie ſignificare florem, & quidem florem expanſis foliis. Quod ultimum evincitur: *primo*, quia *Jeſ.* XXVIII. 4. uſurpatur de flore proxime caſuro. Jam flores proxime cadentes expanſa quam maxime habent folia: *ſecundo*, quod pennas alarum avium aptas ad volandum exprimat: iſtae enim pennae, cum alae expanſae ſunt, ſimiles ſunt florum foliis. Hinc proprie ציץ vertendum eſt, non *Lamina*, ſed *Flos*, & quidem flos expanſis foliis. Agnoſcunt hoc Viri Doct. qui notas marginales in verſionem Belgicam concinnarunt. Vertunt enim **de bloeme des gouts.** Verum quidem eſt, hoc capitis ornamentum, quod ציץ dicitur, quia ex auro erat, ex Lamina vel bractea aurea fuiſſe compoſitum. Aſt nomen ציץ hoc non exprimit neque ex etymo, neque uſu ſuo in ſacris, nam ſecundum ambo, *florem* ſignificat. Si hoc probe ab Interpretibus fuiſſet obſervatum, ſane aliam ſententiam de hoc nobiliſſimo capitis ornamento foviſſent, quam hactenus factum eſt, tam a Judaeis quam Chriſtianis, nec nobis obtruſiſſent ſimplicem Laminam abſque eminentiis & ornamentis, quae ad florem proxime accedunt.

Nomen נזר occurrit, *Exod.* XXIX. 6. ſine nomine ציץ, נזר הקדש, *Corona Sanctitatis.* Sed una cum ציץ, *Exod.* XXXIX. 30. & *Lev.* VIII. 9. ibi enim Moſes loquitur de ציץ נזר, annectenda Tiarae Pontificis. Omnes fere Interpretes vertunt per *Coronam.* Capitis quoddam ornamentum ſignificare, non poteſt in dubium vocari. Sed ſi nomen preſſius expendamus, נזר *nezer* ſine dubio eſt a radice נזר, *ſepara-*

vit, unde נזיר *Naziraeus* Deo ſeparatus: hinc *ſeparandi* ſignificationem nomini נזר adhaerere, certum eſt. De trium hominum generibus dicitur, eos habuiſſe נזר *nezer ſuper* על *caput*. *Primo* de *Naziraeis*, de illis enim lex ita habet, *Num.* VI. 7. כי נזר אלהיו על ראשו, *quod Nezer Dei ſui ſuper caput ejus ſit*. *Secundo*, de Regibus, habebat enim Rex *Sauël* נזר *ſuper caput ſuum*, qui ipſi fuit detractus a juvene Amalechita qui ſe *Sauëlis* interemptorem jactabat, qui illum ad Davidem detulit, ita enim ille, *Et ſumſi* הנזר אשר על ראשו *Nezer illum*, *qui ſuper caput ejus erat*, 2 *Sam.* I. 10. Cum Joas Rex conſecraretur, ponebat Pontifex הנזר עליו *Nezer ſuper eum*, 2 *Reg.* XI. 12. *Tertio*, de Pontificibus, & quidem duplici ſenſu, *primo* de Oleo unctionis, legitur enim *Lev* XXI. 12. *Nezer olei unctionis Dei ſui, erit ſuper ipſum.* Deinde de ציץ *Tzitz* aureo, qui erat על ſuper Tiaram Pontificis, in locis ſupra notatis. Ex dictis conſtat נזר ad caput ſpectare, & in *genere*, omne inſigne quod in capite erat, quo quis ab aliis ut venerabilior & dignior ſeparabatur, ſignificare; ſive illud ſemel tantum capiti addebatur, ut *Oleum unctionis*, quo Pontifex ex praecepto Dei, & poſtea etiam Reges, ut perſonae digniores & venerabiliores, ab aliis ſeparabantur, imo ipſi Deo conſecrabantur; ſive in capite manebat, ita tamen, ut de capite deponi vel detrahi poſſet. Hinc in *ſpecie* notat נזר *nezer*, *Comam* quam Naziraeos alere ex lege Dei oportebat, tam diu quam votum Naziraeatus durabat: coma enim illa, tanquam digniores & Deo devoti, ab aliis ſeparabantur. *Coronam*, quando de Regibus uſurpatur: nam capitis ornamentum fuiſſe, & quidem quod imponi & detrahi poterat, ex hiſtoria *Joaſi* & *Sauëlis* manifeſtum eſt, ita ut inſigne fuerit quo Rex a populo diſtinguebatur, & Deo in Theocratia Iſraëlitica conſecrabatur. Jam ab antiquiſſimis temporibus Coronas inſignia Regum fuiſſe quibus capita eorum ornabantur, cuilibet

libet notum eſt. Non male igitur vulgo *Corona* vertitur, licet in ſacris Literis non indicetur, ex qua materia fuerit נזר Regum, & quam figuram habuerit. Cum Pontifici נזר tribuatur ſuper Tiaram ejus ponendum, ſignificat etiam capitis inſigne, quo Pontifex non tantum ab Iſraëlitis, ſed & aliis Sacerdotibus, ut dignior & venerabilior, ſeparabatur, verum etiam peculiari ratione, ut vir Princeps & intimae admiſſionis, Deo conſecrabatur. Inſigne illud fuit ציץ *tzitz* ſive flos aureus expanſis foliis, cui nomen Dei inſcriptum erat; nam cum eo jungitur, ut ſupra diximus, *Exod.* XXXIX. 30. *Lev.* VIII. 9. quae loca ita vertenda ſunt, *Et fecerunt Tzitz florem inſigne Sanctitatis, ex auro puro.* Alter: *Et ponebat ſuper Tiaram, ſuper regionem faciei ejus, Florem auri*, inſigne *ſanctitatis*, & manifeſto probant, *Tzitz* aureum fuiſſe illum נזר *nezer*, inſigne ſanctitatis, quo Pontifex tanquam ſanctus Jehovae, ſeparabatur, ut etiam ex inſcriptione ipſa, קדש ליהוה, SANCTITAS JEHOVAE, palam eſt.

Nobiliſſimum hoc capitis ornamentum, quod in ſacris Literis *Flos inſigne ſanctitatis*, a *Joſepho* στέφανος, *Corona*, vocatur, in locis ſupra à nobis ex libr. *de Antiq. Jud.* & *de Bello Jud.* allatis, *Philo*, *lib.* III. *de vita Moſis*, *pag.* 670. edit. Pariſienſis, dicit fuiſſe ὡσανεὶ στέφανος, *inſtar Coronae.*

§. 3. Materiam hujus ornamenti indicant ſacrae Literae, fuit enim ex *auro* & quidem puriſſimo. Concinit *Joſephus*, nam ille Coronam auream, στέφανον χρυσοῦν meminit, in locis ſupra allatis. Ex auro non tantum Regum & Principum Coronae ſive capitis inſignia conficiebantur, ſed etiam Tiarae Sacerdotum: quod probavimus ex *Luciano*, ille enim narrat, Summi Deae Syriae Pontificis caput *redimitum fuiſſe aurea Tiara.*

§. 4. Figuram hujus praeſtantiſſimi ornamenti ſacras Literas non clare depingere fateor. Praeter nomen enim,

g 2 con-

connexionem per vittam hyacinthinam Tiarae, & ſitum, nihil memoriae produnt. Attamen Clar. *Braunius* pronunciat: *Nihil aliud erat, quam Lamina tenuiſſima, ab una aure uſque ad alteram, quae vittis hyacinthinis fronti alligabatur, & in occipitio adſtringebatur*, pag. 631. §. DCLXI.

Nihil aliud quam *Laminam* fuiſſe inde probare conatur, quod LXX. Interpretes & *Philo* nomen ציץ per πέταλον, quod *Laminam tenuem* ſignificat, tranſtulerunt, *Vulgatus* & fere omnes Auctores per *Laminam*, quibus adſtipulatur *Jarchius*, qui vult ציץ *fuiſſe inſtar Laminae aureae, duos digitos latae.* Deinde, *Frontem* tantum, *ab una aure ad alteram cinxiſſe*, quia id *Jarchius* totidem verbis affirmat, & *Moſes* ipſe videtur indicare ציץ *tzitz* tantum frontem, vel e regione frontis anteriorem partem capitis cinxiſſe.

Ex Lamina ſive Bractea aurea ציץ confectum fuiſſe, non inficior, ut ſupra jam monui, nam ſi frons illo cingenda erat, aurum in laminam vel bracteam deduci oportebat. Sed *nihil aliud quam Laminam tenuem* fuiſſe, abſque ornamenti, quae inſtar foliorum floris aut pennarum alae eminebant, mihi non facile perſuadeo. ציץ *tzitz* florem & quidem expanſis foliis, non laminam notare, abunde in praecedentibus probavi. Dicat igitur mihi Clar. Vir, cur ſacrae Literae ornamentum hoc *tzitz florem* vocarint, ſi *nihil aliud quam Lamina aurea* fuerit, & nulla prorſus ſimilitudo inter hoc ornamentum & florem intercedat. Hinc ipſum nomen oſtendit, quiddam in hoc ornamento obſervandum fuiſſe quod quodammodo florem referebat, & tanquam inſigne majeſtatis Pontificiae erat, ut Coronae inſignia ſunt majeſtatis Regiae: quae Coronae ex auro factae, habent cuſpides & radios eminentes, ut folia florum expanſorum. Hinc cum LXX. & *Philo* ציץ πέταλον, ſive *laminam* vertant, Hebraeam vocem non exprimunt, & materiam potius quam figu-

figuram indicant. Quae autem Vir Clar. profert, de Lamina aurea frontem tantum, ab aure ad aurem, cingente, in ſequentibus examinabo.

Audiamus igitur *Joſephum*, forte ille rem explicabit. Sane ille longe aliam figuram, quam Judaeorum Magiſtri & ex iis Clar. *Braunius*, huic capitis ornamento adſcribere videtur. Et ut ſententia ejus melius intelligatur, totum locum de Pileo ſive Tiara Pontificis hic exſcribere non pigebit, eo magis, quod multa notatu digna contineat, & quidem, quae ad ſtabiliendas conjecturas meas de ſitu Ornamenti aurei in Tiara Pontificis, inſervire poſſunt. Exſtat hic locus etiam *Lib.* III. *cap.* VII. vel VIII. *pag. m.* 86. edit. Genev. & *pag.* 187. --- 193. Oxonienſis.

Verſio Epiphanii.

Pileum autem priori ſimiliter operatum habet Pontifex, ſicuti reliqui Sacerdotes, & alium conſutum ex hyacintho variatum. Circumdatur autem ei, & aurea Corona, tribus verſibus facta, ſupra quam ſurgit in media fronte, quaſi calyculus quidam aureus; ſimilis herbae quae apud nos Acchoro nuncu-

Textus Joſephi.

Πίλος δ' ἦν μέν ὁ καὶ πρότερον αὐτῷ παραπλησίως εἰργασμένος τοῖς πᾶσιν ἱερεῦσιν. Ὑπὲρ αὐτὸν δὲ συνερραμμένος ἕτερος ἐξ ὑακίνθου πεποικιλμένος, περιέρχεται δὲ στέφανος χρύσεος ἐπὶ τριστιχίαν κεχαλκευμένος, θάλλει δ' ἐπ' αὐτῷ κάλυξ χρύσεος, τῇ σακχάρῳ (editio Genev. legit δακχάρῳ) βοτάνῃ παρ' ἡμῖν λεγομένῃ ἀπομεμιμημένος,

Verſio Gelenii.

Porro Pileo quali caeteri Sacerdotes utebatur: ſuper quem extabat alius conſutulis ex hyacintho variatus, hunc aurea Corona triplici ordine circumdabat, in qua ſpectabantur calyculi aurei, quales videmus in herba quae apud nos vocatur Daccharus, apud Graecorum herbarios Hyoſciamus. Quod

patur, quam Graeci Hyoſciamum dicunt, &c.

ὑὸς δὲ κύαμον Ἑλλήνων, &c.

ſi quis aut viſam aliquando non ſatis animadvertit, aut nomine tenus auditam de facie non novit, huic etiam deſcribere eam non gravabor. Herba eſt tres palmos ſaepe in altitudinem excedens, Napo ſimilem radicem habens: vix enim hac parte eſt alia ſimilior: folia vero Apio. Haec e ramis emittit calyculum ipſis inhaerentem. Veſtiturque tunica quadam, quam exuit fructu ad maturitatem tendente. Calyculus autem eſt quantus articulus minimi digiti, circumferentiam habens crateri ſimilem, quod ipſe clarius faciam propter ignorantes. Ima ſui parte circa fundum dimidiato globo eſt rotunditate ſimilis, mox in proceſſu paulatim coarctatur, donec in extremitate rurſum dilatatus in labrum exeat mali punici umbilico inciſuris ſimile, cui operculum orbiculare inhaeret, quaſi de induſtria tornatum, eminentes habens inciſuras quas dixi, ut in malo punico, aculeatos & in acutos mucrones deſinentes. Continet autem ſub operculo fructum per totum calyculum herbae ſideritidis ſimilem. Florem vero fert qui papaveris videri poſſit.

Habet autem flores ſimiles plantagini.

Et per circuitum tota Corona his flo-

Ἐκ τούτου μὲν στέφανος ἐκκεχάλκευται

Ejuſmodi Corona ab occipitio circum tem-

ribus est celata, ab occipitio usque ad utrumque tempus. A fronte vero hoc quidem non habet sed Lamina est aurea, quae sacris Literis Dei nomen habet inscriptum.

ὅσον ἀπὸ τοῦ ἰνίου πρὸς ἑκάτερον τῶν κροτάφων. τὸ δὲ μέτωπον, ἡ μὲν ἐφιελὶς οὐκ ἔπεισι, λεγέσθω γὰρ οὕτως ὁ κάλυξ, τελαμὼν δὲ ἐστὶ χρύσεος, ὃς ἱεροῖς γράμμασι τοῦ Θεοῦ τὴν προσηγορίαν, ἐπιτετμημένος ἐστί.

tempora utraque procedebat: nam frontem isti calyculi non ambiebant, sed seu lorum quoddam latum aureum, quod sacris characteribus Dei nomen incisum habebat.

Si hunc Josephi locum, cum altero ex libris de *Bello Jud.* jam citato, conferamus. Sane aliam figuram aurei capitis insignis nobis ob oculos ponit, quam Judaeorum Magistri. Inspice locum.

Josephus.

Τὴν δὲ κεφαλὴν βυσσίνη μὲν ἔσκεπε τιάρα κατέστεπτο δ᾽ ὑακίνθῳ περὶ ἣν χρυσοῦς ἄλλος ἦν στέφανος ἐκτύπωμα τὰ ἱερὰ γράμματα. ταῦτα δ᾽ ἐστὶ φωνήεντα τέσσαρα.

Ruffinus.

Caput autem byssina Tiara tegebat, hyacinthis coronata: Et circa eam alia Corona erat aurea scriptas ferens sacras Literas, quae sunt quatuor elementa vocalia.

Sed ut mens *Josephi* rite percipiatur, Versio nova nobis adornanda fuit, cum nec vetus Interpres, nec *Gelenius* in omnibus verba *Josephi* reddiderint, imo hae versiones *Villalpandum* & *Braunium* in errorem, sit venia verbo, traxerint.

Pileus vero ipsi erat idem ille qui prior, eundem in modum ac illi reliquorum Sacerdotum confecti, super eum autem consutus erat alius, ex Hyacintho variatus. Hunc vero cingit Corona aurea in (ad) *triplicem ordinem*

nem fabricata. Floretque in ipſa Calyx aureus Herbae Dacchoro, ut nos quidem vocamus, ſimilis, Graecorum vero herbarii *Hyoſciamum indigitant.* Deſcriptionem herbae Hyoſciami ejuſque calycis non vertimus, quia *Gelenius* eam ſatis bene tranſtulit, nec inde aliqua difficultas oritur, quod etiam cauſa eſt quod Graecum textum non exhibuerimus. Pergit poſt deſcriptionem herbae & Calycis. *Ex hujuſmodi* (calyce) *exſculpta eſt Corona, quantum ab occipitio ad ambo tempora, ſed fronti Ephielis illa* (ita *enim* Calycem *vocare* liceat) *non imminet, aſt faſcia aurea cui ſacris literis Dei nomen inciſum eſt.*

Ruffinus alterum locum ſatis bene tranſtulit, niſi quod pro *hyacintho* poſuit *hyacinthis.*

Textum Joſephi quantum licuit de verbo ad verbum reddidi. Talem Verſionem elegantem non eſſe lubens fateor, ſed neceſſarium duxi hunc vertendi morem adhibere, ut difficultatibus quae ex Verſione naſcuntur obviam eatur. Elegantiorem pro viribus ſubjungere animus eſt.

Praecedente Capite priora hujus Sectionis verba ex verſione antiqua propoſui, quia ſatis mentem Joſephi exprimebant, ſed hic magis verba Joſephi ipſa reddere conatus ſum. *Joſephum* ſane, hiſce verbis πῖλος δ' ἦν μὲν ὁ καὶ πρότερον αὐτῷ παραπλησίως, &c. indicare voluiſſe, Pileum *Mitznephet*, cui inſigne aureum vitta Hyacinthina adjungendum erat, eodem modo confectum, quo Pilei reliquorum Sacerdotum, eique ſimilem fuiſſe, extra dubitationis aleam poſitum eſt: quod etiam cauſa fuit, cur Sacerdotum pilei, qui in ſacris Literis מגבעות *Migbaoth* vocantur, ſub nomine *Maſanephthes* ab eo proponantur. Negotium faceſſebant tamen haec verba, ὁ καὶ πρότερον αὐτῷ, verum haec verba reddenda eſſe ut tranſlata in noſtra verſione apparent, *idem ille qui prior*, non tantum ex mente Joſephi eluceſcit, qui indicare vult, pileum inferiorem

rem qui caput Pontificis immediate tegit, eundem esse cum illo quem antea descripserat: sed etiam quia eadem phrasi utitur, ubi de zona Pallii agit, eamque cum zona vulgi Sacerdotum confert, quam antea descripserat. Ita enim, ζώνη περισφίγγεται βάμμασι δὶς ἡ πρότερον ἤνθει, &c· *zona constringebatur, coloribus iisdem ac prior*, nempe a nobis descripta.

Quae proxime sequuntur verba, jam antea explicata dedimus. Hinc illa, περιέρχεται δὲ στέφανος χρύσεος ἐπὶ τριστοιχίαν κεχαλκευμένος, propius spectanda sunt. Prima hujus pericopae verba nullam quidem difficultatem in se habent. Nam ea vertenda esse *circumcingit autem aurea Corona*, nemo credo negabit. Auream igitur Coronam capiti impositam habuisse Pontificem, affirmat *Josephus*, & confirmat in altero loco ex libr. *de Bello Jud.* citato. De voce tamen περιέρχεται, quorsum ea sit referenda difficultatem movet Cel. *Braunius*, carpit enim *Gelenium* quod verbum περιέρχεται transtulerit, *hunc circumdabat.* Ita ille, pag. 633. *Male vertit Gelenius, hunc*, id est, *Pileum*, Corona aurea circumdabat, *cum frontem tantum cingat, non autem Pileum. Hoc non dicit Josephus, sed tantum* περιέρχεται στέφανος, *Corona cingit*, scil. *frontem & tempora*, non autem *Pileum. Delendum ergo esse censeo ex versione* Gelenii *vocabulum* hunc. Rationes quibus Cl. *Braunius* inductus est, ut *Gelenium* carpat, jam non inquiro. Sane verbum περιέρχεται aliquorsum esse referendum, in dubium vocari nequit, sed quorsum securius quam ad ea quae proxime praecedunt? sed in proxime antecedentibus, locutus fuit de *altero pileo.* Ita περιέρχεται ad *hunc alterum pileum* est referendum, *hunc cingit Corona aurea.* Confirmatur haec versio ex collatione cum loco ex libr. *de Bello Jud.* adducto. Ibi enim fere eundem ordinem, in recensendis iis quae ad capitis Pontificii ornamenta spectant, observat, quem in nostro loco. Diserte enim ait περὶ *circa* Tia-

h ram

ram byſſinam Hyacintho coronatam, fuiſſe Coronam auream. Proinde Corona aurea cingebat, cum taenia hyacinthina, qua Tiara byſſina coronata erat, Tiaram byſſinam ipſam; ſed an frontem & tempora tantum cinxerit Corona, in ſequentibus diſputabitur.

Maximam creant difficultatem haec verba, ἐπὶ τριστοιχίαν κεχαλκευμένος. Vocabulum compoſitum τριστοιχίαν, *triplicem ordinem* vel *ſeriem* ſignificare non opus eſt, ut multis probem; nec ſignificatio verbi χαλκεύειν adeo obſcura eſt, nam licet proprie ſignificet *in aere laborare*, de omnibus tamen metallis, de auro & ferro etiam uſurpatur, ut patet ex *Polluce lib.* III. *pag.* 313. *lib.* VII. *pag.* 763. Hinc generaliorem ſignificationem nempe *operandi in metallis*, *metalla cudendi*, *tundendo malleo*, &c. admittit, patet & hoc ex *Heſychio* cui χαλκεὺς eſt πᾶς τέχνιτης, καὶ ὁ ἀργυρόκοπος καὶ ὁ χρυσόχοος. Verba idcirco *Joſephi* vertimus, *hunc cingit aurea Corona in* (vel *ad*) *triplicem ordinem fabricata*, fabri opera confecta.

Sed quid ſibi velit *Joſephus* cum Coronam hanc in triplicem ordinem fabricatam dicat, ſub judice lis eſt. Interpretum ſententiam Celeb. *Braunii* verbis proponam, & quae ille cenſet ſubnectam. *Hic per* τριστοιχίαν *interpretes ſolent intelligere tres ordines calyculorum, quorum alter alteri altior eſt, ut caput cingant inſtar triplicis Coronae, ita ut non tantum caput ſed & ipſam Tiaram cingerent, inſtar triplicis Coronae, quemadmodum eam depingere ſolent* Villalpandus, *& ex eo* Friſius *in opere* Solerii *de Pileo*, *&* Arnoldus Andillenſis *in ſua verſione Gallica Joſephi*, &c. *ſed ſuillam potius comederent Judaei quam ut haec crederent. Sane oportet haec verba infarcta fuiſſe Joſepho, aut alium habere ſenſum, quam interpretes & pictores eis hactenus dederunt. Fateor quidem* στοιχίαν *ſignificare* ordinem, *&* τρι-

στοι-

στοιχίαν triplicem ordinem, *ut ſacra Corona tribus ordinibus calyculorum ornata videatur. Sed eam habuiſſe figuram quam ei auctores ſolent attribuere, ut in hac tabula eſt depicta, nego & pernego: cum nec Pileum tangat vera Corona Pontificalis, nec in reliquis conveniat cum hac figura*, §. DCLXV. *pag.* 633. Pergit deinde, *Ex iſta Coronae τειστοιχίᾳ fabricata videtur Corona triplex Pontificum Romanorum. Sed & ipſi Judaei loquuntur de tribus Coronis, quarum prima eſt* כתר כהונה Cidaris, *id eſt*, Corona (Cidaris *eſt ipſiſſimum* כתר Kether, *quod coronam ſignificat*) Sacerdotalis. *Secunda* כתר מלכות, Corona Regia. *Et tertia* כתר תורה, Corona Legis. *Videatur* Codex Pirke Avoth *Rab.* Nathan: *Sed haec nihil faciunt ad triplicem ordinem, ſive τειστοιχίαν Joſephi. Nihilominus licet ſacra Scriptura, ipſi etiam Judaeorum Magiſtri taceant de ejuſmodi τειστοιχίᾳ, ſive calyculorum ornamento triplici ordine, nollem tamen negare eam hujuſmodi calyculis fuiſſe ornatam. Si antem hoc factum fuit, oportet calyculos illos plane alio modo fuiſſe diſpoſitos, quam quo ab auctoribus ſolent repraeſentari. Poſſent forte conciliari Judaeorum Sapientes cum Joſepho ſi diceremus, Coronam nihil aliud fuiſſe, quam Laminam duos digitos latam, & ab aure ad aurem longam, ita tamen ut circa tempora triplici ordine hyoſciami calyculorum ornata fuerit, ab utraque parte eo modo quo a nobis infra exhibebitur*, §. DCLXVII. *pag.* 634. *figuram vide pag.* 642.

Ut nec *Villalpando* ejuſque ſequacibus, ſic nec Cl. *Braunio* in omnibus adſtipulari poſſum. Fingunt enim Viri Doctiſſimi quae *Joſephus* ne ſomniando quidem cogitavit, certe nuſquam verbis expreſſit. Sane nuſquam *Joſephus* ſcripſit, *tres ordines Calyculorum Hyoſciami Coronae aureae inſculptos vel in ea exſculptos fuiſſe*, ſive cum *Villalpando* concipias Coronam auream caput undique cinxiſſe, ſive cum *Braunio*

 tan-

tantum a fronte ab aure ad aurem. Mentionem quidem facit *Calycis aurei*, herbae hyoſciami calyci ſimilis, ſed unius tantum non *Calyculorum* plurium, uti inſpicienti *Joſephum* manifeſtum erit. Decepti ſunt Viri Doctiſſimi a *Joſephi* interpretibus, *Gelenius* enim ubi *Joſephus* habet κάλυξ vertit *calyculi*; & *Vetus Interpres* poſtquam calycem & florem herbae hyoſciami deſcripſiſſet, pergit, *Et* per *circuitum tota Corona his floribus eſt celata*, ita vertit verba ἐκ τούτου μὲν στέφανος ἐκκεχάλκευται, quae verba ſane hanc verſionem reſpuunt, ut inferius notabo. Deinde quae *Joſephus* de calyce aureo narrat non pertinent ad τριστοιχίαν; nec cogitare poſſum quibus fidibus calyx aureus ad τριστοιχίαν conficiendam, trahi poſſit. Inſpiciatur *Joſephus*, quid ait? aitne Coronam tribus Calyculorum ordinibus fuiſſe ornatam? nihil minus, περιέρχεται δὲ στέφανος χρύσεος ἐπὶ τριστοιχίαν κεχαλκευμένος. θάλλει δὲ ἐπ' αὐτῷ κάλυξ χρύσεος τῇ σακχάρῳ βοτάνῃ παρ' ἡμῖν λεγομένῃ ἀπομεμιμημένος, &c. *Hunc circumcingit aurea Corona in* τριστοιχίαν *fabricata. Floret autem in ea* (aut deſuper vernat) *Calyx aureus herbae hyoſciami ſimilis.* Sane haec ultima verba ad τριστοιχίαν trahi non poſſunt, indicant tantum in ſuperiori parte Coronae, jam ἐπὶ τριστοιχίαν fabricatae, conſpicuum fuiſſe Calycem aureum, ſimilem calyci herbae hyoſciami; quibus verbis figuram Coronae deſcribit, quae non fuit ornata multis calyculis, ſed uno tantum.

Sed quid demum fiet de τριστοιχίᾳ *Joſephi*? Pronuntiabimuſne cum Clar. *Braunio*, *haec verba valde eſſe corrupta aut ab aliena manu Joſepho infarcta*? abſit, nullum enim corruptelae indicium ſe prodit. Legunt equidem Codd. quidam, *Bernhardo* indicante, pro τριστοιχία, τριστιχία, quo modo etiam *Vetus Interpres* videtur legiſſe, nam *Joſephi* verba reddit, *tribus verſibus facta.* Sed res eodem redit στιχία enim aeque ac στοιχία, *ordinem*, *ſeriem*, *verſum* notat.

tat. *Alium ergo habebunt ſenſum, quam Interpretes & pictores eis hactenus dederunt?* ultro hoc largior, imo alium ac ipſe Vir Clar. eis dedit, ut ex jam dictis manifeſtum eſt. Indagemus itaque ſenſum ſub *Joſephi* verbis latentem.

Ordines olim & compages in mundo capitum Matronarum Romanarum, quibus caput in altum aedificabatur, conſpiciebantur. Quem morem ſalſe ridet *Juvenalis*, *Sat.* VI. *verſ.* 502.

Tot premit ordinibus, tot adhuc compagibus altum
AEdificat caput. - - - -

ubi reſpicit comam & alia capitis ornamenta, diverſis involucris & plexibus ſibi mutuo incumbentia, quibus ſenſim in altum & turrim quaſi caput aedificabatur.

Sed quid *triplex ordo* τριστοιχία *Joſephi* ſit, non facile divinari poterit. Hoc neceſſe eſt, hanc *Joſephi* τριστοιχίαν quaerendam eſſe, aut in Corona aurea ipſa ejuſque fabrica, aut in ſitu Coronae reſpectu ad cetera capitis ornamenta antea deſcripta, quae a Corona hac cingebantur aut premebantur, nempe Pileum primum byſſinum, & alterum ex hyacintho variatum.

Si in Corona ipſa τριστοιχία quaeratur, difficillimum erit figuram Coronae, ut *Joſephi* verbis ſatisfiat, exprimere. *Joſephi* narratio tres Coronas ſibi invicem impoſitas, ut caput in altum aedificarent, non fert, nam de altitudine nihil in textu, praeterea unius Coronae, non trium mentionem facit. Verum verba *Joſephi* forſan reddi poſſent: *Hunc circumcingit aurea Corona triplici ſerie exſculpta.* Si ita reddantur, τριστοιχία hoc modo concipi deberet: Baſin Coronae, calyci aureo ornatae, qui in ſummitate ejus ſe conſpiciendum praebebat, tribus lineis ſive circulis fuiſſe diſtinctam, quibus Corona in tres quaſi partes dividebatur, ſive illi circuli fuerint

auro insculpti, sive fuerint protuberantes, quod exsculpendo vel etiam opere fusili, aut tandem malleolo, opere quod nos vocamus **gedreben werck** / absolvi poterat. Sculptam fuisse Coronae basin ex *Josephi* verbis minime probari poterit. χαλκεύειν quidem significat, omne opus fabrile facere in quocunque metallo, sed an sculpendi significationem habeat, dubius haereo, nullum enim hujus significationis exemplum se mihi obtulit, nec pro sententia proposita, aliquid roboris in verbo χαλκεύειν est, nam ut diximus, illud significat *fabricare*, *cudere*. Nec constructio *Josephi* in verbis ἐπὶ τειστοιχίαν κεχαλκευμένος huic sententiae ullo modo favet, sed quam maxime adversatur, nam mihi persuadere minime possum verba ἐπὶ τειστοιχίαν transferri posse *triplici serie*. Sane praepositio ἐπὶ cum accusativo constructa, ut Grammatici notant, *motum ad locum*, *vel etiam situm versus locum*, *& tandem durationem temporis indicat*, & proprie per *ad*, *in*, *super*, vertitur. Nec unquam observavi praepositionem ἐπὶ cum accusativo constructam ita redundare, ut accusativus ablative accipi & verti debeat. Unicum se mihi obtulit exemplum, quod etiam a *Stephano* in suo Lexico notatum est, ubi ἐπὶ redundare videtur, *Actor.* X. 16. XI. 10. de voce enim quam *Petrus* audiverat dicitur, τοῦτο δ' ἐγένετο ἐπὶ τρὶς, quae verba reddi possunt, *facta est ter*, aut *tribus vicibus*, sed hoc exemplum hic nihil probat: non enim ἐπὶ est constructum cum accusativo nominis, sed cum adverbio. Sed si forsan tale exemplum produci queat, ingens esset anomalia, ad quam non est confugiendum, si sensus, retenta propria significatione, constet.

Si meam conjecturam interponere liceat, putem hanc *Josephi* τειστοιχίαν non quaerendam esse, aut in fabrica, aut ornamento quodam ipsius Coronae, sed in situ Coronae respectu ad cetera capitis ornamenta. Probavimus supra, Coronam aurea[m]

aūream ex *Josephi* sententia, non nudum caput aut frontem cinxisse, sed impositam fuisse taeniae hyacinthinae, quae Josepho *alter pileus* est, qui super primum pileum byssinum erat, eumque ut Corona cingebat. Ita ut Corona aurea, cingens undique alterum pileum, respectu ad duo illa priora capitis ornamenta, fuerit ornamentum exterius, tertium, quod super ambo erat, eisque additum. Advertamus ergo animum ad *Josephi* narrationem ipsam, ea enim viam sternit, ut ego quidem conjicio, ad τειστοιχίαν detegendam.

I. *Pileus vero ipsi erat idem ille qui prior, eundem in modum ac illi reliquorum Sacerdotum confecti.* Hic Pileus mihi est prima στοιχία, *primus ordo, prima series* aut *compages.*

II. *Super eum autem consutus erat alius ex Hyacintho variatus*, ecce secundam στοιχίαν, *secundum ordinem.*

III. *Hunc cingit Corona aurea, fabrili opere fabricata.* Haec est tertia στοιχία, quod indicare volens *Josephus* addidit ἐπὶ τειστοιχίαν, ad *triplicem ordinem*, nempe constituendum.

Eodem fere modo procedit in altero loco ex libro *de Bello Judaico* allato, ibi etiam tria ornamenta, triplicem seriem constituentia memorat.

I. *Caput autem byssina Tiara tegebat.*

II. *Coronabatur vero hyacintho.*

III. *Et circa eam alia Corona aurea ferens* &c.

Nemo credo in dubium vocabit, unumquodque ornamentum ab *Josepho* memoratum capiti impositum, στοιχίαν, vel *ordinem* aut *compagem*, ut Poëtae verbis utar, vocari posse, & tria ornamenta sibi invicem imposita, ita ut se premant, τειστοιχίαν *triplicem ordinem.* Manifestum etiam est, ἐπὶ τειστοιχίαν proprie notare *ad* (*in*) *triplicem ordinem.* Sed ut conjectura mea & secundum eam sensus verborum *Josephi* recte intelligatur, considerandum est, *Josephum* in animo habuisse,

buisse, ut ex distincto narrandi genere patet, τριστοιχίαν ostendere in ornatu capitis Summi Pontificis. Observaverat gravissimus auctor, ornatum capitis Summi Pontificis ex tribus partibus distinctis constare, *Pileo byssino*, *fascia hyacinthina*, & *Corona aurea*: deinde unamquamque partem capiti impositam, efficere στοιχίαν ordinem vel compagem. Hinc tres partes, sive στοῖχοι, sibi invicem impositae, ita ut prima caput, secunda primam, & tertia secundam premeret & cingeret, sane τριστοιχίαν conficiebant. Verum quia progressum, ut ita loquar, in ornando capite Summi Pontificis ob oculos ponere sibi proposuerat, descriptis duobus prioribus ordinibus, tandem ad tertium ordinem accedit, Coronam nempe auream. Hanc dicit ἐπὶ τριστοιχίαν, *ad triplicem ordinem fabricatam fuisse*. Quid haec verba ἐπὶ τριστοιχίαν aliud significare possunt, quam Coronam auream fabricatam fuisse, *ad triplicem ordinem*, quem indicare sibi proposuerat, *conficiendum* & *absolvendum*? Ellipsis verborum non adeo infrequens est apud Graecos Scriptores, ut propterea haec conjectura deserenda sit. Ad quam melius percipiendam, figuram Pilei Pontificis cum omnibus suis ornamentis ita delineandam curavi, ut triplex ordo *Josephi* oculis conspici possit.

Tandem *Josephus* describit figuram Coronae aureae, Θάλλει δ' ἐπ' αὐτῷ κάλυξ χρύσεος τῇ σακχάρῳ βοτάνῃ παρ' ἡμῖν λεγομένῃ ἀπομεμιμημένος, ὗος δὲ κύαμον Ἑλλήνων. Haec verba ab Interpretibus male sunt expressa. *Vetus Interpres* verba addit pro more, quae in textu non apparent. Vertit enim, *supra quam surgit, in media fronte quasi Calyculus quidam aureus.* Quae sane Graecis non respondent, cum ne γρῦ in Graecis, *de media fronte*. *Gelenius* etiam verbum θάλλειν omittit ac si in textu non esset, & ut jam monuimus ex uno Calyce facit plures Calyculos. Sic enim *Gelenius* vertit, *in qua*

qua ſpectabantur calyculi aurei; quae verſio certe Graecum textum non exprimit, nam ſingularia mutat in pluralia, & ſignificationem verbi θάλλειν omnino negligit. Θάλλειν ſane ſignificat *florere*, *vireſcere*, *pullulare*, non *ſpectare*. De plantis earumque germinationibus uſurpatur, nativamque ſignificationem hic retinere poteſt, quia de calyce ſermo eſt ſimili calyci herbae hyoſciami. Sed quo ſenſu de Calyce aureo dici poſſit eum *floruiſſe* in Corona Pontificia, poſtea, cum calycem ipſum ejuſque figuram ſpectaverimus, indagabitur.

Calycem aureum memorat, & ut Lector ſciat quam figuram Calyx aureus in Corona Pontificia habuerit, notat, Calycem aureum omnimode calyci herbae, quam deinde deſcribit, ſimilem fuiſſe. Herba ergo ipſa & ejus calycis deſcriptio ſpectanda erit, nam ex ea, figura hujus aurei ornamenti in Corona Pontificia eluceſcet.

Herba ipſa Hebraeorum herbariis vocabatur δάκχαρος, *Bernhardus* mavult legi σάκχαρος. Rationes ejus in notis ad hunc locum videri poſſunt. Nolumus de hac lectione diſputare, cum ad noſtram cauſam nihil faciat. *Joſephus* enim nomen addit quo ab Graecorum herbariis indigitatur, & eam poſtea fuſe & accurate deſcribit. Nomen herbae eſt ὑοσκύαμος, *Hyoſciamus*, herba ſatis nota, cum ubique terrarum creſcat. Ex deſcriptione radicis, quam ut *napo* ſimilem depingit, patet, eum non deſcribere hyoſciamum vulgarem, nam ille tali radice non gaudet, ſed ut *Bernhardus* optime monuit, *fulvum* ſeu *Syriacum*, indigenam plantam in ea terrarum plaga ubi *Joſephus* erat. Nos vulgarem Hyoſciamum ex horto *Eyſtettenſi* delineatam damus: nam quod ad Calycem attinet, quem hic ſpectare oportet, eandem habet figuram in Syriaco & vulgari hyoſciamo. Deſcriptioni plantae non inhaerebimus, cum ex delineata figura, ſi illa cum deſcriptione *Joſephi* conferatur, ſatis cognoſci poſſit.

Inquiramus tantum quid *Joſephus* de Calyce herbae Hyoſciami memoriae prodat. Κάλυξ derivatum a verbo καλύπτειν Graecis omne id eſt, quod rem quandam in ſe claudit, continet, & ita quaſi abſcondit. De floribus, roſis nempe uſurpatur, ſed quo ſenſu, controvertitur. Quidam enim volunt roſam ſignificari foliis adhuc clauſis: alii involucra illa, quibus dehiſcentibus flores germinant & folia protrudunt. Hic notat folliculum ſemen continentem, nam ſub *operculo continet fructum per totum calycem herbae ſideritidis ſemini ſimilem*, qui fructus ſemen ipſum eſt. Latini hoc vocabulum a Graecis hoc poſtremo ſenſu mutuati ſunt: folliculum enim ſemen continentem, *Calycem* vocant. Si delineatum ex horto Eyſtettenſi Calycem cum deſcriptione *Joſephi* conferamus, ovum ovo non erit ſimilius. Apparet enim *ex ramis emiſſus, eiſque inhaerens. Ima ſua parte circa fundum dimidiato globo eſt ſimilis, mox in proceſſu paulatim coarctatur, donec in extremitate rurſum dilatatus in labrum exeat mali punici inciſuris ſimile, cui operculum orbiculare inhaeret, quaſi de induſtria tornatum, eminentes habens inciſuras aculeatas, & in acutos mucrones deſinentes.* Numerus mucronum a *Joſepho* non definitur, ſed figura adjecta oſtendit quinque cuſpides, qui tanquam tot radii ex calyce eminent. Tot cuſpides etiam habet calyx Hyoſciami Syriaci, notante *Bernhardo* ex *Moriſonio* & Herbario vivo *Huntingtonii*.

Si igitur Calyx aureus, qui conſpiciendus erat in Corona Pontificia, ſimilis fuit calyci Hyoſciami, ut *Joſephus* verbo ἀπομεμιμημένος exprimit, oportet eum in extremitate habuiſſe cuſpides ſive mucrones eminentes, ut in coronis radiatis, & in floribus expanſis foliis conſpiciuntur; quare etiam dici a *Joſepho* potuit, eum *floruiſſe in corona*. Sed quo modo floruerit, quam figuram in corona expreſſerit, qua capitis parte ſe conſpiciendum praebuerit, ulterius inquirendum eſt.

Joſe-

Josephus, postquam herbam Hyosciami ejusque calycem descripsisset, ita in sua narratione pergit: Ἐκ τούτου μὲν στέφανος ἐκκεχάλκευται, ὅσον ἀπὸ τοῦ ἰνίου πρὸς ἑκάτερον τῶν κροτάφων; τὸ δὲ μέτωπον ἡ μὲν ἐφιελὶς οὐκ ἔπεισι οὕτως γὰρ λεγέσθω ὁ κάλυξ τελαμὼν δὲ ἐστὶν χρύσεος, &c. Quae verba pressius examinanda sunt, totum enim negotium pandunt.

Ἐκ τούτου μὲν στέφανος ἐκκεχάλκευται] Verba ἐκ τούτου non sunt referenda ad flores Hyosciami, de quibus quidem locutus erat in proxime praecedentibus, sed ad calycem, nam non floribus, sed calyci similis erat calyx in Corona Pontificis. Male certe ad florem retulit vetus Interpres: male etiam verba Josephi reddidit, *Et per circuitum tota Corona his floribus celata est.* Longissime sane a mente & verbis Josephi, quae reddi oportet. *Ex hujusmodi* (nempe calyce jam descripto) *Corona elaborata* aut si velis *fabricata est.* Ubique tamen in Corona calyx non apparebat; sic enim *Josephus.*

Ὅσον ἀπὸ τοῦ ἰνίου πρὸς ἑκάτερον τῶν κροτάφων] Quae verba ita reddenda sunt: *Quantum ab occipitio ad ambo tempora.* In occipitio ergo, & lateribus capitis calyx florebat, & usque ad tempora procedebat, ut tempora ad frontem usque attingeret, nam fronti tantum non imminebat, quod indicat *Josephus.*

Τὸ δὲ μέτωπον ἡ μὲν ἐφιελὶς οὐκ ἔπεισι οὕτως γὰρ λεγέσθω ὁ κάλυξ] Quid ἐφιελὶς sit, valde obscurum. Est vox ἅπαξ λεγομένη, frustra enim alibi quaesiveris. Saltem nemo ex *Josephi* interpretibus, nullusque Lexicographus hanc vocem, quod sciam, hactenus usquam, quam hoc loco observavit. Quae *Bernhardus* habet ut evincat *involucrum*, *redimiculum* significari, in notis ejus videri queunt. Si alibi vox exstaret, forsan figuram coronae ob oculos poneret. Ceterum non adeo de hac voce laborandum est, cum quid per ἐφιελὶν intelligat, ipse aperiat, οὕτως γὰρ λεγέσθω ὁ κάλυξ. Quae ut parenthesi in-

clusa legi possunt, explicantia mentem Josephi, *Ita vocare licet Calycem.* Calyx ergo ipse fuit ἐφιελὶς. Haec *Ephielis* sive Calyx aureus, *Fronti* οὐκ ἔπεισι, *non imminebat*, circa frontem non conspiciebatur. Nihilne ergo aureae Coronae in fronte apparebat? Imo sane fronti imminebat aureum ornamentum.

Τελαμὼν δὲ ἐστὶ χρύσεος, ὃς ἱεροῖς γράμμασι τοῦ Θεοῦ τὴν προσηγορίαν ἐπιτετμημένος ἐστὶ] Τελαμὼν significat proprie *balteum*, *lorum*, *fasciam*, *taeniam* & quidem planam non teretem nec gibbosam. Sed quia ex auro fabricata erat, Lamina aurea plana fuit, non gibbosa, cui insculpi poterat, uti insculptum ferebat nomen Dei. *Sed Fascia*, (Lamina) *erat aurea*, *cui sacris literis*, *nomen Dei inscriptum* (incisum) *est.* Ita verto *Josephum.*

Ex dictis abunde constat, *Josephum* in ea fuisse sententia, caput Summi Pontificis aurea Corona fuisse redimitum, & quidem ita, ut aurea haec Corona caput non tantum a fronte ab aure ad aurem, sed etiam circa occipitium ad ambo tempora cingeret, licet non ubique eodem modo: nam ab occipitio ad ambo tempora, ex calyce aureo elaborata erat, simili calyci herbae Hyosciami, at fronti calyx non imminebat, sed Fascia sive Lamina aurea plana, cui nomen Dei inscriptum erat. Videamus ergo an figuram coronae imaginari possimus quae verbis Josephi respondeat.

Concipiatur Calyx aureus eodem modo fabricatus ut calyx hyosciami, in fundo pertusus, cum operculo suo & quinque mucronibus acutis, tantae magnitudinis ut capiti imponi, illudque cingere potuerit. Verum quia calyx ab occipitio ad ambo tempora tantum procedebat neque fronti imminebat, sed Fascia aurea cui Dei nomen inscriptum erat, calyx concipi debet ab anteriori parte fissus, quae fissura tantum hiatum faciebat, ut in fronte calyx non appareret, sed tan-

tum

Explicatio Figurarum ad Summum Pontificem ſpectantium.

Circum clypeum.

A. *Herba Hyoſciami cum calycibus*, pag. 65.

In baſi.

B. *Corona ſive Lamina aurea*, *ex mente* Braunii, pag. 52.

C. *Caput Pontificis cum omnibus ornamentis*, *ex mente* Joſephi, *ſecundum conjecturam noſtram primam*, pag. 68.

Intra clypeum.

D. *Caput Summi Pontificis geſtans Pileum ſimilem Pileo ceterorum Sacerdotum*, *primum ordinem conficientem*, pag. 38, 63.

E. *Pileus alter ex Hyacintho variatus*, *Coronans primum*, *ſecundum ordinem conſtituens*, pag. 39. -- 40, 63.

F. *Corona aurea cum calyce inſtar calycis herbae Hyoſciami*, *tertium ordinem faciens*, pag. 63, 69.

In baſi inferiori.

G. *Caput Pontificis cum Tiara & Lamina*, *ex mente* Villalpandi, pag. 58.

H. *Corona aurea ipſa cum ſuis uncinulis aut anſulis, quibus taeniae Hyacinthinae adhaerebat*, *ſecundum conjecturam noſtram ſecundam*, pag. 69.

F.
קדש ליהוה
A
C
קדש ליהוה
B.
קדש ליהוה
J. Goeree del. et fec.

tum circa occipitium & ambo tempora. Circa basin autem hiatum fuisse clausum Lamina illa aurea, cui nomen Dei inscriptum erat, jungens a fronte ad ambo tempora extremitates calycis. Figura adjecta mentem melius explicabit. Hoc modo tota Tiara, praeterquam a fronte, Corona aurea tegeretur, quod difficultatem parit. Nam hoc videtur verbis Josephi contrarium: non scribit enim Coronam auream contexisse Tiaram, sed tantum περιέρχεται *cingit* Corona aurea, περὶ *circa* Tiaram fuit Corona aurea.

Hinc forsan melius ita concipi posset. Laminam auream latam tres quatuorve digitos, in coronae formam caput undique cingentem, fuisse elaboratam; circa frontem oportet eam fuisse planam & nullam admittentem protuberantiam, ut τελαμῶνα possit repraesentare, aptum cui inscriberetur Dei nomen. Sed ab occipitio ad frontem usque puto Laminam intus malleolo fuisse tusam, ut exterius gibbosa & protuberans quodammodo apparuerit, prout in calyce hyosciami videre est. Deinde Laminam in processu fuisse quadantenus coarctatam, sed mox ita dilatatam ut instar calycis hyosciami quinque mucrones acutos, quinque radios emitteret, ita tamen ut hi mucrones vel radii totam Coronam non ambirent, sed tantum ab occipitio ad ambo tempora cingerent. Sic dici potest Coronam auream *cinxisse* Tiaram, *circa* illam fuisse, sic etiam Tiara candida & taenia hyacinthina, a fronte non tantum sed inter radios Coronae apparebant, quod ad ornatum quam maxime faciebat: sic denique calyx suis cuspidibus aut radiis dici potest *floruisse* in Corona aurea. Nam radii illi sive mucrones florem expansis foliis repraesentabant, eminentesque erant in Corona. Hanc Coronae formam etiam figura exprimi curavi, quam vide. Sic quantum assequi potui, mentem *Josephi* de Corona aurea exposui: restat ut Graecorum verborum sensum Latinis proponam: *Porro pileus ipsi erat idem ille qui*

prior, eodemque modo confectus ac pilei reliquorum Sacerdotum: ſuperimpoſitum autem habebat alterum priori connexum hyacinthini coloris & variegatum. Quem aurea Corona, ad triplicem ordinem conſtituendum *fabricata, cingit. In qua floret Calyx aureus, calyci herbae, nobis Daccharus, & Graecorum herbariis Hyoſciamus dictus, plane ſimilis. Hujuſmodi figuram Corona refert, quantum ab occipite ad ambo tempora, Fronti vero Ephielis illa, (ita enim calycem vocare licet) non imminet, ejus vero loco eſt Faſcia aurea, cui Dei nomen inſcriptum eſt.*

Joſephi ſententia explorata, accedamus ad *Philonem*, qui in libro III. *de vita Moſis*, pag. 670. 671. ita ſcribit: Χρυσοῦν δὲ πέταλον ὡσανεὶ στέφανος ἐδημιουργεῖτο. τέτταρας ἔχον γλυφὰς ὀνόματος, &c. Deinde, Μίτρα δ' ἦν ὑπ' αὐτὸ, τοῦ μὲν ψαύειν κεφαλῆς τὸ πέταλον, πρὸς δὲ καὶ κίδαρις κατεσκευάζετο, κιδάρει γὰρ οἱ τῶν ἑῴων βασιλεῖς ἀντὶ διαδήματος εἰώθασιν χρῆσθαι. Quae *Gelenius* vertit, *Ad haec Lamina aurea quaſi Corona inſculpta erat quatuor literis nominis illius*, &c. *Eam Laminam Mitra ſuſtinebat ne caput attingeret, ſuperimpoſita erat & Cidaris, quo inſigni Reges Orientis malunt uti quam Diademate.* Haec fere repetit, pag. 673. ubi ſic ſcribit: Κίδαριν δ' ἀντὶ διαδήματος ἐπιτίθησι τῇ κεφαλῇ, &c. Ὑπεράνω δὲ τὸ χρυσοῦν ἐστὶ πέταλον. *Cidaris autem pro Diademate imponitur capiti*, &c. *Huic praefigitur aurea Lamina. Philo*, ut jam ante obſervavimus, aureum capitis ornamentum quod ſacrae Literae ציץ נזר *Tzitz Nezer*, & *Joſephus* στέφανον vocant, per πέταλον *Laminam* exprimit, ſed Laminam *quaſi Coronam*, ὡσανεὶ, *tanquam, veluti, quaſi* ſignificat, & aliquam ſimilitudinem indicat, vel quod Lamina illa in coronae formam fuit fabricata, vel quod Lamina aurea praeſtiterit Pontifici, quod Corona praeſtat Regibus, ut illos ſupra omnes extollat. Verum quid per κίδαριν intelligat ſane obſcurum eſt, praeci-

pue

pue cum Cidarim a Lamina aurea & Mitra distinguere videatur. Sed spectemus verba Philonis.

Μίτρα δὲ ἦν ὑπ' αὐτὸ τοῦ μὴ ψαύειν κεφαλῆς τὸ πέταλον] Quae verba ita verto, *Sub ea (nempe Lamina) Mitra erat, ne Lamina caput tangat.* Hinc secundum *Philonem* Pontificis caput Mitra tectum fuit, quae caput immediate tangebat, & huic Mitrae impositam fuisse Laminam auream, ita ut Mitra inter caput & Laminam media fuerit, ne caput aurea Lamina tangeretur.

Πρὸς δὲ καὶ κίδαρις κατεσκευάζετο, *Gelenius* vertit, *superimposita erat & Cidaris.* Vertendum censeo, *Praeterea Cidaris conficiebatur*, aut *addebatur:* πρὸς enim & πρὸς δὲ adverbialiter ponuntur pro προσέτι, ut ex *Platone* & *Demosthene* & aliis probat *Budaeus Comm. Ling. Gr. pag.* 1255. & significat *praeterea, amplius.* Ita ut Cidarim habuerit Pontifex praeter Mitram & Laminam auream.

Κιδάρει γὰρ οἱ τῶν Ἑώων βασιλεῖς ἀντὶ διαδήματος εἰώθασιν χρῆσθαι. *Cidari enim Reges Orientis solent uti loco Diadematis.* κίδαρις scribitur aliquando κίτταρις, vel etiam κίταρις, capitis tegumentum vel Pilei genus: *Hesychius* βασιλικὸν πῖλον, *regium pileum* vocat: *Suidas* περίθεμα τῆς κεφαλῆς, *circumpositionem capitis.* Convenit cum Tiara & κύρβασια, hoc enim *Pollux, lib.* VII. *cap.* XIII. testatur: Περσῶν μὲν ἴδια, κάνδυς, ἀνάξυρις, καὶ τιάρα ἣν καὶ κυρβάσιαν καὶ κίδαριν καὶ πῖλον καλοῦσιν, ut emendate legitnr in edit Amst. pag. 726. *Persarum autem propria sunt, Candys, Subligaculum, Tiara, quam & Cyrbasiam & Cidarim & Pileum vocant.* Adstipulatur *Suidas:* vocat enim κίδαριν περικράνιον πίλινον, στέφανον, φασκίωλον, πῖλον βασιλικὸν Περσῶν, τὸ στρόφιον ὃ οἱ ἱερεῖς φέρουσι, *capitis tegumentum pilinum (ex Pilis confectum), Coronam, Fasciam, Pileum Regum Persarum, Strophium quod Sacerdotes gestant.* De his plura si cupis, vid. *Paschalium de Coronis lib.* X. *cap.*

cap. III. *pag.* 672. & Illustr. *Spanheimium*, *Diss.* VIII. *de Usu & praest. Num.* edit. ultimae, *pag.* 454. -- 466. Materia Cidaris non fuit eadem, ex pilis enim, ex lino aut quovis panno conficiebantur. Ex pilis aut panno confectam Cidarim, ex *Suida* constat. Regum Persarum Cidaris seu Tiara ex bysso fuit, teste *Josepho Antiq. lib.* XII. *cap.* 4. Sed gemmis tamen distincta, ut ex nummis Parthicis, ab Illustr. *Spanhemio* & nobis productis abunde patet. Hinc canit *Valerius Flaccus lib.* VI. 699.

> *At viridem gemmis & Eoae stamine silvae*
> *Subligat extrema patrium cervice Tiaram.*

Ita *Fasciola* & *Strophium* dici potuit. Ex auro fabrefactam fuisse Cidarim, quae & Tiara dicitur, ex *Herodiano* probat *Paschalius*. An recte, ex ipsis *Herodiani* verbis non satis clare apparet. Ita enim de *Antonino* ait, eum, εἰς εἶδον δὲ τιάρας στεφάνην ἐπικείμενος χρύσῳ καὶ λίθοις ποικίλοις τιμίοις, aut ut *Stephanus* legi mavult, στεφάνην ἐπικείμενος, &c. ποικίλην, &c. *In speciem Tiarae Coronam sibi imposuit auro lapillis pretiosis insignitam* aut *variegatam*, *lib.* V. *pag.* 119. ex edit. *Steph.* Quae verba quidem indicant auro ornatam Tiaram; sed non ex ea confectam fuisse. Auream tamen Tiaram Summo Pontifici Deae Syriae adscribit *Lucianus*, ut supra probavimus. Hinc etiam ex auro aliquando fuisse confectum colligi licet. Ceterum *Philonem* non satis accurate locutum fuisse, cum dicat, κιδάρει γὰρ οἱ τῶν Ἑῴων βασιλεῖς ἀντὶ διαδήματος εἰώθασιν χρῆσθαι. Optime Illustr. *Spanhemius*, tam ex nummis, quam Auctoribus antiquis probat: nam illi indicant Reges Persarum veteres, recentiores Parthorum, & Armeniorum, qui Reges Orientis erant, non tantum Cidari sed & Diademate simul ornatos fuisse, imo Parthorum Reges aliquando solo Diademate, ut nummi indicant, vid. *pag.* 466.

Admi-

Admirandi operis erat Cidaris vel Tiara *Tigranis*, ut ex nummis ejus, a *Spanhemio* & *Vaillantio* in Regum Syriae historia exhibitis, manifeſtum eſt. Cernitur non tantum redimita Diademate, ſed etiam in ea exſculptae apparent figurae ſtellarum, avium, &c. & in extremitate radii ſeu cuſpides aculeatae, quam igitur auream fuiſſe conjicio, ſaltem ex metallo pretioſo factam. Nam aliter figurae & cuſpides ſive radii in ea exſculpi non potuiſſent.

Deſpiciendum reſtat, quid *Philo* per κίδαειν, qua Orientis Reges loco Diadematis utebantur, & hinc etiam Hebraeorum Pontifices, intelligat. A Mitra & Lamina aurea Cidarim diſtinguere videtur, ut jam monuimus. Per Mitram ſane intelligendum eſſe Pileum quem Pontifex communem cum reliquis Sacerdotibus geſtavit, quem *Joſephus* ex Hebraeo *Mitznephet*, *Maſanephthen*, & LXX. Interpretes κίδαειν vocarunt, nemo credo negabit. Sed quaeritur quid hic ſit Cidaris a Mitra diſtincta? Oportet Cidarim *Philonis*, aut Vittam ſive Taeniam hyacinthinam *Moſis*, quae *Joſepho alter pileus* dicitur, aut Coronam auream ipſam *Joſephi*, Calycem nempe aureum procedentem ab occipite ad ambo tempora, fuiſſe. Quicquid horum eligamus difficultate non caret.

Si per Cidarim Taeniam hyacinthinam intelligamus, utique illa a Mitra & Lamina aurea erat diſtincta, & proinde dici de illa poterit, illam πρὸς δὲ, &c. *praeterea additam fuiſſe*, imo Laminam fuiſſe ὑπεράνω *ſupra*: *Philo*que tres diſtinctas partes in capitis ornamento Pontificis, cum ſacris Literis & *Joſepho* agnoſceret. Sed hic plurimae oriuntur difficultates. *Prima* eſt, quod Cidaris dicatur talis fuiſſe quali *Orientis Reges ornabantur*. Si jam nummos conſulamus, illi Tiaras Regum Orientis, ut Parthorum, Armeniorum, oſtendunt, confectas ex metallo, ex auro nempe, hoc enim patet, quia cuſpidibus ſive radiis, variiſque figuris exſculptis,

k orna-

ornatae ſunt, ut ex nummis *Tigranis* Armeniorum Regis & aliis, Tiaris rectis inſignitis, & a nobis productis, manifeſtum eſt. Nam tales cuſpides & figurae non niſi ex metallo exſculpi potuerunt. *Secunda*, quod praeter Diademata in nummis nullae conſpiciantur Faſciae circa caput volutae. A quibus Diadematibus tamen liquido *Philo* Cidares ſuas diſtinguit, ſcribit enim *Cidarim eſſe loco Diadematis*. Huic difficultati reſponderi poterit Numiſmata non omnia exprimere, certumque ex jam dictis eſſe, Cidares Regum Orientis etiam ex lana aut lino confectas fuiſſe, imo κίδαριν etiam ſignificare *Faſciolum*, & *Strophium*. Verum ſi ex linea vel lanea faſcia fuerint, nova oritur difficultas, quae enim erit differentia inter Diadema & Cidarim? quidam, ut *Briſſonius* nullam agnoſcunt, ſed perperam, ut Illuſtr. *Spanhemius* abunde probavit, *pag.* 466. Sane *Philo* differentiam manifeſtam agnoſcit, cum Cidarim loco Diadematis fuiſſe tradat. Forſan *Philo* per Diadema exprimit Faſciam, ſemel tantum, ut in *Seleucidis* & *Ptolemaeis* &c. cernitur, & per Cidarim, aliquoties capiti circumvolutam, quod Taeniae hyacinthinae optime applicari poterit.

Si Coronam auream *Joſephi* pro *Philonis* Cidari habeamus, ad Calycem qui ab occipite ad ambo tempora procedebat, referenda eſt. Calyx ille cuſpidibus ſive radiis eminentibus ſuperbiens, non male Cidarim Regum Orientis, licet non in omnibus, referebat, quae, cuſpidibus ſive radiis inſtructa, ex auro conficiebatur. Hic Calyx etiam ab aurea Lamina quodammodo, & a Mitra omnino diſtinctus erat, quia Calyx fronti non imminebat, ſed *Faſcia* tantum *aurea* cui Dei nomen inſcriptum erat. Sola difficultas manet in voce ὑπεράνω, quo modo Lamina aurea dici potuerit fuiſſe *ſupra* Coronam, aut Calycem. At hoc ὑπεράνω *ſupra*, non tantum ad Cidarim, verum etiam ad Mitram vel totum capitis ornamentum referri poterit. Non enim utitur relativo, ſed ait tantum,

ſupra

supra autem erat Lamina aurea. Ut antea dixerat Mitram fuisse ὑπὸ *sub* Lamina aurea, ita Lamina aurea *supra* capitis ornamentum fuit & caput non proxime attingebat. Hoc saltem ex *Philone* constat, insigni regio caput Pontificis ornatum fuisse. *Quo ille cum sacris fungeretur, non tantum privatis hominibus, verum etiam cunctis regibus erat eminentior*, ut diserte ait, pag. 673. licet figuram non ita distincte ut *Josephus* expresserit.

Redeamus tandem, *Josephi* & *Philonis* sententiis perspectis, ad sacras Literas, & conferamus ea quae *Josephus* & *Philo* memoriae prodiderunt, cum iis quae *Moses* de his ornamentis tradidit.

Capitis ornamentum summi Hebraeorum Pontificis ex tribus distinctis partibus, constitisse, Tiara Mitznephet, Taenia hyacinthina, & Tzitz aureo insigni sanctitatis, sacrae Literae satis superque docent, & eopse τειςοιχίαν *Josephi* confirmant.

Nec male Corona aurea cum Calyce in ipsa florescente, ut à *Josepho* est descripta, exprimit significationem τȣ̃ ציץ, quod florem expansis floribus denotare, jam probavimus. Nam mucrones acuti & eminentes, similes mucronibus calycis herbae hyosciami in corona conspicui, optime sane florem expansis foliis referebant.

Tandem quia ציץ etiam נזר *Nezer* vocatur, & in initio Capitis quoque probavimus, *Nezer* significare omne capitis insigne, quo quis ut dignior & augustior ab aliis separatur, imo insigne Regibus quoque proprium, non incongrue *Josephus* aureum hoc insigne, Coronam vocavit, nec *Philo*, cum illud dicat fuisse ὡσανεὶ στέφανος *quasi Corona*, quia Coronae aureae jam ab antiquissimis temporibus Regum insignia & capitis ornamenta fuêre.

Unica restat difficultas & quidem non minimi momenti, quae antequam pergamus removenda est. Videtur *Josephus*

Mosi contradicere, quod scribat, *Coronam auream ab occipite ad ambo tempora processisse, Tiaram cinxisse, & circa illam fuisse*, cum sacrae Literae contrarium affirmare videantur. Illae enim dicunt ציץ ponendum fuisse in anteriori parte Mitrae e regione frontis. Ita *Moses*, ועשת ציץ זהב טהור ופתחי עליו פתוחי חתם קדש ליהוה : ושמת אתו על פתיל תכלת והיה על המצנפת אל מול פני המצנפת יהיה : והיה על־מצח אהרן. Quae verba ita reddenda sunt: *Et facies Tzitz aureum & insculpes ei sculptura sigilli*, SANCTITAS JEHOVAE. *Et pones illum super Taeniam hyacinthinam, & sit super Tiaram illam, & erit e regione faciei* (aut versus faciem, in anteriori parte) *Tiarae, super frontem Aharonis erit, Exod.* XXVIII. 36, 37. conf. XXXIX. 31. & *Lev.* VIII. 3. ex quibus colligendum videtur, Tzitz aureum tantum anteriori parti Tiarae circa frontem adhaesisse, nec Tiaram ab occipite ad ambo tempora cinxisse. Ita Magistri *Mosis* verba accipiunt, statuentes, *Tzitz aureum, fuisse Laminam circa frontem ab aure ad aurem tantum procedentem.* Hanc difficultatem ita removendam conjicio. Quod Moses, cum tradat, *Tzitz* Tiarae alligandum esse, ut sit e regione faciei Tiarae, in anteriori ejus parte, non innuat *tantum* anteriori parte Tiarae annectendum, sed necessarium tamen esse ut in anteriori parte Tiarae circa frontem Aharonis conspiciatur, imprimis ea Coronae pars cui Dei nomen inscriptum erat, hoc nomen enim in fronte jugiter gestare debuit, ut ex ratione addita apparet. Sane qui jubet ornamentum quoddam circa frontem annecti, non vetat ut illud a fronte ad occiput procedat, modo in fronte maneat pars maxime conspicua. Imo jam ante observavimus, Mosi non omnia quae erant facienda, viva voce inculcata fuisse, sed in exemplari monstrata, ut juxta hoc exemplar omnia faceret. Satis igitur erat Legislatori, inculcare Mosi, ut ornamentum aureum, cujus figuram, partim ex nomine ציץ, partim ex exemplari ei ob oculos posito, haurire poterat,

terat, ita alligaret, ut quam maxime ſe circa frontem conſpiciendum praeberet. Hinc *Joſephus* qui eam coronae partem, cui nomen Dei inſcriptum erat, fronti applicandam docet, cum addat Calycem aureum procedere ab occipite ad ambo tempora, Moſi non contradicit, ſed Moſis ſententiam explicat, & quid Moſes per *Tzitz inſigne Sanctitatis* intelligat magis explanat, convenienter ſignificationi vocum *Tzitz* & *Nezer*, ut ex dictis ſatis conſtat. Sane ſi explicatio ſententiae Moſaicae admittenda eſt, certe magis fidem adjungendam Joſepho quam Magiſtris eſſe, in his quae ipſe oculis toties uſurpaverat, mihi omnino perſuadeo, praecipue cum voces, quas Moſes adhibet, ejus explicationi quam maxime faveant; nec *Philo Joſepho* contradicat, qui etiam regium inſigne auream Laminam *veluti Coronam*, in capitis ornamento Summi Pontificis agnoſcit.

Si igitur figura a *Joſepho* delineata admittatur, Coronam fere radiatam, flori expanſis foliis ſimilem, Pontifex geſtabat, inſignique plane regio adornabatur, quia tamen calyx fronti non imminebat, ſe τελαμὼν χρύσεος, ratio etiam reddi poteſt quare L X X. Interpretes & *Philo* ציץ per πέταλον tranſtulerint; πέταλον lamina enim circa frontem tantum apparebat.

§. 5. Notandnm denique Coronam auream inſcriptione circa frontem ornatam fuiſſe, quod & Gentiles imitati ſunt. Horum enim Reges & Pontifices Coronas aut Tiaras geſtarunt, magnificis inſcriptionibus ornatas. De quibus videatur *Braunius*.

Memorabilis certe erat inſcriptio, quam Corona Pontificia ferebat. Ea enim ille Deo conſecrabatur, & ut vices Dei gerens, populo repraeſentabatur: inſcriptum enim erat קדש ליהוה, SANCTITAS JEHOVAE, ut Moſes diſerte teſtatur.

Diſputant Judaeorum Sapientes, non tantum de modo quo hae literae Coronae inſcriptae erant (quidam enim ſtatuunt

 lite-

literis protuberantibus hoc factum fuisse, contra textum Mosis, qui ait פתוחי חתם, *apertionibus sigilli*, aut incisionibus sigilli, inscriptionem sculptam fuisse, quod & *Josephus* affirmat, qui hic utitur verbo ἐπιτέμνειν, quod *incidere* significat) verum etiam disputant, an una vel duabus lineis fuerit scripta: si duabus, an nomen *Jehovah* fuerit superius, an vero *sanctitas*. Vide *Braunium*.

Majoris momenti disputatio est an tota haec inscriptio Coronae inscripta fuerit? an vero solum nomen tetragrammaton? quidam ultimum statuunt, quibus adstipulari videntur *Josephus* & *Philo*, in locis supra jam productis. Qui hoc statuunt credunt vocem sanctitatis a Mose usurpari tanquam epithetum nominis Dei; quasi hoc vellet, *insculpetur nomen Jehovah*, *quod est sanctitas*. Alii tamen rectius volunt haec duo vocabula Coronae inscripta fuisse, quibus adstipulamur. Nam cum *Josephus* & *Philo* dicant nomen Dei Coronae fuisse inscriptum, non indicant *nihil aliud* quam hoc nomen ei incisum, sed tantum nomen Dei tanquam praecipuum, utpote in quo tota vis & ἐνεργεία inscriptionis constabat, nominant, silentium enim auctorum non semper pro negatione habendum est.

De sensu inscriptionis, de characteribus quibus expressa erat, an illi fuerint Samaritani; an vulgares quibus Judaei cum maxime utuntur; & quid sibi velit *Josephus* cum literas nominis יהוה vocet φωνήεντα τέσσαρα, sive quatuor *elementa vocalia*; hic disputare animus non est. Figuram enim potissimum Coronae hic indagamus.

CAPUT VII.

DE SITU CORONAE AUREAE.

§ 1. Figura Coronae aureae expensa, *situs* ejus in capite Pontificis penitius examinandus erit. Viam jam ad hunc feliciter detegendum in antecedentibus stravimus. Ex iis quae circa finem praecedentis Capitis dicta sunt, manifestum est, Coronam auream, praecipue ea parte, qua nomen Dei in-

inſcriptum ferebat, ſe circa frontem Pontificis conſpiciendam praebuiſſe. Verum ulterius quaeritur, an Corona aurea Tiarae fuerit impoſita, ut caput non immediate tangeret: an vero infra Tiaram fuerit alligata, ita ut carnem frontis proxime attingeret, frontemque tegeret. Primum *Joſephus* & *Philo*, alterum quidam Judaeorum *Magiſtri*, & cum illis Clar. *Braunius* aliique ſtatuunt.

§. 2. *Joſephus* & *Philo*, in locis ſupra a nobis productis, diſerte docent, Coronam auream, non caput proxime, ſed Pileum ſive Mitram cinxiſſe. Poſtquam enim *Joſephus* de Pileo primo & altero ex hyacintho variegato, locutus erat, pergit, περιέρχεται δὲ στέφανος χρύσεος, &c. Quae verba reddenda eſſe, *Hunc* (Pileum nempe) *aurea Corona cingit*, pag. 57. non tantum ex συνάφεια verborum *Joſephi*, ſed etiam ex collatione cum altero loco, ubi totidem verbis ait, *circa Tiaram byſſo coronatam fuiſſe auream Coronam*, probavimus. Diſertius idem affirmat *Philo*, hic enim ait, *Mitram fuiſſe* ὑπὸ *ſub Lamina*, *ne Lamina caput attingeret.* Vide ſupra pag. 71.

§. 3. Judaeorum Sapientes contra volunt, Laminam auream non fuiſſe in Tiara aut ſuper illam, ſed infra illam, & ita quidem ut frontem immediate tegeret uſque ad oculos fere. Judaeorum mentem Clar. *Braunius* expoſuit & figuris expreſſit pag. 638. — 643. quem fere omnes qui poſt eum Pontificem pictum dederunt, ſecuti ſunt. Si rationem requiras, unicam ex his Moſis verbis producunt, *Et erit ſuper frontem Aharonis.* Sed *de hujus argumenti ſoliditate dubitari poſſet*, inquit magnus Scripturae interpres SALOMO VAN TIL, in Commentario ſuo *de Tabernaculo*, pag. 95. Quae verba mihi anſam dederunt in hanc rem penitius inquirendi, & hanc Diſſertationem edendi.

§. 4. Moſes igitur ipſe audiendus erit. Si Moſen inſpiciamus, ille *Joſepho* & *Philoni* plus favet quam Magiſtris, quod argumentum eſt illos ejus mentem perſpectam habuiſſe. Certe Moſes affirmant ציץ aureum fuiſſe *ſuper* על Tiaram, non *infra*, Tiaraeque impoſitam. Sic enim Moſes *Exod.* XXVIII. *Et facies Tzitz aureum*, &c. *& pones illum ſuper Taeniam hyacinthinam*, *& ſit ſuper Tiaram illam.* על המצנפת, quae verba ſane *ſuper Tiaram* vertenda ſunt, nam על *ſuper* ſignificat. Scio equidem Judaeos haec verba, *& ſit ſuper Tiaram*, referre non ad Tzitz aureum, ſed ad Vittam hyacinthinam, & *ſit*, (*Vitta* nempe hyacinthina) *ſuper Tiaram*, quia *Vitta hyacinthina a fronte e medio Laminae per verticem ſuper Tiaram recurrebat*, ut *Jarchius* inquit. Verum Corona aurea ipſa erat *ſuper* Vittam hyacinthinam, & proinde ſi Vitta hyacinthina erat *ſuper* Tiaram, neceſſe eſt ut cum ea Corona aurea fuerit *ſuper* Tiaram. Accedit quod Moſes doceat *Lev.* VIII. 9. eodem modo Coronam Tiarae imponendam fuiſſe, ut Tiara imponitur capiti. Sic enim Moſes: וישם אתהמצנפת על ראשו וישם על המצנפת אל-מול פניו את ציץ הזהב נזר הקדש &c. *Et ponebant Tiaram ſuper caput ejus*, *& ponebant ſuper Tiaram e regione faciei*, *Tzitz aureum inſigne ſanctitatis*, *prout Deus Moſi praeceperat*, ubi ſane Moſes ſatis expreſſe indicat Coronam, *non fronti*, ſed *Tiarae* imponendam fuiſſe. Nec Moſis verba, *& erit ſuper frontem*, aliud ſignificant, quam quod aurea Corona ſemper conſpicienda ſit in ea parte Tiarae quae fronti imminet,

net, nam aurea Corona super frontem dici potest, licet Mitra sub ea fuerit, ut caput non attingeret, dummodo in fronte conspiciatur. Si igitur Mosis verba spectemus, sane illa etiam tres ordines & compages in capitis ornamento Pontificis indicant. Nam secundum Mosen super Tiaram ponenda erat Vitta hyacinthina, & super eam Corona aurea. Sic frons, praecipuum faciei decus, aperta manebat.

§. 5. De modo Coronam auream per Vittam hyacinthinam Tiarae alligandi quaedam disputanda restant. Quae paucis absolvam, nam hic conjecturae tantum locus, cum nec *Moses*, nec *Josephus*, nec *Philo* hunc modum explicent. Sane curandnm erat, ne Corona de capite Pontificis, cum sacra perageret, decideret, quod Taenia hyacinthina praestitum fuit. Sed quia Moses dixerat Coronam fuisse *super Taeniam hyacinthinam*, & Josephus *circa illam*, aut *circa Tiaram hyacintho coronatam*, necesse est ut per uncinos Taeniae hinc inde connexa, aut Taenia per ansulas transmissa, & ita cum Corona simul capiti imposita, & quibusdam voluminibus circum caput voluta, decenti loco constricta fuerit.

§. 6. Ita Pontifex auro hyacintho & bysso fuit ornatus, & ut olim de *Mithridatis* Tiara dictum est, eam fuisse *mirifici operis*, ita hoc quoque de Pontificis Hebraeorum affirmari meretur. Sic ornatu plane regio procedebat, Reges enim, aurum, caeruleum & byssum candidum in capitis ornamentis amabant. Praeter aurum, quod Tiaras ornabat, Persarum Reges olim Diademate caeruleo albo distincto coronabantur. Sic *Curtius lib.* III. *cap.* 3. *Cidarim Persae Regium capitis vocabant insigne. Hoc caerulea fascia albo distincta circuibat.* Ornatu Personae Pontificis convenientissima, erat enim Pontifex Princeps, imo Rex in sacris, qui summa auctoritate iis praeerat: quique in illis Deum Israëlitarum Regem repraesentabat, ejusque quasi vices gerebat, cui incumbebat curare, ut sacra rite secundum Dei praecepta peragerentur. Per quem ut Internuntium populus Deum Regem, in Tabernaculo habitantem, conveniebat, & a Deo Rege responsa accipiebat. Maximus ergo inter Hebraeos Pontifex fuit, & dignissimus qui Regio ornatu indutus incederet.

FINIS.

Adde pag. 15. post lineam 19. Elegantissima Tiara Pontica acuminata, & caput fere totum obtegens, conspicitur in nummo Mithridatis, in *Thesauro Brandenburgico*, Tom. III. pag. 8. ex quo eum exhibet Illustr. *Spanhemius* pag. 482.

pag. 17. lin. 27. (videtur tamen sculptori se aliquid barbae detexisse, nisi ad vestem potius pertineat, quod pro barba habet.)

Lege pag. 18. lin. 8. *pro* ultimum Σ, primum B.
pag. 52. lin. 18. *pro* ornamenti, ornamentis.
pag. 72. lin. 23. *pro* confectum, confectam.
pro *Bernhardus*, *Bernardus*.

INDEX

INDEX

LOCUPLETISSIMUS QUADRIPARTITUS,

Primus est rerum, quæ præcipue in toto hocce Opere exhibentur, secundus locorum S. Scripturæ, quæ illustrantur, vel obiter aliqua luce donantur, tertius vocum Hebraicarum, & Græcarum, quarum genuina significatio indagatur, quartus Auctorum qui citantur.

NOTA. *Littera* P. *partem*, *litteræ* pag. *paginam*, *&* D.W. *Dissertationem H. van de Wall*, *indicant.*

INDEX RERUM.

A.

ALtare holocaumatum prius a Mose describitur altari Thymiamatum, quare. P. 1. pag. 56. ejus Crates quid sit, pag. 57. cornua quis eorum usus, pag. 56. cujus rei symbolum, pag. 58. est Christus, quod per partes ostenditur, pag. 59. — 62.

Alraris Thymiamatum descriptio. P. 1. pag. 118. — 120. quid suffitus, quid instrumenta repraesentaverint, pag. 120. — 122. cujus fuerit Typus, pag. 122, 123.

Animalium genera ad quatuor classes revocant Hebræi. P. 1. pag. 141.

Apex, Pileus Flaminum, & aliorum Sacerdotum Romanorum. D. W. pag. 23, 24.

Arca Fœderis typus Christi. P. 1. pag. 22. — 26.

Arsaces, commune nomen Regum Parthorum, eodem stemmate oriundorum. D. W. pag. 18.

Asini nomina. P. 1. pag. 162. quale animal, pag. 163. ejus vitia, virtutes, & varii usus, pag. 163. — 165. Hieroglyphica, pag. 165. — 168.

Atrium denotat Ecclesiam visibilem, quod per partes ostenditur. Part. 1. pag. 64, 65.

Aulaeorum internorum numerus x, longitudo xxviii cubitorum, latitudo iv, ratio hujus mensuræ. P. 1. pag. 39.

externorum numerus xi, longitudo xxx cubitorum, latitudo iv, ratio hujus mensurae. Part. 1. pag. 41.

B.

BOum nomina. P. 1. pag. 173, 174. quale animal, ejus vitia, pag. 175. virtutes, varii usus, & utilitates, pag. 176, 177. etiam in sacris, pag. 177, 178. Hieroglyphica, pag. 178. — 184.

C.

CAmeli nomina, & quale animal. P. 1. pag. 148. — 150. unus duplex, pag. 150, 151. indoles, pag. 151. Hieroglyphica, pag. 152. — 154.

Candelabrum aureum fuit symbolum Ecclesiæ mysticæ. P. 1. pag. 35. — 37. ejus oleum ad lumen emblema Spiritus Sancti in Scriptura loquentis, pag. 66. — 68.

Canum nomina. P. 1. pag. 218, 219. quale animal, species octo, pag. 219, 220. proprietates, virtutes, vitia, pag. 220. — 222. usus, abusus, pretium abominatio, pag. 222, 223. Emblematica respectu Doctorum Ecclesiæ, pag. 223. hominum impurorum, pag. 224.

Caprarum & Hircorum nomina P. 1. pag. 199, 200. Animalia distincta ab ovibus, pag. 200, 201. vitia, pag. 201, 202. sunt munda, & utilissima, pag. 202. — 205. his gentiles abutebantur, pag. 205. Hieroglyphica, respectu hominum, pag. 205. — 208. Christi, pag. 208, 209. sacrificiorum, pag. 209. — 211.

Cervorum verorum nomina. P. 2. pag 54. spuriorum, pag. 55. quale animal, pag. 56. virtutes, vitia, usus, pag. 56, 57. Hieroglyphica, pag. 57. — 62.

Cherubim est nomen officii Angelos & homines denotans. P. 1. pag. 24, 25.

Corona aurea fuit insigne majestatis Pontificiæ, cujus fuerit figura Moses non clare depingit. D. W. pag. 51, 52. Josephus fusius eam describit, versio & sensus locorum indagatur, pag. 53, & seq. Τειτοιχία ei adscribitur, quo sensu, pag. 58. — 62. non respectu fabricæ, vel ornamenti, sed situs ad cætera capitis ornamenta, quod probatur, pag. 62. — 64. descriptio figuræ à Josepho datæ illustratur, pag. 64. — 68. totum caput Pontificis ea redimitum fuit, pag. 68, 69. descriptio Josephi cum ea Philonis contenditur, pag. 70, & seq. utriusque cum Mose confertur, pag. 75, & seq. situs Coronæ examinatur, pag. 78, & seq.

Coronis, verba, nomina, seu titulos Regum inscribere non inusitatum antiquitus. Part. 1. pag. 95. D. W. pag. 77.

Cuniculi mentionem facere videntur quatuor S. Scriptura loca. P. 2. pag. 73. an cuniculus, an mus montanus sit intelligendus, inquiritur, pag. 73. — 75. est cuniculus animal admodum fæcundum, pag. 75. Emblema hominum in fide aberrantium, attamen fidem ore profitentium, pag. 76, 77.

D.

DIadema, quale genus coronæ; tale exprimebat Pileus Sacerdotum. D. W. pag. 28, 30.

E.

ELephanti nomina. P. 1. pag. 143. quale animal, pag. 144. quæ de eo notanda in statu naturali, pag. 145. quæ in statu mansuetudinis, pag. 145, 146. Hieroglyphica, pag. 146.

Equi nomina. P. 1. pag. 154, 155. quale animal, Marti, sacrum, & varii usus, pag. 156, 157. vitia, virtutes, Hieroglyphica, pag. 157. — 161.

Extraneus, de quo Exod. XXIX. 33. quis. P. 1. pag. 107.

F.

FElium sylvestrium nomen. Part. 2. pag. 51. quale animal, pag. 52. vitia, usus, *ibid.* Hieroglyphica, pag. 52. — 54.

H.

HEricii nomen. P. 2. pag. 78. quale animal, pag. 79. diversæ species, pag. 79, 80. cujus sit symbolum, pag. 80.
Hircorum, *vide* Caprarum.
Hœdum in lacte matris decoquere Judæis prohibitum, in rationem inquiritur. P. 1. pag. 203.
Hyenæ nomen. P. 2. pag. 41. quale animal, pag. 42. ingenium, pag. 42, 43. Hieroglyphica, pag. 43, 44.

I.

INauguratio Pontificis, & Sacerdotum, quomodo peragenda. P. 1. pag. 104. — 107. repræsentabat muneris dignitatem, pag. 108, 109. typice referenda ad Christum & fideles, pag. 109. — 112.

L.

LEonum nomina. Part. 2. pag. 1, 2. quale animal, pag. 3. — 8. virtutes, & vitia, pag. 8. — 10. usus, & abusus, pag. 10. Emblematica in bonam partem, pag. 10. — 14. respectu Dei, Christi, Angelorum, & piorum, pag. 14. — 17. in malam partem, pag. 17, 18.
Leporis nomen. P. 2. pag. 70. quale animal, *ibid.* vitia, pag. 71. est Emblema hominum fidem temporariam habentium, pag. 71. — 73.
Lotio Sacerdotum & Pontificis quid respectu Veteris, quid respectu N. T. significaverit. P. 1. pag. 128, 129.
Lupi nomen. P. 2. pag. 30. quale animal, pag. 31. virtutes, vitia, pag. 31. — 33. in Anglia, & Creta non occurrit, ratio, pag. 33. est nullius utilitatis, pag. 34. Emblema Diaboli, Pseudo-prophetarum, Hæreticorum, & Tyrannorum, pag. 34. - 37. attamen etiam Benjaminis, pag. 37. — 41.

M.

MEnsa aurea ejus mystica significatio respectu materiæ, vasorum, & panis. P. 1. pag. 30, 31.
Miletum, milesia vellera. P. 1. pag. 190, 191.
Monocerotis nomen. P. 2. pag. 62. est Oryx Arabum, pag. 63. & subulo Romanorum, pag. 65. quale animal, pag. 63. Ægyptiis odio habetur, pag. 65. proprietates, pag 64, 65. Hieroglyphica respectu cornu, pag. 66. ipsius animalis, pag. 67. & indolis, pag. 67, 68.
Muli nomina. P. 1. pag. 169. quale animal, non unius speciei, pag. 170. virtutes & vitia, *ibid.* utilitates, pag. 171. Hieroglyphica, pag. 171. — 173.
Murium nomen, quale animal, eorum indoles, Hieroglyphica. P. 2. pag. 87, 88.
Mustelæ nomen. Part. 2. pag. 81, 82. quale animal, est vel sylvestre, vel domesticum, pag. 82, 83. Thebanis fuit in sacris, pag. 83. cujus sit symbolum, pag. 84.

N.

NUmmus Parthicus ULENBROEKII rarissimus, ejusque descriptio, & cum aliis collatio. D. W. pag. 16. — 19.

O.

OVium nomina. P. 1. pag. 184. — 187. quale animal, & quam diversum inter se, pag. 187. — 189. vitia, virtutes, utilitates, pag. 189. — 191. Hieroglyphica respectu fidelium, pag. 191. — 195. respectu Christi, pag. 195. — 198.

P.

PArdorum nomina. P. 2. pag. 19. varia genera, pag. 20. Animal formidandum, pag. 20, 21. vitia & virtutes, pag. 21, 22. Hieroglyphica, pag. 22. — 24.

Pensio Hemisicli. P. 1. pag. 124. — 126. quid docuerit Israëlitas, pag. 126, 127.

Pentateuchi Liber secundus Judæis שמות, Græcis ἔξοδος dicitur. P. 1. pag. 1. continet historiam separationis Judæorum à reliquis gentibus, pag. 2. quæ bipartita est, liberationis ex Ægypto, & legislationis, pag. 5. — 7. Moses hujus libri scriptor, non tantum legum, sed & historiæ legislationis, pag. 2, 3. Scopus duplex, pag. 4, 5. stylus, pag. 5.

Pileus Sacerdotum, colliculum referebat, Pontificis à circumvolvendo nomen habet. D. W. pag. 5, 6. materia utriusque linum, pag. 8. ut & apud gentiles, pag. 29. coloris albi, pag. 37. ejus fabricam S. Scriptura non describit, nec mirum, pag. 9, 10. Josephus vero distincte. Versio, & sensus loci indagatur, pag. 12, & seq. in coniformam exire non debuit, in distinctionem à Pileis aliarum gentium, earumque Sacerdotum, pag. 13, 14, 15, 20. nempe Phrygum, Persarum, & Romanorum, pag. 20. — 24. vocatur à Josepho μασναέμφθης, quæ sit vocis genuina lectio inquiritur, pag. 25, 26. præter hunc Pileum utrisque communem Pontifex aliud capitis tegumentum ex hyacintho in coronae formam priori Pileo superimpositum habuit, pag. 39, 40. quod probatur, defenditur & cum Mose conciliatur, pag. 41. — 47.

Pontifici non nisi vestito ad Deum accedere licuit. P. 1. pag. 71. cum omni suo ornatu fuit typus Christi, pag. 72. — 74. per partes ostenditur; de Amiculo cum pectorali, pag. 74. — 87. de pallio Amiculi, pag. 87. — 94. de ornamento capitis, pag. 94. — 98.

Porcorum vel Suum nomina. P. 1. pag. 212. quale animal, pag. 212, 213. immundum, & magis exosum Judæis, quam cætera immunda, pag. 213. — 215. Porcorum pastores quomodo in Judæa, pag. 216. sunt symbola profanorum, & gentilium sive indolem, seu victum, seu gregatim collectos spectes, pag. 216. — 218.

S.

SAcerdotium adstrictum familiæ Aaronis ante μοσχοποιίαν præjudicium nec opprobrium primogenitis creavit. P. 1. pag. 68, 69.

Sacrificium juge descriptum. Part. 1. pag. 113. — 115. Typus sacrificii Christi, pag. 115. — 117.

Siclus sacer an differat à communi. P. 1. pag. 125.

Simiarum, nomen, tres species, vitia duarum priorum. P. 2. pag. 68, 69.

Sindon, est vestimenti genus, & quale. D. W. pag. 33. quid Josephus per hanc vocem intelligit, pag. 34, 35.

35. cujus fuerit usus respectu Pilei Sacerdotum, & Pontificis, pag. 33. — 37.
Stylobata, cujus fuerit figuræ. P. 1. pag. 43.
Sues, *vide* Porcorum.
Suffitus ex quatuor constabat speciebus. P. 1. pag. 135, 136. Ratio emblematica, pag. 136. — 138.

T.

TAbernaculum fuit typus Ecclesiæ Novi Testamenti. P. 1. pag. 13, 14. Erectum fuit symbolum Ecclesiæ bene coördinatæ, per partes ostenditur, pag. 48. — 54.
generale mandatum de eo struendo, pag. 8. — 14.
speciale de Arca Fœderis, pag. 14. — 20. non mutuata à gentibus, pag. 16. De Mensa aurea, & ejus ornatu, pag. 26. — 31. De Candelabro aureo, pag. 31. — 34.
Talentum non duplex fuit apud Judæos. P. 1. pag. 34.
Talpæ nomen, quale animal, vitia, symbolica. P. 2. pag. 85, 86.
Θεοπάτορος, titulus in nummis Arsacidarum rarissimus, eo insignitus Alexander Bala Syriæ Rex, ratio denominationis. D. W. pag 19.
Thoum nomen. P. 2. pag. 44. quale animal, ingenium, pag. 45.
Tiaram quare Pontifex gestarit. P. 1. pag. 96.

V.

VEstimenta Sacerdotibus cum Pontifice fere communia, quæ. P. 1. pag. 98. — 101. quid significaverint, pag. 102, 103.
Vulpium nomen. P. 2. pag 46. quale animal. *ibid.* ingenium, pag 47, 48. Hieroglyphica, pag. 48. — 51.
Unguentum fuit emblema Spiritus Sancti. P. 1. pag. 132. eo ungendus Pontifex, vasa quædam, & Tabernaculum; quid symbolice significaverit, pag. 133.
Urim & Thummim, quid fuerint. P. 1. pag. 79, 80. cujus emblema, pag. 82, 83.
Ursi nomen. P. 2. pag. 25. quale animal, pag. 25, 26. varia genera, *ibid.* vitia, pag. 26, 27. Hieroglyphica, pag. 27. — 30.

Finis Indicis Rerum.

INDEX
LOCORUM S. SCRIPTURÆ.

VETERIS TESTAMENTI.

GENESIS.

Cap. 15 : 13-17. P. 1. pag. 5.
36 : 24. - P. 1. pag. 169.
38 : 18. - D. W. pag. 44.
49 : 11. - P. 1. pag. 167, 168.
: 14. - P. 1. pag. 166.
: 27. - P. 2. pag. 37-41.

EXODUS.

Cap. 17 : 14. - P. 1. pag. 3.
20 : 24, 25. P. 1. pag. 57.
23 : 19. - P. 1. pag. 203.
25 : per tot. P. 1. pag. 8 — 37.
26 : per tot. P. 1. pag. 37 — 54.
27 : per tot. P. 1. pag. 55 — 68.
28 : per tot. P. 1. pag. 68-103.
28 : 37. - D. W. pag. 43.
38. - D. W. pag. 7, 8.
29 : per tot. P. 1. pag. 103-117.
30 : per tot. P. 1. pag. 117-138.
34 : 26. - P. 1. pag. 203.
37 : 3. — P. 1. pag. 17.
39 : 28. - D. W. p. 7, 8.
31. - D. W. pag. 43.

LEVITICUS.

Cap. 11 : 29. - P. 2. pag. 83, 84
16 : 4. — D. W. pag. 7, 8.
19 : 19. - P. 1. pag. 170.

NUMERI.

Cap. 23 : 22. - P. 2. pag. 66.

DEUTERONOMIUM.

Cap. 14 : 7. - P. 2. pag. 71.
: 21. - P. 1. pag. 203.
22 : 10. - P. 1. pag. 164.
23 : 18. - P. 1. pag. 223.
33 : 17. - P. 2. pag. 66.

JUDICUM.

Cap. 15 : 4. — P. 2. pag. 47.

II. SAMUELIS.

Cap. 1 : 10. — D. W. pag. 50.

I. REGUM.

Cap. 8 : 9. — P. 1. pag. 18.

JOBUS.

Cap. 40 : 10. - P. 1. pag. 144.

PSALMI.

Psal. 16 : 11. - P. 1. pag. 110.
19 : 9. — P. 1. pag. 36.
21 : 4. } - P. 1. pag. 97.
: 6.
22 : 1. — P. 2. pag. 57, 58.
32 : 12. - P. 1. pag. 171, 172.
45 : 8. — P. 1. pag. 36.
: 14. - P. 1. pag. 35.
72 : 9. } - P. 2. pag. 53.
74 : 14.

92: 11. - P. 2. pag. 66.
99: 1. — P. 1. pag. 21.
105: 15. } 110: 3. - P. 1. pag. 13.
119: 105. - P. 1. p. 36.
133: 2. — P. 1. pag. 91.

CANTICUM.

Cap. 1: 9. : 10. : 11. - P. 1. pag. 160.
4: 8. — P. 2. pag. 20.
: 10-16. P. 1. pag. 92.
: 13. } 7: 12. - P. 1. pag. 36.

JESAIAS.

Cap. 5: 16. P. 1. pag. 97.
6: 6. } : 7. - P. 1. pag. 37.
11: 5. — P. 1. pag. 86, 102.
13: 11. — P. 2. pag. 47.
14: 13. — P. 1. pag. 64.
: 23. — P. 2. pag. 80.
21: 7. — P. 1. pag. 150.
22: 18. — D. W. pag. 6.
30: 24. } 32: 20. - P. 1. pag. 166.
34: 11. — P. 2. pag. 80.
54: 2. — P. 1. pag. 63.
55: 10. — P. 1. pag. 23.
56: 7. — P. 1. pag. 121.
60: 6. — P. 1. pag. 150, 152.
61: 10. — P. 1. pag. 90.
65: 4. — P. 1. pag. 215.
66: 17. — P. 2. pag. 88.
: 20. — P. 1. pag. 152, 172.

JEREMIAS.

Cap. 5: 7. — P. 1. pag. 219.
12: 9. — P. 2. pag. 43.

EZECHIEL.

Cap. 1: 10. } 10: 14. - P. 1. pag. 20.
13: 4. — P. 2. pag. 49.

DANIEL.

Cap. 7: 5. — P. 2. pag. 27.
: 6. — P. 2. pag. 22.
8: 5. } : 8. - P. 1. pag. 206.

HOSEAS.

Cap. 13: 7. — P. 2. p. 21.

AMOS.

Cap. 8: 1. } : 2. - P. 1. pag. 219.

MICHA.

Cap. 5: 3. — P. 1. pag. 97.

HABACUC.

Cap. 3: 8. — P. 1. pag. 158.

ZEPHANIA.

Cap. 3: 3. — P. 2. pag. 132.

ZACHARIA.

Cap. 1: 18. — P. 1. pag. 157.
4: 2. — P. 1. pag. 35.
6: 1, & seq. P. 1. pag. 158.
14: 15. — P. 1. pag. 172.
: 20. — P. 1. pag. 161.

NOVI TESTAMENTI.

MATTHÆUS.

Cap. 3 : 4. — P. 1. pag. 150.
15 : 27. P. 1. pag. 225, 226, 227.

JOHANNES.

Cap. 1 : 14. — P. 1. pag. 13.
17 : 6. } - P. 1. pag. 97.
: 19.

ACTA.

Cap. 7 : 16. — P. 1. pag. 186.

AD ROMANOS.

Cap. 1 : 17. — P. 1. pag. 116.
3 : 25. — P. 1. pag. 19, 22.
8 : 3. — P. 1. pag. 22.
12 : 1. — P. 1. pag. 111, 116.

AD GALATAS.

Cap. 3 : 18. — P. 1. pag. 22.

AD EPHESIOS.

Cap. 4 : 11-16. P. 1. pag. 50.
6 : 14. — P. 1. pag. 102.

AD PHILIPPENSES.

Cap. 2 : 17. — P. 1. pag. 116.

II. AD THESSALON.

Cap. 2 : 4. — P. 1. pag. 64.

I. AD TIMOTHEUM.

Cap. 3 : 15. — P. 1. pag. 35.

II. AD TIMOTHEUM.

Cap. 2 : 20. — P. 1. pag. 30.

AD HEBRÆOS.

Cap. 7 : 26. — P. 1. pag. 110.
9 : 1—14. P. 1. pag. 13.
: 3. (— P. 1. pag. 18, 19.
: 4. (
: 8. — P. 1. pag. 123.

I. PETRI.

Cap. 2 : 5. — P. 1. pag. 49.

II. PETRI.

Cap. 1 : 19. — P. 1. pag. 36.

APOCALYPSIS.

Cap. 1 : 20. (— P. 1. pag. 35.
2 : 5. (
4 : 5. — P. 1. pag. 36.
6 : 1. — P. 1. pag. 161.
11 : 2. — P. 1. pag. 64.
13 : 2. — P. 2. pag. 22.
19 : 11-14. P. 1. pag. 161.

APOCRYPHA SYRACHI.

Cap. 13 : 12. - P. 2. pag. 43.
: 22. - P. 2. pag. 6.

INDEX
VOCUM HEBRAICARUM,
ET GRAECARUM.

אהל P. 1. pag. 41.
איים P. 2. pag. 44.
איל P. 2. pag. 54.
אילת P. 2. pag. 57, 58.
אפר P. 1. pag. 75.
אריה vel ארי P. 2. pag. 1.
ארון P. 1. pag. 15.
ארנבת P. 2. pag. 70.
בד D. W. pag. 7, 8.
בהמה P. 1. pag. 141, 142.
בנה תבנית P. 1. pag. 12.
בעיר P. 1. pag. 142.
בתים P. 1. pag. 45.
גביע P. 1. pag. 32.
גמל P. 1. pag. 148, 149.
גרה P. 1. pag. 125.
דג P. 1. pag. 142.
דוב P. 2. pag. 25.
הבים P. 1. pag. 143.
העדות P. 1. pag. 18.
זאב P. 2. pag. 30, 31.
זמר P. 2. pag. 55.
זר P. 1. pag. 16.
זרת P. 1. pag. 77.
חולד P. 2. pag. 81, 82.
חזיר P. 1. pag. 211, 212.
חמאה P. 1. pag. 177.
חמור P. 1. pag. 162.
חפור P. 2. pag. 55.
חפר-פחת P. 2. pag. 85.
חשקים P. 1. pag. 62.
ידות P. 1. pag. 43.
ימים P. 1. pag. 169.
יסך P. 1. pag. 29.
כבוד P. 1. pag. 70.
כהן P. 1. pag. 70.
כלב P. 1. pag. 218.
כפורת P. 1. pag. 19.
כפרת P. 1. pag. 28.
כרבים P. 1. pag. 19, 20.
כרת P. 1. pag. 178.
לאם P. 2. pag. 62.
לביא P. 2. pag. 1, 2.
לבנה P. 1. pag. 135.
ללאת P. 1. pag. 40.
לעמרה P. 1. pag. 155.
מגבעות D. W. pag. 5.
מזלגות P. 1. pag. 57.
מזרקות P. 1. pag. 56.
מנקיות P. 1. pag. 29.
מסגרת P. 1. pag. 27.
מעיל האפוד P. 1. pag. 88.
מצנפת D. W. pag. 6, 25, 26, 27, 30.
מר-דרור P. 1. pag. 130.
משכן P. 1. pag. 41.
נדב P. 1. pag. 10.
נזר D. W. pag. 48, 49, 50, 51.
נטף P. 1. pag. 134.
נמר P. 2. pag. 19.
סוס P. 1. pag. 154.
עון P. 1. pag. 96.
עוף P. 1. pag. 142.

עיט	P. 1. pag. 142.	קערות	P. 1. pag. 28.
עכבר	P. 2. pag. 87.	קפור	P. 2. pag. 78, 79.
על	D. W. pag. 44, 45.	קשית	P. 1. pag. 28.
פעמות	P. 1. pag. 17.	רכב } רכש }	P. 1. pag. 155.
פרוחת	P. 1. pag. 46.	רמש	P. 1. pag. 142.
פרח	P. 1. pag. 33.	שוצל	P. 2. pag. 46.
פרש	P. 1. pag. 155.	שחלת	P. 1. pag. 134.
פשתה	D. W. pag. 8.	שטים	P. 1. pag. 11.
פתיל	D. W. pag. 43, 44.	שני	P. 1. pag. 10.
צאן	P. 1. pag. 185.	שסע	P. 1. pag. 151.
צבוע	P. 2. pag. 41.	שפן	P. 2. pag. 73, 74, 75.
צ״ם	P. 2. pag. 51.	שש	P. 1. pag. 10. D. W. pag. 7, 8.
צ״ץ	P. 1. pag. 94. D. W. pag. 48, 49, 50, 51.	תחשים	P. 1. pag. 11.
קלעים	P. 1. pag. 62.	תפארת	P. 1. pag. 70.
קסיטה	P. 1. pag. 186, 187.	תרומה	P. 1. pag. 9.

ἀλόπηξ. -	P. 2. pag. 46.	λαγίδεις. -	P. 2. pag. 73.
ἄνθαλοψ. -	P. 2. pag. 55.	μασναέμφθης.	D. W. pag. 25, 26, 27.
βούβαλος. -	P. 2. pag. 55.	παχεία. -	D. W. pag. 29.
γάλη. - -	P. 2. pag. 82.	πρὸς & πρὸς δὲ.	D. W. pag. 71.
δασύπους. -	P. 2. pag. 70.	πάνθηρες. } πάρδαλις. }	P. 2. pag. 19.
ἔλαφος. -	P. 2. pag. 56.	ῥάπλειν ῥάπλεσθαι.	D. W. pag. 31.
ἔπι. - -	D. W. pag. 62.	ϛεφάνη. } ϛέφανος. }	D. W. pag. 28.
ἐφιελῖς. -	D. W. pag. 67.	ὗς. - -	P. 1. pag. 212.
θάλλειν. -	D. W. pag. 65.	φυλακὲς. -	P. 1. pag. 219.
καρκάξωνον.	P. 2. pag. 63.	χάρχινος.	P. 2. pag. 63.
καταϛέφειν.	D. W. pag. 39.	χοῖρος. -	P. 1. pag. 212.
κάλυξ. -	D. W. pag. 66.		
κίδαρις. -	D. W. pag. 70, 71.		
κύων. - -	P. 1. pag. 219.		

INDEX

INDEX
AUCTORUM.

Abarbanel. — — — P. 1. pag. 18.
Addamyrius Arabs. — P. 2. pag. 2.
Ælianus. — — P. 1. pag. 145, 170, 201, 216. P. 2. pag. 4, 22, 46, 54, 63, 65, 81, 83.
Alexander Aphrofidæus. — — P. 2. pag. 5.
Ammianus Marcellinus. — — P. 2. pag. 10.
Ariftoteles. — — — P. 1. pag. 151, 170, 190, 201. P. 2. pag. 3, 4, 19, 47, 71, 81.
Arrianus. — — — P. 1. pag. 135.
Arfchotanae tabulae. — — D. W. pag. 15, 16.
A Turre. — — — D. W. pag. 22.
Auguftinus, Leonardus. — D. W. pag. 22.

Bellonius. — — — P. 2. pag. 45.
Bellorius. — — — D. W. pag. 24.
Bernardus. — — — P. 1. pag. 34, 125, 128. D. W. pag. 12.
Bochartus. — — — P. 1. pag. 10, 106, 143, 144, 149, 150, 154, 155, 165, 169, 170, 173, 186, 200, 212. P. 2. pag. 2, 3, 9, 19, 25, 31, 41, 43, 46, 51, 54, 55, 62, 70, 73, 78, 81.
Bofius. — — — D. W. pag. 24.
Boëtius. — — — P. 2. pag. 62.
Braunius. — — — P. 1. pag. 10, 70, 75, 77, 79, 99, 100. D. W. pag. 5, 6, 14, 23, 31, 34, 37, 41, 58, 79.
Brerewodus. — — — P. 1. pag. 34.
Briffonius. — — — D. W. pag. 74.
Buchananus. — — — P. 1. pag. 157.
Budæus. — — — D. W. pag. 71.
Burmannus, Francifci F. — — D. W. pag. 27.
Busbequius. — — — P. 2. pag. 43, 45.
Buxtorfius. — — — P. 2. pag. 54.
Bynæus. — — — P. 1. pag. 11. D. W. pag. 33.

Camerarius, Philippus. — — P. 2. pag. 8, 9, 33.
Cardanus. — — — P. 2. pag. 31.
Cicero. — — — P. 1. pag. 176.
Chardinus. — — — D. W. pag. 17, 22.
Clemens Alexandrinus. — — P. 1. pag. 151. P. 2. pag. 83.

Coccejus. — — — P. 1. pag. 106, 142, 144, 146, 154, 157. P. 2. pag. 38, 43, 51.
Columella. — — — P. 1. pag. 164, 175, 176, 202, 213.
Crater. — — — — P. 1. pag. 213.
Ctesias. — — — — P. 1. pag. 145.
Curtius. — — — — P. 2. pag. 7. D. W. pag. 80.

De Dieu. — — — P. 1. pag. 15.
Diodorus. — — — P. 2. pag. 20.
Dionysius Halicarnassensis. — D. W. pag. 23.
Dioscorides. — — — P. 1. pag. 131, 134, 135.

Elias Levita. — — — P. 1. pag. 151.
Eustathius. — — — P. 2. pag. 21, 55.

Festus. — — — — P. 1. pag. 17, 189, 213. D. W. pag. 23.
Flaccus. — — — D. W. pag. 72.
Fullerus. — — — P. 1. pag. 106.
Frismuth. — — — P. 1. pag. 15.
Forsterus. — — — P. 2. pag. 54.

Galenus. — — — P. 2. pag. 49.
Garcias. — — — P. 1. pag. 135.
Gellius. — — — P. 2. pag. 9.
Gesnerus. — — — P. 1. pag. 212. P. 2. pag. 34, 51, 79.
Georgius Sabinus. — — P. 2. pag 34.
Giggeius. — — — P. 2. pag. 73.
Golius. — — — — P. 1. pag. 162, 173, 189.
Goussetus. — — — D. W. pag. 7, 38, 44, 48.
Gualterus Charleton. — — P. 2. pag. 51.
Herodianus. — — — P. 1. pag. 99. D. W. pag. 72.
Herodotus. — — — P. 1. pag. 172, 216. P. 2. pag. 64.
Hesiodus. — — — P. 2. pag. 3.
Hesychius. — — — D. W. pag. 58, 71.
Hieronymus. — — — P. 1. pag. 130. P. 2. pag. 62, 74, 78.
Homerus. — — — P. 2. pag. 4, 11.
Horatius. — — — P. 1. pag. 175, 215.
Horus Niliacus, *vulgo* Apollo. - P. 1. pag. 216. P. 2. pag. 11, 65, 66.

Jarchi, Salomo. — — P. 1. pag. 42, 128. P. 2. pag. 78. D. W. pag. 52.

Josephus. — — — P. 1. pag. 27, 28, 34, 39, 43, 44, 75, 76, 77, 94, 95, 99, 100. D. W. pag. 5, 10, 36, 37, 39, 46.

Justi-

Juſtinus. — — — D. W. pag. 18, 19.
Juvenalis. — — — P. 1. pag. 215. D. W. pag. 21, 61.
Junius. — — — P. 1. pag. 20.

Kimchi, David. — — P. 1. pag. 155. P. 2. pag. 70, 82.

Lampridius. — — — P. 1. pag. 150, 165.
Leo Africanus. — — P. 1. pag. 165.
Livius. — — — P. 1. pag. 178.
Lucanus. — — — P. 2. pag. 6.
Lucianus. — — — D. W. pag. 20, 72.
Ludolphus. — — — P. 2. pag. 7.
Lutherus. — — — P. 1. pag. 80.
Lucretius. — — — P. 1. pag. 212. P. 2. pag. 7.

Majus. — — — P. 1. pag. 185. P. 2. pag. 2, 25, 31.
Maimonides. — — P. 1. pag. 99. D. W. pag. 30.
Martialis. — — — P. 1. pag. 101. P. 2. pag. 64.
Matthias Martinius. — — P. 1. pag. 79.
Montfaucon. — — — D. W. pag. 18.

Nicander. — — — P. 2. pag. 48.
Noldius. — — — P. 1. pag. 20, 107.

Olaus Magnus. — — — P. 2. pag. 45.
Oppianus. — — — P. 2. pag. 3, 7, 20, 21, 32, 42, 57, 64, 65, 71.
Ottonis Lexicon. — — P. 1. pag. 124, 126, 128.
Ovidius. — — — P. 1. pag. 175, 215. P. 2. pag. 6, 9.

Palladius. — — — P. 1. pag. 176.
Paſchalius. — — — D. W. pag. 72.
Patinus. — — — D. W. pag. 16.
Paulus Venetus. — — P. 2. pag. 8, 22.
Pauſanias. — — — P. 2. pag. 11.
Perſius. — — — P. 2. pag. 49.
Petronius. — — — P. 1. pag. 214.
Petrus Pomponatus. — — P. 2. pag. 34.
Plautus. — — — P. 1. pag. 177.
Philo. — — — P. 1. pag. 76, 95. D. W. pag. 70, 71, 72.
Plinius. — — — P. 1. pag. 10, 76, 131, 135, 150, 157, 175, 213. P. 2. pag. 4, 5, 7, 8, 22, 31, 47, 63, 65.

Plutarchus. — — — P. 1. pag. 16. P. 2. pag. 6, 9, 10, 13, 16.
Polybius. — — — P. 2. pag. 13.
Pollux. — — — D. W. pag. 29, 33, 58, 71.
Procopius. — — — P. 1. pag. 164. P. 2. pag. 83.
Propertius. — — — P. 1. pag. 215.
Pfeiffer. — — — P. 1. pag. 144, 151.

Rubenius, Philippus. — — D. W. pag. 24.

Scaliger, Jul. Cæſ. — — P. 1. pag. 151, 165. P. 2. pag. 31, 43, 46.
Solinus. — — — P. 1. pag. 175. P. 2. pag. 7.
Schickardus. — — — P. 1. pag. 214.
Silius Italicus. — — P. 2. pag. 17.
Spanhemius, Fredericus. — — P. 1. pag. 186.
Spanhemius, Ezech. — — D. W. pag. 15, 17, 19, 72.
Spencerus. — — — P. 1. pag. 16, 79.
Strabo. — — — P. 2. pag. 10, 63, 73, 74. D. W. pag. 18, 23.
Suetonius. — — — P. 1. pag. 150, 164.
Suidas. — — — P. 2. pag. 79. D. W. pag. 71, 72.

Tacitus. — — — P. 1. pag. 214. P. 2. pag. 12. D. W. pag. 30.
Theocritus. — — — P. 2. pag. 48.

Varro. — — — P. 1. pag. 170, 174, 175, 176, 177, 188, 190. D. W. pag. 23.
Virgilius. — — — P. 1. pag. 188, 199, 201, 215. P. 2. pag. 5, 6.
Vopiſcus Flavius. — — P. 1. pag. 65.
Voſſius. — — — P. 2. pag. 21.
Urſinus. — — — P. 1. pag. 15, 130, 131.
Wagenſelius. — — — P. 1. pag. 169.
Wierius. — — — P. 2. pag. 34.
Witſius. — — — P. 1. pag. 79.

Xenophon. — — — P. 1. pag. 165.

F I N I S.

E R R A T A.

In Praefatione.

Pag. 10. lin. 24. pro *unquam*, lege *nunquam*.
16. 8. poſt *aſſerendum*, lege *cum*.
14. pro *caſtimaniam*, lege *caſtimoniam*.
26. 15. poſt *Dialogorum*, adde *ſuam*.
32. 5. ſubnexus, *lege* ſubnexum.
56. ult. debitu, *lege* debita.

In Opere ipſo, Parte I.

Ubi occurrit *Lymbus*, lege *limbus*.
pag. 1. lin. 24. poſt *liberata*, dele *comma*.
12. 25. pro גבה, lege בנה.
70. 19. בגבי, lege בגרי.
77. 19. *hans*, lege *hanc*.
84. 21. *teſſura*, lege *teſſera*.
86. 3. *vultra*, lege *ultra*.
144. 7. poſt *rationes*, dele *comma*.
169. 19. pro יסאן, lege ימאן.
170. 30. *multos*, lege *mulos*.
183. 12. *hoſtarium*, lege *hoſtiarum*.
204. 19. poſt 45. adde lib. XII.
21. lege *Nudae tempora Verticemque Calvae*.

Parte II.

[illegible] 27. pro habent, *lege* habet.
43. 4. *pronuntiatans*, lege *pronuntians*.
71. 21. *Philoſophum*, lege *Philoſophus*.
72. 13. *rugitu*, lege *rugitum*.